

THESAURUS
RESOLUTIONUM
SAC. CONGREGATIONIS
CONCILII

Quæ consentaneè ad Tridentinorum PP. Decreta
aliasque Canonici Juris Sanctiones

MUNUS

SECRETARII EJUSDEM SAC. CONGREG

Obeunte usque ad diem 29. Januarii Emo, & Rmo Domino

CARDINALI CARANDINO

MOX VERO

R. P. D. JULIO GABRIELLIO

Prodierunt in Causis sub annum 1787.

PROPOSITIS

Episcopis, eorumque Vicariis, Causarum Patronis,
ac aliis in Ecclesiastico Foro versantibus
apprimè utilis, ac necessarius.

TOMUS LVI.


TRIPLICI

INDICE LOCUPLETATUS.



ROMÆ MDCCLXXXVII.

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.


LIBRARY
SEP 10 1969
UNIVERSITY OF TORONTO

INDEX
ALPHABETICUS CAUSARUM

Quæ in Sac. Congregatione Concilii propositæ fuerunt anno 1787. per Diœceses dispositus.

FINIS:

Die Sabbathi 20. Januarij 1787. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

TRes quæ infra primo loco subiiciuntur causæ definiri in ultima Congregat. haud potuerunt; sequuntur deinde aliæ sex Causæ.

AVENIONEN. SERVITII CHORI. *Sess. 22. cap. 3. & sess. 24. cap. 12. de Reform.*

I. *An & quomodo sustineatur resolutio Capitularis ab Archiepiscopo confirmata, in qua jubetur ne imposterum attestationes recipiantur ad eos excusandos ab horis matutinis, qui soliti non sunt iisdem interesse.*

II. *An & quomodo sustineatur eadem resolutio pariter confirmata, in qua cautum est ne binæ attestationes consecutivæ favore unius ejusdemque personæ recipiantur, nisi infirmitas talis sit, quæ a Missæ celebratione detineat.*

III. *An & quomodo sustineatur eadem resolutio pari modo confirmata in qua cautum est ne attestationes recipiantur, quæ habitualiter ac periodice exhibentur, nisi infirmitas sit probe cognita, & declarata.*

IV. *An & quomodo sustineatur eadem resolutio ut supra confirmata, in qua cautum est ne attestationes recipiantur pro exemptione ab omnibus officiis, nisi infirmitas talis sit, quæ a Missæ celebratione detineat, in casu &c.*

Ad I. Affirmativè in omnibus.

Ad II. III, & IV. Negativè, & amplius, & ad Mentem, & Mens est, attestationes a Medicis esse cum juramento subcribendas, & recipiendas a Capitulo etiamsi periodicè, & habitualiter exhibeantur; in potestate tamen esse ejusdem Capituli per aliquem Canonicum infirmum visitare, & quatenus dubium extiterit Archiepiscopus utatur jure suo.

Seff. 24. cap. 5. de Ref matrim. & Seff. 25. cap. 18. de reform.

DUBIA SUPER EXECUTIONE DISPENSATIONUM MATRIMNNIALIUM.

I. *An liceat Vicario Generali aliquid muneris ſive ſtipendii etiam modicum accipere pro ſubſcriptione & ſigillo, ſive alia qualibet de cauſa & titulo in executione litterarum Apoſtolicarum diſpenſationis matrimonialis in caſu &c.*

II. *An, quibus, & quomodo ſit locus reſtitutioni in caſu &c.*

Ad I. Negativè.

Ad II. Ad Dominum Secretarium cum Santiſſimo pro abſolutione ad cauthelam, & condonatione.

Seſſ. 25. cap. 11. de reform.

FIRMANA EMPHYTEUSIS.

An ſit ſtandum vel recedendum a deciſis.

In Deciſis, & amplius.

Seſſ. 24. cap. 1. de Ref.

ROMANA MATRIMONII. Prolixè relata fuit hujus cauſæ ſpecies in Congregatione diei 19. Auguſti anni mox elapſi. Ea die cum gemina diſceptarentur Dubia = *I. An conſtet de nullitate Matrimonii in caſu &c. II. An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro diſpenſatione in caſu &c.*, reſponderunt utrique EE. VV. edito reſponſo = *eſſe locum experimento cohabitationis triennalis* = Diſplicuit conjugibus Comiti Julio Buſſi, & Comitiſſæ Gentili Montogli Sacri hujus Ordinis judicium; Adeoque obtenta facultate denuo experiendi jura ſua in Congregatione diei 2. Decembris anni pariter nuper effluxi tria expenſa fuerunt Dubia = *An ſit ſtandum vel recedendum a deciſis in caſu &c.* II. & quatenus negative ad primam partem, affirmative ad ſecundum = *An conſtet de nullitate Matrimonii in caſu &c.* III. Et quatenus negative = *An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro diſpenſatione ſuper matrimonio rato, & non conſumato*

to in casu &c. Omnibus autem assueta maturitate conside-ratis prodiit rescriptum = *Prævio recessu a decisis consulendum Sanctissimo pra dispensatione*. Continuo Defensor Matrimonii novam postulavit audientiam, qua obtenta, quæritur hodie.

An sit standum in primo vel secundo loco decisis in casu &c.

In secundo loco decisis, & amplius, & moneantur Tancioni, & Posi de se abstinendo a similibus.

AMFURIEN. NULLITATIS PROFESSIONIS. Irritam dicit quam apud Carmelitas emisit professionem P. Angelus Maria in sæculo Josephus Salinas ortus in oppido Hulvi Diœcesis Ampuriensis die 30. Martii 1741. Tres nullitatij causæ; Quod scilicet cum professus est, nondum exegisset, immo vix attigisset annum decimum sextum; Quod extra domum probationis conventumque ad id designatum regularem professionem nuncupaverit; Quod anno Novitiatus durante pluries ad alia loca diverterit. *Sess. 25. de Regul. cap. 15. & 25.*

Ante quinquennil lapsum animum reclamandi pluribus ostendit P. Salinas; donec anno 1774. S. M. Clem. XIV. supplex exoravit, licentiamque egrediendi e claustris Religionis postulavit. Sed re infecta obiit Clemens XIV. Adiit deinde S. hanc Congregationem quæ de more Ampuriensi Episcopo compilationem processus super nullitate Professionis commisit, mortuoque deinde illo Episcopo rem Vicario Capitulari delegavit, Novus Ampuriensis Episcopus Processum amice communicavit Vicesgrrenti Serenissimi Sardiniæ Regis, ex quo factum est ut Processus ille, ignotum quo fato, inveniri amplius adhibitis utcumque omnibus diligentiis non potuerit. Quia tamen manebant adhuc monumenta eorum quæ ex ipso scatebant paocessu, ideo Sanctissimus D. N. circumstantiarum misertus in quibus P. Salinas versabatur, auditoque prius Procuratore Generali Ordinis qui vera esse quæ exponebantur, testatus est, ad preces ejusdem P. Salinas rescripsit quod ille *jure suo in S. C. Concilii uteretur*, & *S. C. procederèt servata substantia licet non servata forma Benedictinæ Constitutionis*. Citato igitur Religiosæ Profes-

ſionis defenſore cauſa ſub infraſcripto Dubio definienda proponitur.

Ante Concilii Tridentini tempora licebat ſane annum decimum ſextum in religioſæ Profeſſionis nuncupatione antevertere. Miſſis namque iis Eccleſiæ ſæculis in quibus effuſa erant patriæ poteſtatis jura in filiis Religioni offerendis, etiam poſtea ſolus minoris ætatis exceſſus ad monaſticam Profeſſionem ſufficiebat ut ex reſponſo *Inn. III. ad Belvacen. Epiſcopum relat. in cap. ſignificatum de Regular. & Inn. IV. in Cap.* Is qui *de Regular. in 6.* Verum Tridentini Patres *Seſſ. 25. cap. 15. de Regularib.* humanæ fragilitatis, & tepeſcentis in dies Chriſtianæ charitatis miſerati annum *decimum ſextum completum* eſſe voluerunt, antequam regularis *profeſſio emitteretur*; idque adeo enixe, *ut profeſſio antea facta ſit nulla, nullamque inducat obligationem*. Merito proinde etiam in caſu quo aliquot horæ deerant ad explendum annum decimum ſextum pro nullitate reſpondit *S. C. in Crotonen. 4. Decembris* 1627.

Sed ne incertus ſemper eſſet hominum ſtatus cum maxima Chriſtianæ Reipublicæ perturbatione, atque ex alia parte ſapientiſſime animadvertentes iidem Tridentini Patres quod illa conſilii imbecillitas, & conditionis infirmitas, quæ eos impulerat ad prorogandam monaſticæ Profeſſionis ætatem per temporis lapſum ſanari, & convaleſcere poterat ob præſumptam emiſſæ profeſſionis omologationem, prudenter decreverunt audiendas non eſſe querelas ſuper profeſſionis nullitate, etiam ſi *quiſpiam dicat ante debitam ætatem profeſſum fuiſſe niſi intra quinquennium tantum a die profeſſionis*. Quidquid porro ſit, & quibus in caſibus tanta tribui debeat, quinquennali ſilentio efficacia, ut profeſſionis invalide emiſſæ ratihabitionem inferat de quo late *Rota in celebri Mediolanen. Nullitatis profeſſionis* 3. *Martii* 1690. *coram Emerix*, quæ prius acta in S. Congregatione Concilii mox ob ſuffragiorum paritatem ad eamdem Rotam pro voto ablegata fuit.

Illud exploratum videtur quod ſi profeſſus intra idem quinquennium non æquivoca dederit renuentis animi argumenta etiam ſine judiciali forma, & apparatu, enervis tunc eſt quinquennii lapſus tamquam ſi præſumptiones ceſſent, & conjecturæ quando ipſa animi certitudo apparet *gl. in cap. tuam verbo ſignatus de privileg. Ciriac. controv. for.* 371. *num.* 25., *&* 36., *Gratian. diſcept. for. cap.* 540. *num.* 5., *Navar. de Regular. conſ.* 4. *n.* 17. *& conſ.* 28. *n.* 7. *Laſſius de juſt.*, *& jur. lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 3. *num.* 63., & 66. *Card. de Luca de Regular.*

diſc.

disc. 48. *n.* 5. *Suarez de Regular. t.* 2. *tract. de voto lib.* 6. *num.* 3. *Rota decis.* 579. *num.* 2. *p.* 2. *Recent.* , *& coram Canill. decis.* 229. *num.* 3. , *& S. hæc Congreg. in Spoletana nullitatis professionis resolut.* 29. *Nov.* 1777.

Neque vim dd. conquestionum eludunt sive delatio habitus religiosi, sive identidem fortasse exercita officia Ordinis sive susceptio Sacrorum Ordinum, qui cum non assumantur nisi ad titulum religiosæ paupertatis stare haud posse videntur sine implicita semel emissæ professionis omologatione. Nam retento semper quod hi actus aliique hujus generis nonnisi præsumptam atque interpretativam professionis ratihabitionem præseferunt, quodque tacitam voluntatem cedere expressæ necesse est præsumptionem veritati, sequitur plane ineptos eosdem in his circumstantiis esse ad inducendam irritæ professionis confirmationem *Ursaja discept.* 12. *n.* 104., *&* 105. *To.* 5. *Pignattell. consult.* 173. *num.* 76. *Tom.* 9. *Rot. dec.* 491. *num.* 18. *cor. Royas* , *& coram Pegna decis.* 1210. *n.* 4. , *& in Recent. decis.* 705. *num.* 5. *p.* 2. , *& decis.* 397. *n.* 6. *&* 533. *num.* 5. *p.* 4. *To.* 2. , *& S. C. in Policastren. resolut.* 7. *Septembris* 1726.

Itaque si ex monumentis per P. Salinas adductis satis probata EEVV. videbitur veritas Professionis ante completum annum decimum sextum emissæ, & conquestionum intra quinquennium contra eamdem Professionem factarum nihil superesse existimari poterit, cur pro illius nullitate pronunciandum non sit. Duo tamen animadversione digna sunt: Unum quod *Concil. Trid. loc. cit.* tacitam Professionem tam sæpe a Canonico jure laudatam *cap.* 1. *de Regular. in* 6. *clement. final. eodem cap. videtur de Reg.* nequaquam sustulisse videtur. Rogata enim Sac. hæc Congregatio anno 1578. in una Cremonen. de variis circa tacitam professionem quæstionibus quoad primam respondit = *Sac. Congregat. Concilii censuit tacitam professionem a decreto Concil. Sess.* 25. *Cap.* 15. , *& seq. de Regular. non esse exclusam servato tamen tempore ibi præfixo* , *& aliis concurrentibus ad tacitam professionem de jure requisitis* = Et quoad tertium Dubium an pro tacita professione necessarium esset annum decimum sextum prætergredi, & per totum annum decimum septimum ratihabitiones argumenta exhibere rescripsit = *Sacr. Congr. Concil. censuit tacitam Professionem induci in ea ætate qua potest emitti expressa ut in lib.* 2. *decret. pag.* 249. , & 250.

Alterum pacificum non esse inter DD. an hæc tacita professio statim emergat semel ac professus per annum detulit ha-

habitum indistinctum, ac annum decimum sextum explevit, vel potius alterius anni induciæ cum continuata habitus delatione requirantur. Quamvis enim ex paullo supra ablegato S. C. responso res quodammodo finita videri posset, tamen refert *Fagnan. in Cap. nullus de Regul.* semel, & iterum hanc eamdem S. C. respondisse tacitam professionem incipere ab exitu anni decimi sexti ad complementum decimi septimi; idemque confirmat in *capit. ad nostram eodem.* Non affert quidem idem auctor quibus in caussis ita senserit S. C. uti nec eam sibi opponit, quæ mox relata fuit in *Cortonen. anni* 1578., sed tamen non continuo detrahenda est fides ei qui diu fuit summa cum laude S. C. Secretarius, suffragante præsertim *Suaresio To.* 3. *de Relig. lib.* 6. *Cap.* 20.

Propterea accurate perpendendum erit in facto num ea quæ præbuit P. Salinas aversi a Religiosa professione animi argumenta utriusque antedicti temporis lapsum antevertant. Tunc enim non solum vitio nullitatis infecta erit professio expressa, sed aditus quoque tacitæ professioni aperiri haud potuisset, ut ad rem *Card. Petra in Com. ad Constit.* 9. *Sixti IV. Sect. unica num.* 20. *T.* 5. = *Ex his etenim animi declarationibus intra annum ante tacitam professionem inducendam elisa remansit præsumptio voluntatis faciendi tacitam professionem seu factam nullam ratificandi a jure inducta per permanentiam annalem in Religione, quæ fuit tantum materialis, & coacta nunquam tamen formalis, & directiva ut requiritur ad denuo profitendum tacite, & potius ex dd. actibus constat de voluntate non profitendi* = & infra allegat in hanc rem resolutionem S. C. in *Aquilana professionis* 20. *Aprilis* 1697..

Aut nihil aut leviter P. Salinas attingit, quæ hinc inde disputantur a DD. sit necessaria, nec ne scientia nullitatis expressæ professionis, ut illa quoquommodo ratihaberi queat. Et merito. Sive enim allegaret ignorantiam facti, hoc est emissæ ante expletum annum decimum sextum professionis, sive juris hoc est quod propterea ea irrita, & infecta esset, priori quidem veluti omnino in propria ætate inverosimili, secundæ vero tamquam culpabili haud facile deferre solet hæc S. C. Quinimmo cum eæ propositæ fuerint in *Neapolitana restitutionis in integrum* 1. *Decembris* 1725. Dubio quod proponebatur = *An sit concedenda restitutio in integrum in casu &c.* respondit = *Negative* = Et vicissim quando verisimilis, & inculpata ignorantia erat pro nullitate professionis rescripsit in *Aquilana professionis* 20. *Aprilis* 1697., *& in Lugdunen. restitutionis in integrum* 18. *Novembris* 1702.. Nul-

Nullitas altera ab emissa extra Conventum ad hosce actus designatum Professione auctorem habet S. M. Clementem VIII. , qui ut securior esset voluntatis probatio tutiusque Religiosae vocationis experimentum optavit tum Novitiatum tum Professionem in Conventibus strictioris observantiae peragi ; adeoque edixit , ut nulla , & infecta esset professio si eorum alterutrum extra designatosConventus perficeretur , ut ex *Decreto diei* 15. *Martii* 1596., *&* 20. *Junii* 1599. Temporibus S. M. Urbani VIII. dubitatum fuit num haec Clementina decreta quae expressam Professionem extra designatos Conventus emissam irritabant , ad tacitam quoque extenderentur . Res illa ad S. hanc Congregationem anno 1635. delata fuit : Videbatur Eminentissimis PP. sub Clementinis decretis tacitae quoque Professionis extraConventus designatos inductae nullitatem contineri ; Aliud Summo Pontifici ; Sed facile conciliata res fuit : Immota enim manente quaestione juris consultum est quieti Religiosarum familiarum , quae frequenter super hac nullitate vexari poterant , edito ab hac S. C. Congr. decreto ipsomet laudante, & approbante Summo Pontifice per quod nulla data , quoad juris quaestionem definitione statutum fuit ne post lapsum quinquennii nullitatis querelae ex capite Novitiatus exacti , & professionis emissae in Conventibus non designatis audiri amplius possent , ut ex decreto *die* 17. *Nov.* 1635. *To.* 15. *Decr. pag.* 265. , *&* 266..

Sed illae eaedem conquestiones utcumque extrajudiciales , quae labi non sinunt quinquennium a Tridentina lege statutum ad dicendum de nullitatibus per eam constitutis v. g. quoad annum probationis , quoad illius integritatem sine ulla interruptione haud permittent quoque illud excurrere quoad nullitatem a Clementinis decretis introductam ex generali regula de qua *Cyriac. controv.* 371. *n.* 36. *Rota in Recent. p.* 4. *decis.* 179. *num.* 1. , *& decis.* 307. *num.* 4. , *& part.* 2. *recen. decis.* 206. *n.* 2. , *& coram Merlin. decis.* 628. *n.* 6. . Ita ut in hac etiam nullitate quaestio redeat ad factum an scilicetP. Salinas ostendat vere contra suam professionem reclamasse , idque eo tempore praestitisse quo nulla pridem illius omologatio allegari , atque objici posset .

Facilior est de tertia nullitate indago ob interruptionem scilicet novitiatus hoc est permissam P. Salinas eo decurrente anno diversionem ad jocos aut solatia extra Conventum . Ut enim egressus è conventu novitiatum in-

terrumpat tria requiri docent DD. nempe dimissionem habitus, egressum a Monasterio, & deliberatum animum religionem deserendi, unaque ex his deficiente probationis annum non intercipi tradunt *Tamburrin. de jur. Abbat. disput.* 4. *quæst.*8. *num.*4. *Barb. jur. Eccl. leg.* 1. *cap.*44. *num.* 122. *Schimier. in jus Canon. lib.* 3. *tract.* 1. *part.*1. *cap.*3. *sect.* 3. §. 1. *de novitiatu num.* 126. Cæterum egressum e conventu cum licentia Superioris sive valetudinis causa, sive ad animi oblectamentum, sive honesta aliqua de causa non interrumpere Novitiatum docet *Fagnan. in cap. insinuante qui Clerici vel voventes num.*38., & 39. = *Prima ratio est quia nullo jure cavetur ut Novitius per annum integrum debeat semper, & continuo manere intra claustra; secunda quia Monachus ubivis locorum degat de licentia Abbatis, fingitur degere intra claustra; Tertia quia negari non potest quin Superior possit impartiri licentiam subdito suo morandi extra claustra ad tempus* = & præcedenti *num.*25. allegat in hanc rem resolutionem hujus Sac. Congregationis.

Videbunt EE. VV. cujus speciei sit intermissio illa Novitiatus quam allegat P. Salinas. Interim in memoriam EE. VV. revocare opportunum censeo facti speciem alias relatam in *Spoletana nullitatis professionis* 13. *Septembris* 1777., & a Sac. Congregatione Episcoporum & Regularium expensam atque decisam. Propositus illi Sac. Congregationi fuit casus in *Auxana nullitatis professionis* de profitente ante annum decimum sextum completum, non reclamante intra quinquennium, & in religione permanente quiete, & pacifice per annos 22.; Immo actus religionis exercuerat, professionem per schedulam renovaverat, dixeratque conscium se esse de nullitate primæ suæ Professionis. Nihilominus Sac. illa Congregatio 22. *Septembris* 1769. Dubio quod disceptabatur = *An constet de causis restitutionis in integrum* = respondit = *Affirmative* =, & denuo interrogata 22. Decembris dicti anni rescripsit = *Consulendum SSmo pro transitu ad statum præsbiteri sæcularis*.

Considerabunt præterea EE. VV. quanti faciendus sit recursus P. Salinas ad sa. mem. Clementem XIV. de quo in narratione facti incidit sermo, & an ex eo implicita resultet emissæ professionis omologatio. Pene similis aderat circumstantia in dicta *Spoletana nullitatis professionis* ut legere est in *folio ejus causæ* §. *finali*, & nihilominus pro nullitate professionis responsum fuit. An mol-

lior

lior vel durior sit casus Patris Salinas EE. VV. judicabunt.

Dubium est.

An constet de nullitate professionis in casu &c.

Affirmativè.

SUTRINA, SEU NEPESINA PAROCHIALIS. Adest Parochialis Ecclesia sub invocatione B. M. V. in Cælum assumptæ in oppido Treboniani Sutrinæ Diæcesis, quæ ex duabus coalescit Parochiis, & a duobus regitur Parochis, qui a priscis temporibus usque ad hæc tempora conjunctim in vim ut ajunt Apostolici Brevis Animarum curam exercuerunt. Hujus autem unionis causam affert in sua relatione Sutrinus Episcopus = *Destructis quippe duabus antiquis Parochialibus Ecclesiis unitæ eædem paræciæ in unica Ecclesia Sanctæ Mariæ in Cælum Assumptæ fuerunt; Parochialia autem munia conjunctim in Archipresbyterum, & Rectorem vigore, ut fertur, Apostolici Brevis, quod incendio consumptum asseritur, coaluerunt* = Et prius dixerat cl. mem. Card. Pamphilius in suo decreto edito occasione Sac. Visitationis Apostolicæ an. 1775. *Duæ antiquæ Parochiæ sic erant Pontificia auctoritate unitæ, ut in unam coaluerint, & Archipræsbyter, & Rector in solidum Animarum Curam gererent; etsi hujusmodi unionis Apostolicum Breve vel incendio, vel alia de causa deperditum desideretur.* *Sess.24.cap.13. de Reform.*

Verum hanc unionem, & modernus Archipræsbyter Berti, & defunctus Rector Nesuli privata auctoritate dissolverunt per Apocham Anni 1767., in qua conventum fuit ut quoad Sacramentorum administrationem, Curamque animarum certi unicuique assignarentur Paræciæ fines; Quo vero ad munera quæ Dei cultum Ecclesiæqua servitium spectant iis exceptis quæ primæ Classis dicuntur, omnia per turnum ab utroque exercerentur. Haud diu tamen firma stetit hæc divisionis concordia, licet a Sutrino tunc temporis Episcopo, quo consilio quave auctoritate plane non constat, adprobata. Supradictus namque Petrus Cardinalis Pamphilius anno 1775. cum in Sacra Visitatione Apostolica Diæcesim illam perlustraret divisionem prædictam *parum firmam validamque ratus de-*

crevit ut iidem Archipresbyter, & Rector pro illius adprobatione intra mensem Summo Pontifici supplicarent.

Obiit Rector Nesuli quin unquam preces pro Apostolica confirmatione porrexerit. Novus itaque Rector Bullas pristino more expedivit: At vix gubernio gregis juxta veterem consuetudinem munus admovit, obstaculum privatae illius transactionis invenit. Conquestus ea de re est cum suo Episcopo, qui re cognita seduloque perpensa transactionem illam irritam infectamque declaravit, nisi intra mensem Apostolico beneplacito confirmaretur. Lapso termino per Episcopum praestituto tunc demum Archipresbyter seu Promotor Fiscalis SSmum exoravit pro supradictae Divisionis redintegratione seu pro Paraeciae divisione; sed ablegatis a Sanctitate Sua precibus ad hanc Sac. Congregationem, duo quae infra recensentur Dubia ab EE. VV. definienda proponuntur.

Ad primum quod spectat observandum videtur novum omnino insuetumque non esse ut duo Parochi animarum Curam in solidum exerceant. Graviorem eo de quo hodie agitur esse casum expensum a Sac. hoc Tribunali in *Tyburtina Parochialis* 9. *Julii* 1757., in quo de Paraecia agebatur cui duo deserviebant Parochi, & quidem alternative diviso per hebdomadas exercitio. Quamvis porro incommoda ex dicto duorum Parochorum consortio enascentia Sac. huic Ordini exposita fuissent, nihilominus adeo solidale illud exercitium non displicuit, ut neque volita fuerit divisio illa per hebdomadas, & Dubio quod proponebatur = *An sit locus reductioni duorum Parochorum unius ejusdemque Parochialis Castri Madamae ad unum solum Parochum qui onus habeat retinendi Cappellanum coadjutorem in Cura animarum ab Episcopo approbandum*; Respondit Sac. Congregatio = *Negative, & Episcopus incumbat exerceri dietim Curam Animarum per utrumque, sublata alternativa, & ad mentem, & mens est ut fiat massa communis ex incertis emolumentis aequaliter dividendis*.

Aliunde vero hanc plurium pastorum super indiviso grege auctoritatem, & gubernium semper Ecclesia aegre, & invita quodammodo toleravit. In Affricano Concilio anni 418. expensus fuit casus quo a Donatistis ad Ecclesiae sinum rediret aliquis Eoiscopus in ea Diaecesi in qua alius jam Catholicus Episcopus fuerat subrogatus. Temperarunt ea occasione Affiricani PP. Ecclesiasticae disciplinae rigorem quem *Nicaena Synodus can.*8. invexerat, ex quo inspecto ejurantibus haeresim Episcopis Presbyterorum

honor

honor dumtaxat servabatur, noluerumtque hunc ut supra redeuntem Episcopum sine honore, & jurisdictione esse in primæva sua Diæcesi; Voluerunt immo pari honore, & jurisdictione cum subrogato Episcopo frui; sed ita *ut alia loca ad illum alia ad alium pertineant, ita ut ille dividat qui amplius temporis in Episcopatu habet, & minor eligat*, inquit Canon *relat. in cap.* 1. *de Parochiis, & alienis Parochianis*; Eamdemque Rectorum super unico grege pluralitatem improbavit Tridentina Synodus *Sess.* 24. *cap.* 13. *de Reform.*

Non defuerunt quidem Doctores qui satisfactum huic Ecclesiæ regulæ putarunt quando jus Parochiale penes unam residet personam ut ajunt formalem seu intellectualem licet hæc per plures materiales personas repræsentetur; quemadmodum feudum dignitatis licet sit individuum, & nonnisi penes unam formalem personam esse queat, nihil tamen vetat quin hæc per plures agnatos tamquam plures materiales personas unam formalem individuam representantes obtineatur. *Innoc. in cap. cum non ignores sub num.* 1. *de præbend. Host en. ibid. num.* 6. *Butr. ibid. num.* 4. *Zabarella num.* 1. *Lotter. lib.* 1. *quæst.* 20. *num.* 115., *& seqq. Rota cor. Greg. decis.* 479. *per tot.*

Sed præterquam emicat semper Ecclesiæ desiderium ut quacumque juris subtilitate postposita unusquisque Rector suum habeat peculiarem gregem, cui ipse solus præsit, & regat. Quæstio hic non est de unica paræcia quæ per plures regatur unum individuum formalem Rectorem repræsentantes, sed agitur de duabus immo Paræciis in una Ecclesia unitis quarum utraque diversa est, utraque confertur in titulum, & confusum solummodo indistinctumque habet populum, ita ut fictio illa plurium materialium personarum unam formalem repræsentantium traduci ad rem præsentem nullo modo possit.

Quoad alterum Dubium scilicet divisionem pro æquali si ea unio disrumpenda EE. VV. videatur, regula est quod res in communi possessa pro collatarum partium modo, & mensura dividenda sit, quodque non docto de inæqualitate partium ab initio immissarum ex æquo facienda divisio sit *Leg. cum pater §. Dulcissimis ff. de Legat.* 2 *Leg. in re communi ff. de servit. Urban. Card. de Luca de Parochis diss.* 33. *num.* 4. *Rota cor. Celso dec.* 286., *& dec.* 600. *part.* 5. *Recent.*

Sub involucro antiquitatis latet quid quantumque utraque Paræcia in commune quodammodo contulerit. At vicissim obscurum non esse videtur ante divisionem anni 1767. utrumque Parochum æqualiter indiviso gregi præfuisse. neque ulla hactenus exhibita fuerunt observatæ ante eam diem inæqualitatis monumenta. Coniici quinimmo potest illusum in omnibus fuisse Rectori ex iis quæ circa Ecclesiæ functiones sancita in ea divisione fuerunt. Conventum siquidem fuit quod functiones quæ primæ Classis dicuntur, tum solemniores Processiones Benedictiones candelarum, Cinerum, atque Palmarum, aliæque etiam extraordinariæ functiones ad Archipresbiterum privative spectarent, cæteræ vero per turnum ab Archipræsbitero ac Rectore peragerentur. Numquid existimare licet quod Rectoris Parochia antequam uniretur, solemniores hasce functiones non haberet, quibus vicissim non caret quantulacumque Campestris Parochia, cum licet hæc omnia inter *parochialia jura* haud recenseantur; pertineant tamen ad functiones Parrochiales, ut adveriunt *Monacell. formul. legal. tom.* 2. *tit.* 13. *formul* 1. *num.*54., & *seqq. Ursaja discept. Eccles. la.*29. *tom.*9. *part.*2.

In promptu autem esse videtur modus ineundæ ex æquo divisionis. Non solum civilia jura eam approbarunt multorum usu populorum firmatam consuetudinem ut unus dividat, & alter eligat *leg.*1. *Cod. de his qui se deferunt*, *leg.*2. *cod. Quando*, & *quibus quarta*. Sed, & Sanctissimi quoque Ecclesiæ Patres eam unanimi consensione laudarunt. *S. Ambrosius lib.*1. *de Abrahamo cap.*3. *inquit = Firmior dividat, infirmior eligat ne habeat quod conqueratur= S. Augustinus lib.*16. *de Civit. Dei cap.*20. ait = *Hinc fortassis effecta est inter homines pacifica consuetudo, ut quando terrenorum aliquid partiendum est major dividat, minor eligat* = & sequuta est Affricana Synodus de qua supra = *Ille dividat qui amplius temporis in Episcopatu habet*, & *minor eligat* = Hæc tamen regula quæ in pacifica obtinet, & extrajudiciali quodammodo divisione; quando semel ad judicem ventum est, illiusque imploratum officium haud amplius sequenda videtur, totumque illius majestati, & auctoritati relinquendum, ita post *text. in leg.* 4., & 5. *ff. famil. ercisc. leg. si duobus Cod. commun. de legat. leg.*2. *Cod. quando*, & *quibus quarta pars* §. *Si familiæ Instit. de Offi. Judicis* pluribus ostendit *Vinn. disput. jur. select. lib.*1. *cap.*34. Adeoque Episcopi judicio, & aucto-

rita-

ritati committenda esset æqualis ista divisio quatenus eam ineundam esse EE. VV. existimarent.

Dubia sunt.

I. *An sit servanda unio exercitii Curæ Parochialis S. Mariæ in Cælum assumptæ inter utrosque Parocos in casu &c.*

Et quatenus negativè.

II. *An sit locus Divisioni ejusdem exercitii pro æquali in casu &c.*

Non proposita cum sequentibus.

ALBINGANEN. ÆDIFICATIONIS ECCLESIÆ PAROCHIALIS. Insigni restauratione ab imo ad summum indigente unica qua utitur Ecclesia Populus Borgii Albinganen. Diæcesis, agnitoque quod illius reparatio grandiorem requirebat impensam scut.5000., quam ædificatio novæ in situ præterea commodiori scut.4000. non excedens, de nova constructione consilium iniit, postulavitque in eam rem, ut quoniam ad tantum opus impares sunt illius vires auctoritate SSmi D. N liceat uti in partem sumptuum hæreditate quondam Mariæ Fenocchio in pios usus relicta. *Sess.21. cap. 7. de Reform.*

Summa hæc est ultimæ voluntatis dictæ Fenocchio. Hæredem scripsit animam suam jubens assem totum [quem ad libras circiter 14900. efferri compertum fuit] in Locis Montium S. Georgii, aut Gameræ Januensis collocari: Ex reditibus bis mille librarum Januensium occurri ægrotantibus egenis Pagi; Ægroti si desint tantumdem panis distribui in pauperes in annos singulos Kalendis Maii: Ratam aliarum librarum 1600. implicari in construenda Cappella in hac ipsa fatiscente Ecclesia inscripto nomine, & cognomine suo, & de his quæ ex prædictis libr.1600. superessent emi lampadem argenteam pro usu dictæ Cappellæ: De reliqui assis fructibus solidos triginta dari singulis annis Parocho pro uno Sacrificio in expiationem Animæ suæ Kalendis Maii celebrando, & superextantes erogari in totidem Missis lectis cum eleemosyna solidorum quatuordecim. Tribus exequutoribus testamentariis per bien-

biennium quo duraturum erat eorum munus reliquit annuas libras 12. pro unoquoque; Mox Parocho, & Priori Consulum in quos transitura erat suae voluntatis executio annuas itidem libras 6. pariter pro unoquoque.
Ut populus Borgii faciliorem gratiae viam sternat pubblicis coactis comitiis renunciavit distributioni fructuum libr. 2000. erga infirmos egenos, & panis in pauperes cum eo in pago nullus sit dives nullus sit miser. Promittit aedificare Cappellam ad mentem Testatricis, ac satisfacturum alicui numero Missarum, quarum reductionem effiagitat.
Episcopus aequam censet populi instantiam. Revera quoties de restauratione agitur Ecclesiae Parochialis ante omnia inquirendum est habeat nec ne Ecclesia illa aliquam Dotem in eam causam assignatam *can.* 30. 12. *quaest.* 2. Testis autem est Episcopus ne dum hanc Dotem in casu deesse, sed etiam quod populus ad *Ecclesiae manutentionem, ac provisionem annuatim teneatur*.
Quaeritur secundo loco abundet necne reditibus Ecclesiae Rector, vel an alia adsint in eadem Ecclesia erecta beneficia, ut expresse cautum legitur *in cap. quicumque de Eccl. aedificand,*, *cap. de his eodem*, *Conc. Trid. Sess.*21. *cap.*7. *de Reform.*. Colligere autem est ex Episcopi verbis utrumque in casu deficere; Inquit enim Episcopus = *Ecclesia Parochialis nullum possidet Capitale, seu Fundum, sed ex piorum dumtaxat eleemosynis sponte oblatis annuatim pro necessario cultu sustentatur*. Et quamvis fieri possit quod ea verba de materiali Ecclesia non de formali, sive illius Rectore, & Beneficiatis accipi debeant, tamen & lubens, & spontanea populi in singulos annos contributio; deliberatio Communitatis mutuas sumendi in causam hodiernę restaurationis, seu aedificationis libras mille ultra speratas piorum eleemosynas, renunciatio Legato librarum bismille de quo supra magno argumento sunt nec Parochum, nec ullos beneficiorum Possessores adesse qui pulsari pro hujusmodi opere possint.
Ad populum deinde veniendum est, ut ex *Conc. Trid. loc. cit.*, & sequuntur *Sperell. decis.*67. *per tot.*, *Panimol. decis.*6. *annot.*9., *Ventrigl. prax. rer. Eccl. lib.*2. *annot.*18. §. *unico*. Sed populi hujus conditionem, & vires late excedit impensa quae sive ad restaurationem veteris, sive ad aedificationem novae Ecclesiae, ut supra necessaria est. *Populi vires* (sunt verba Episcopi) *longe superat praesens summa ad alterutrum necessaria*.
Quoties ea est rerum conditio, quae hactenus exposita fuit, Sac. haec Congregatio eam non raro incessit viam, ut ipsa

Missarum Legata in Ecclesiæ Parochialis levamen erogari permiserit, ut novissime *in Tudertina* 19. *Julii* 1783., in qua cum loco erogationis in eleemosynas Missarum petierit Parochus, ut suæ Paræciæ bona unirentur, proposito Dubio = *An, & quommodo Oratoris precibus sit annuendum* = respondit Sacer hic Ordo = *Affirmative celebratis Missis* 24: *quolibet anno ad formam Testamenti, facto verbo cum SSmo* =.

Ne autem insuetæ, aut immodicæ videantur Populi preces animadvertendum est ipsum quoad libras 2000. in infirmos, aut panis distributionem erogandas renunciare juri suo; quoad libras 1600. in ædificationem Cappellæ impendendas paratum esse in nova Ecclesia hanc Cappellam construere; quoad reliquas demum ex toto asse libras circiter 11300., quarum fructus in Missarum Eleemosynam implicandi essent, ultro ipsum assentiri, ut certus illi Sacrorum numerus Sac. hujus Congregationis arbitrio imponatur.

Quæritur.

An, & quommodo Oratoris precibus sit annuendum in casu &c.

AQUEN. CAPPELLANIÆ. Canonicus Guidus Badalotti Testamento suo diei 27. Novembris 1749., & Codicillis dierum 4. Februarii 1751., & 10. Decembris 1755. Laicalem Cappellaniam instituit, ac respective ratihabuit cujus activum juspatronatus reservavit duabus suis ex Fratre Neptibus, earumque Descendentibus Masculis per lineam masculinam tantum, iis vero deficientibus Prioribus pro tempore Sodalitatis sub auspiciis S. Antonii Abbatis in Aquensi Civitate erectæ: Quoadusque Patronatus activus esset penes masculos, ut supra a Neptibus suis descendentes, neminem ad passivum juspatronatus vocavit; illo vero in Priores Societatis transeunte legem eis dedit præferendi Presbyterum, aut Clericum habilem qui esset de agnatione Petri Josephi Accusani filii quondam Caroli, aut ab istis descendentem per Lineam Masculinam. Pro Cappellaniæ fundo suam assignavit hæredi-

Sess. 25. *cap.* 4. *de Reform.*

reditatem imposito futuris Cappellanis Onere duorum Anniversariorum, Missarum quinque celebrandarum a PP. S. Francisci Min. Obs., & præterea tot offerendi Sacrificia quot responderent annuis reditibus computata uniuscujusque Sacrificii eleemosyna in solidis 13., & 8. monetæ Pedemontanæ.

Quia vero suæ hæreditatis usumfructum Franciscæ Accusani Fratriæ suæ legaverat, ideo non prius quam in ejus obitu sequuto Mense Augusti anni 1781. factus est locus nominationi Cappellani. Cum ex duabus illis Testatoris Neptibus altera sine prole obierit, ex altera vero unicus superfit masculus ex masculo nempe Joachim Provenzali Orator nunc Romani Seminarii Alumnus, hinc duo iste præ sua paupertate ab EE. VV. postulat. *Primum* quod suspensa nominatione Cappellani sibi administratio redituum Cappellaniæ decernatur ea lege, ut adimpletis prius duobus Anniversariis, nec non quinque Sacrificiis a PP. S. Francisci ut supra offerendis, qui supersunt Cappellaniæ reditus bifariam dividantur, eorumque medietas sibi in alimoniæ causam durante paupertate concedatur, medietas altera in eleemosynam Missarum juxta Vota Testatoris erogetur. *Alterum* quod cum ex persona Abavi sui sit debitor erga Cappellaniam tum pro quantitate librarum 288., tum pro aliis libr. 170., & solid. 15., ab utroque præ inopia sua absolvatur.

Vicarius Capitularis utrique instantiæ adhærebat, adhæsit etiam Vicarius Generalis Episcopi in literis ab eo ad S.C. datis 7. Februarii 1786. Animadvertit enim reditus, quos habet Orator in ditione Serenissimi Sardiniæ Regis, vix efferri ad annua scut. 20., ignotumque sibi esse an alibi alia habeat bona, Tutorem vero a se interrogatum pernegare; fructus autem Cappellaniæ non excedere annua circiter scut. 22., quibus præmissis de paupertate instantis, & petitionis honestate satis liquere concludit.

Frequentissima est de quæstione in primo Dubio contenta apud Sac. hanc Congregationem disceptatio. Viam semper concessioni in titulum administrationis favore egentis patroni stravit Canonica æquitas, quæ patrono pauperi alimentorum præstationem reservavit. Solemnis eam in rem est sanctio *Toletani Concil.* IV. *can.* 38. relat. *in canone quicumque* 16. *quæst.* 7., quem Clemens III. renovavit *Cap. Nobis de Jurepatr.*. Et quamquam olim disceptatum fuerit an solis a Fundatore descendentibus tributum hoc beneficium esset., merito tamen placuit sanctionem *Canonis quicumque* licet de solis descendentibus loquentem in

sen-

sensu demonstrativo accipere, & canonicam indulgentiam ad omnes Patronos etiam extraneos a Fundatore extendere. Nonne enim jus præsentandi patronis omnibus etiam extraneis indubie competit utcumque in *Toletano Concil.* IX. *Can.* II. relat. *C. decernimus* 16. *quæst.* 7. secundam litteræ rigorem solis datum legatur Fundatoribus *Quamdiu Fundatores in hac vita superstites fuerint &c. Rectores idoneos offerant ordinandos* = ? Nonne processionis honor omnibus sine controversia Patronis non invidetur utcumque in *d. Cap. Nobis* pari passu eodemque contextu cum jure alimentorum concedatur = *Pro fundatione quoque Ecclesiæ honor processionis Fundatori servatur, & si ad inopiam vergat ab Ecclesia illi modeste succurritur* = ? Merito hinc Sac. Rota discusso plenissime articulo æquitatem *Canonis quicumque* de omnibus Patronis etiam extraneis intelligendam esse definivit *in Salernitana Alimentorum* II. *Januarii* 1712. , *& in confirmatoria* 20. *Junii ejusdem anni coram clar. mem. Card. Scotto*.

Neque vera indigenti patrono sæpe auxiliata est Sac. hæc Congreg. per concessionem administrationis, & quoties de vero Beneficio res erat cavit etiam, ut administratio esset penes Ecclesiasticam personam. Collecta in eam rem exempla videre est in Folio 20. *Maii anni* 1786. sub titulo *Asculana Dispensationis*; in eaque Causa cum quæreretur = *An, & quommodo sit consulendum SSmo pro concessione administrationis redituum trium Beneficiorum quousque nominatus perveniat ad annos* 14. *in casu &c.* = Respondit Sac. Congreg. = *Consulendum SSmo, ut attenta paupertate Oratoris committatur Episcopo Deputatio administratoris Ecclesiastici trium Beneficiorum, qui satisfactis oneribus residuum Oratori consignet usque dum nominatus ad legitimam ætatem pervenerit* =.

Quoad secundum quæstionis caput considerandum videtur hanc semper fuisse Ministrorum Ecclesiæ sollicitudinem, ne sortes, & capita fundorum minuerentur, qui pro Beneficiorum, aut piorum Legatorum Dote constituti fuerunt. Cumque e converso ad sublevandam patronorum inopiam ipsamet Sacrificiorum Onera Sac. hæc Congregatio suis in casibus suspenderit, ut in *Taurinen.* 30. *Martii* 1776., *in Massanen. reductionis Missarum* 24. *Januarii* 1778., *& in Nucerina reductionis Missarum* 6. *Septembris* 1778.. Hinc fortasse congruentius videri posset, ut ex altera medietate redituum quam in Sacrificiorum celebratione impendere Orator promittit prius redintegrentur, & in frugifera implicentur investimen-

ta, facto in singulos annos deposito, duo illa Capitalia; tum lib.288., tum libr. 170. 15., mox vero resumatur celebratio Sacrorum, redintegratis capitalibus respondentium.

Dubia sunt.

An, & quommodo sit annuendum suspensioni nominationis Cappellani, & concessioni administrationis in casu &c.

An, & quommodo sit providendum quoad debitum librarum 288., & alterum lib.170. 15. in casu &c.

Sess.7. cap.7., & Sess.24. cap. 13. de Reform.

ASSISIEN. CONGRUÆ. Quæstio de Congruæ augmento, & eleemosyna Sacrificiorum pro populo, quam adversus PP. Conventus S. Francisci Assisii excitarunt Vicarii Curati Ecclesiarum olim a suppresso Monasterio S. Nicolai de Campolongo Ordinis S. Benedicti dependentium, mox vero a San. Mem. Sixto IV. eidem Conventui una cum dicto Monasterio unitarum relata fuit in Folio Congregationis habitæ die 9. Septembris anni elapsi. Sed cum illa die ob multiplicitatem Causarum definiri ea haud potuerit, iterum proposita fuit in Congregatione diei 2. Decembris mox dicti anni. Sera productio jurium, quæ Vicarii Curati ad suæ præsidium Causæ attulerunt, fecit ut petente Conventu dilationem ad ea serio expendenda facile EE. VV. annuerint edito responso = *Dilata ad primam post proximam* =. Itaque hodie edendum est ab EE. VV. judicium.

I. *An, & in qua summa, & a quo tempore sit locus augmento Congruæ in casu &c.*

II. *An, & in qua summa, & a quo tempore præstanda sit eleemosyna Missarum pro populo in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 3. Februarii 1787. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

NON permisit negociorum multitudo, ut tres quæ infra primo loco recensentur Causæ ab EE. VV. definiri possent. Hodie itaque resumpto præteritæ Congregationis Folio placeat EE. VV. de iisdem reliquisque sex quæ subjiciuntur ferre judicium.

SUTRINA, SEU NEPESINA PAROCHIALIS. *Sess.24.cap.13. de Reform.*

I. *An sit servanda unio exercitii Curæ Parochialis S. Mariæ in Cælum Assumptæ inter utrosque Parocos in casu &c.*

II. *An sit locus divisioni ejusdem exercitii pro æquali in casu &c.*

Ad I. Negativè.

Ad II. Affirmativè, & ad mentem; Mens est, quod uterque Parochus celebret Missam pro Populo, & divisio non fiat per Familias.

ALBINGANEN. ÆDIFICATIONIS ECCLESIÆ PAROCHIALIS. *Sess.21. cap. 7. de Reform.*

An, & quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu &c.

Affirmativè, reservato onere Anniversarii Kalendis Maii a Parocho implendi cum eleemosyna solidorum triginta, & celebratis quotannis nonnullis Missis lectis arbitrio Episcopi, & cum eleemosyna ab Episcopo taxanda, & ipse incumbat ædificationi Ecclesiæ cum appositione Lapidis, & administrationi hæreditatis.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

AQUEN. CAPPELLANIÆ.

I. *An, & quommodo sit annuendum suspensioni nominationis Cappellani, & concessioni administrationis in casu &c.*

II. *An, & quommodo sit providendum quoad debitum Librarum 288., & alterum libr. 170. 15. in casu &c.*

Ad I. Affirmativè ad quinquennium juxta petita, satisfactis duobus Anniversariis, & quinque Missis.

Ad II. Affirmativè juxta modum, nempè alteram medietatem erogandam esse in reintegrationem Cappellaniæ; donec extinguantur integra debita, celebratis tribus Missis in singulos annos, facto verbo cum SSmo.

Sess. 7. cap. 7., & Sess. 24. cap. 18. de Reform.

ASSISIEN. CONGRUÆ.

I. *An, & in qua summa, & a quo tempore sit locus augmento Congruæ in casu &c.*

II. *An, & in qua summa, & a quo tempore præstanda sit eleemosyna Missarum pro Populo in casu &c.*

Ad I. Affirmativè ad formam Bullæ Pianæ a die motæ Litis juxta liquidationem faciendam coram Emo Præfecto, & amplius.

Ad II. Negativè in omnibus, & amplius.

Sess. 23. cap. 1. de Reform.

TYBURTINA RESIDENTIÆ. Instantia Parochi Ciucci qui attentis suæ Pareciæ circumstantiis ab amplissimo Ordine declarari postulabat haud teneri ipsum intra Paræciæ ambitum residere expensa, & definita fuit in Congregatione diei 29. Julii superioris anni. Dubio itaque quod ea de causa propositum fuit = *An Parocho Joanni Baptistæ Ciucci liceat habitare in Domo paterna in casu &c.* responsum fuit = *Negative juxta modum, nempe præfigatur ab Episcopo congruus terminus Parocho ad restaurandam Domum Parochialem, quo elapso in ea habitare teneatur* = Postulavit continuo Parochus Ciucci facultatem denuo experiendi jura sua adversus latum semel judicium

dicium; Denuo itaque proponitur ſub infraſcripto Dubio Cauſa de qua reſumpto audientiæ Congregationis folio EE. VV. ſententiam dicent.

An ſit ſtandum vel recedendum a deciſis in caſu &c.

In Deciſis, & amplius.

NARNIEN. SERVITII CHORI. Cum in Sacra Viſitatione diei 18. Septembris 1780. vidiſſet Narnienſis Epiſcopus in duabus Collegiatis Eccleſiis Terræ Stronconii, altera ſub invocatione S. Michaelis Archangeli, altera S. Nicolai divinum Officium haud integre perſolvi, ſed hoc dumtaxat ſolemnioribus Feſtis impleri, reliquis vero per annum Feſtis diebus Canonicos Miſſæ Cantatæ, & recitationi Veſperarum, & Completorii intereſſe, edicendum eſſe cenſuit decreto ſuo, ut omnibus diebus feſtis, temporibuſque Quadrageſimæ, & Adventus integrum Officium a Canonicis perſolveretur indicta pœna unius auri in pios uſus applicandi contra eos, qui dicto audientes non fuiſſent. Cumque in viſitatione altera diei 21. Septembris 1783. haud paruiſſe Canonicos animadvertiſſet eamdem legem denuo ſancivit pari decreto, ſed aucta pæna ab uno ad duos aureos. *Seſs. 24. cap. 12. de Reform.*

Querelas contra hæc decreta Canonici utriuſque Collegiatæ ad hanc S. C. detulerunt, auditoque prius de more Epiſcopo ſuper Canonicorum precibus inſtantia in Folio deſcribitur. A tribus autem capitibus Epiſcopalium decretorum errorem dd. Canonici repetunt: *primo* quia utraque Eccleſia non ſit vere, & proprie Collegiata; *ſecundo* quia ea etiam Collegialitate ſuppoſita immemorabili conſuetudine invectus ſit is ſervitii modus quem ipſi hactenus præſtiterunt; *tertio* quia tanta ſit Canonicatuum tenuitas, ut impoſitum ab Epiſcopo onus ferre omnino non poſſint.

Primum quod attinet; oppido clamant, nullum aliud adeſſe prætenſæ hujus Collegialitatis argumentum, quam veterem nuncupationem a vulgi fortaſſe opinione frequentique uſu loquendi profectam: Id autem eo credibilius eſſe quod de parvo agitur Loco in quo inveriſimile eſt nedum unam

unam sed duas immo erectas fuisse vere, & proprie Collegiatas Ecclesias *Card. de Luca de benef. disc.* 59. *num* 5. *Rota in Ponsanien. Parochialis* 1. *Julii* 1757. §. 9. *coram clar. mem. Card. Bussio*.

At ea etiam supposita, immemorabilem consuetudinem proferunt Canonici pro eo retinendo divini servitii modo, quem hactenus observarunt. Plures dant testes eosque aetate grandaevos, qui de utraque Collegiata loquentes ajunt *non essere a memoria d'uomo stato mai solito, e costumato, che li rispettivi Canonici di essa Collegiata abbiano recitato in Coro tutto l'Ufficio Divino in tutti li giorni festivi di precetto ed in tutto il tempo dell'Avvento, e della Quaresima, nè abbiamo inteso dire dai nostri vecchi antenati essersi da essi mai costumata tale ufficiatura, la quale noi stessi abbiamo veduto, e sentito dai nostri antenati, che si è esercitata sempre come al presente si esercita*.

Quinimmo ex antiquis punctaturarum libris quoad Collegiatam S. Archangeli ab anno 1610. incipientibus, quo vero ad Collegiatam S. Nicolai ab anno 1726. apparent quidem descriptae punctaturae pro Missa cantata, Vesperis, & Completorio in diebus festis, pro integro officio in solemnioribus festivitatibus, & triduo Majoris hebdomadae, nunquam tamen pro eodem integro officio quibuscumque diebus Festis. Idemque praesupponunt Pastorales Visitationes anni 1658. quoad dictam utramque Collegiatam, & 1694. quoad Ecclesiam S. Archangeli, atque iterum diei 7. Maii 1719. quoad dd. ambas Collegiatas. In Collegiatis autem, quae insignes non sunt eam esse immemorabilis consuetudinis vim, ut excusare a residentia queat, adeoque multo magis a psallendo in Choro ex sententia Sac. hujus Congregationis testatur *Fagnan. cap. cum omnis de constit. num.* 31. = *Sanctitas Sua putavit quod visum est Congregationi ut scilicet quando Ecclesiae non sunt insignes immemorabilis consuetudo non residendi excusat Canonicos a residentia* =.

Paupertatem tertio loco ostendunt Canonici utriusque Collegiatae eamque talem, ut collectis in unum acervum tum massae communis, tum praebendarum reditibus, atque alia ex parte consideratis oneribus sive communibus, sive particularibus aut nihil supersit, aut expensae superent reditum. Quo praesupposito imponi sibi ipsis non posse concludunt onus servitii durioris eo quod hactenus praestiterunt teste *Card. Petra ad Const. Apost. in Const. VII. Innoc. IV. num.* 28. = *In Collegiatis autem non insignibus licet*

licet regulariter Canonici pariter teneantur ad assiduum servitium Chori, tamen ex triplici limitatione ab eo absolvuntur, nempe si aut Ecclesiæ sint rurales aut si adsit contraria immemorabilis consuetudo, aut demum adeo tenues sint reditus ut Canonici ali non valeant, quæ limitationes sufficit si concurrant alternative =.

Definiendum est.

I. *An decreta Episcopi Narniensis lata in Visitatione dierum 18. Septembris 1780., & 21. Septembris 1783. sint exequenda.*

Et quatenus affirmativè.

II. *An, & quomodo sit locus reductioni onerum in casu &c.*

Non proposita cum sequen.

MACERATEN. DISPENSATIONIS. Instituit anno 1697. Borromæus Accursi in Terra Montis Milonis quatuor laicales Cappellanias, & unum Rectoratum in Ecclesia a se extructa in dicta Terra sub titulo Immaculatæ Conceptionis, & expresse cavit ne quis aliquam ex dictisCappellaniis aut Rectoratum possidere posset, & insimul frui aut altera ex eisdem Cappellanis, aut ulla ex iis quæ erectæ erant in alia Ecclesia S. Blasii, idque ut frequentior esset in eadem Terra Sacerdotum numerus = *Ogni Cappellano di S. Biagio che sia eletto della mia Chiesa non rinunziando quella di S. Biagio in termine di tre giorni voglio che si elegga altro, e ciò ad effetto che sia maggior numero di Sacerdoti in Monte Milone* = & infra = *Sempre ed in perpetuo venga nominato Rettore o sia Cappellano un Sacerdote di esemplari costumi, mai semplice Chierico nè forastiero, nè Cappellano della mia Chiesa, e molto meno di S. Biagio se questo prima non avrà rinunciato la Cappellania* = *Sess. 24. cap. 7. de Reform.*

Nupere Antonius Assortati Canonicus Ecclesiæ S. Blasii ad Rectoratum antedictæ Ecclesiæ Immacnlatæ Conceptionis ab exequtoribus testamentariis aliisque patronis nomina-

natus fuit nactusque est ejus Rectoratus possessionem. Praenosse autem necesse est mox dictam Ecclesiam S. Blasii post testamentum Borromaei Accursi Collegiatae honore decoratam fuisse, & illius Cappellanos renunciatos fuisse Canonicos. Ut autem illustrior esset haec Collegiata assensa est Communitas Montis Milonis ut quoddam Beneficium seu Cappellania suburbanae cujusdam Ecclesiae sub invocatione Sanctissimae Trinitatis in Canonicatum erigeretur. Putavit ergo Canonicus Assortati vetitum sibi non esse cum dictoCanonicatu Rectoratum quoque Ecclesiae Sanctissimae Conceptionis retinere quia Canonicatus quem ipse possidebat ex iis non manabat Cappellaniis quae in Ecclesia erant S. Blasii, & quas testator prohibuit ne simul cum suis Cappellaniis aut Rectoratu possiderentur. Tanto autem securius quia Sacerdos Bulgarini unus ex Cappellanis a Testatore nominatis, & dictam Cappellaniam, & Beneficium Sanctissimae Trinitatis sine contradictione retinuit.

Aliud tamen censuerunt exequutores testamentarii caeterique patroni qui per Monitorium coram A. C. expeditum diem illi dixerunt ut alterutro carere deberet; Mox vero eosdem introductae litis ejusque sumptuum quodammodo paenituit; precibus enim a Canonico Assortati oblatis quibus jura sua captamque bona fide possessionem late prosequutus est, & quibus petiit ut saltem assentirentur dispensationi quam ut res esset in tuto ipse a Sanctissimo D. N. petiturus erat; Auscultarunt patroni, lubentesque annuerunt impetrando Apostolico Beneplacito. Illud ergo postulavit a Sanctissimo D. N. Canonicus Assortati, cumque preces ad hanc S. Congregationem fuerint ablegatae, sit nec ne consulendum Sanctissimo ut postulatam dispensationem elargiri dignetur sub infrascripto dubio expendendum est.

Si finis attendatur ad quem testator respexit tum cum hanc incompatibilitatis legem constituit ut scilicet numerosior esset Clerus in Terra Montis Milonis res continuo contra Assertatum decidenda videretur. Disputatum alias fuit, an hae Cappellaniae possideri simul possent cum Praepositura S. Blasii, resque dubia videbatur quia de Cappellaniis S. Blasii non de Praepositura ejusdem Ecclesiae loquutus fuerat testator. Attamen S. Rota ad quam delata ea quaestio fuit inspecta finis amplitudine pro incompatibilitate sensit ut *in Maceraten. Rectoriae* 14. *Aprilis* 1738. *coram cl. mem. Card. Elephantutio* §. 23. = *Haec parum contorsit*

DD.

DD. ingenia ut sibi suaderent, voluntatem fundatoris expressam in Cappellaniis S. Blasii eamdem fuisse in Præpositura ejusdem Ecclesiæ, statim ac ratio quæ fundatorem impulit ad statuendam dictam incompabilitatem non minus aptatur Cappellaniis S. Blasii quam Præpositurae, quia dijudicando in mente fundatoris Præposituram compatibilem cum Cappellaniis Sanctissimæ Conceptionis distrueretur voluntas fundatoris non cumulandi unam & alteram Cappellaniam in una eademque persona exclusivam majoris numeri Sacerdotum in Terra Montis Milonis, quæ fuit causa finalis demandatæ incompatibilitatis.

Verum alia ex parte sese offert animadversio, quod generalior amplitudo finis operari quidem posse videtur, ut designata a testatore species ad alias sub eodem genere contentas extendatur, prout in casu in S. Rota discusso a Cappellaniis S. Blasii ad Præposituram ejusdem Ecclesiæ, numquam vero ut ad alia transgrediatur genera ita ut fundator incompatibilitatem sanxisse censendus sit cum Cappellaniis cujusvis alterius Ecclesiæ de quo ille non cogitavit & cujus non meminit *ad text. in l. qui actum ff de negot. gest. l. qui Sella §. qui actum ff. de servit. rust. præd.*

Accedit tenuitas redituum Cappellaniæ sub invocatione SS. Trinitatis quæ modo in Canonicatum S. Blasii transmigravit, quam plane tenuitatem Canonicus Affortati patronis exposuit occasione precum ab eo iisdem porrectarum de quibus supra; Observantia fundationi proxima in eo qui a testatore fuerat ad Cappellaniam Sanctissimæ Conceptionis nominatus, simulque retinuit Cappellaniam alteram sub invocatione Sanctissimæ Trinitatis de qua pariter supra, quæ æquitatem dispensationis suadere videntur *Bald. in l. cum Servo num. 2. ff. de Off. Quæst. Rota p. 2. divers. decis. 256. in fine*, & *coram Seraphino decis.* 478. *num.* 2.: Judicium denique Episcopi qui attenta litis ambiguitate, bona fide Oratoris, legitima præsentatione concludit videri sibi = *Posse eidem benigne indulgere, ut utramque præbendam retineat ad dirimendas præsertim lites, quæ in parvis oppidis animorum indignationem non raro solent excitare.*

Quæritur.

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu &c.

Seſſ.25. cap.4. de Reform.

FIRMANA CAPPELLANIÆ. Laicalem Cappellaniam in oppido Montis Sancti fundavit anno 1679. Sacerdos Spiritus Spiriti, quam actu Sacerdoti deferri voluit præſtituto eidem certo Sacrificiorum onere, & data nominandi Cappellaniam poteſtate Plebano Parochialis Eccleſiæ S. Michaelis Montis Sancti, ſin autem quandocumque ea Plebania in Collegiatam erigeretur, nominari Cappellanum voluit a Sacerdote Seniore Montis Sancti, oriundo dictæ Terræ, in eaque habitante.

Cæteras inter pactiones fundationis una eſt quæ hodiernæ controverſiæ cauſam præbet. Voluit enim = *Che il Pievano pro tempore, ed il ſuddetto Sacerdote più anziano reſpettivamente poſſano liberamente e ſenza causa alcuna a loro arbitrio rimovere dal ſervizio il Cappellano ſenza eſſerne obbligato a render conto ad alcuno fuorchè a Dio ed alla propria coſcienza*.

Ex uſus facultate Canonicus Pierandrei oppidanus, & incola Montis Sancti ſeniorque Sacerdos (jam enim a longo tempore Plebania in Collegiatam erecta fuit) actualem Cappellaniæ a duodecim annis poſſeſſorem Canonicum Canepini removit; qui id inique ferens querelam ad hanc S. C. detulit a qua poſt Firmani Antiſtitis relationem Canonico Canepini faventem definiendum erit infraſcriptum Dubium.

Ait porro Canonicus Canepini non uſque adeo ampliandum eſſe removendi arbitrium ut illud etiam obſervari debeat quando non deſit in utente ſuſpicio odii aut malitiæ *Corrad. in prax. benef. lib. 1. cap. 6. num. 276. Rota coram Cavaler. deciſ. 72. num. 3., & p. 1. diverſ. deciſ. 578. numer. 2., & 3.* Multoque magis quando fundator ad *conſcientiam* utentis appellavit *Lotter. de re benefic. lib. 1. quæſit. 33. n. 32.*

Ex odio autem, & malitia ad hanc deveniſſe remotionem Sacerdotem Seniorem Canonicum Pierandrei liquere ex luculento Archiepiſcopi teſtimonio. *Non equidem* (ſunt verba laudati Antiſtitis) *remotio de qua agitur habuit initium ex adductis cauſis quæ modo ad opportunitatem fuerunt excogitatæ ſed ex odio, & infenſo animo Sacerdotis Senioris derivavit. Sciant enim EE. VV. quod eo tempore quo fuit Orator nominatus, Cappellaniam obtinere petiit idem Sacerdos Senior. Sed cum voti compos tunc non evaſerit, id ægro animo tulit, ut Oratorem ipſum removere fuerit meditatus ubi ſibi qua ſeniori jus devolveretur, prout egiſſe revera conſtat* =

Quin

Quin, & illud accedere animadvertit quod ipse a duodecim annis hanc Cappellaniam possidet, quod omnes illius antecessores eamdem ad obitum usque retinuerunt, quod extemplo, & nullo præmisso urbanitatis officio rejectus ipse fuit, quæ omnia ex informatione liquent Archiepiscopi qui præterea addit = *Is ulterius fuit remotus qui oppidanus est*, & *optimis præclarisque moribus inbutus &c. qui de fundis ad Cappellaniam spectantibus ob expleta quamplurium melioramenta est optime meritus*.

Concludit denique Canonicum Pierandrei vel nolentem fateri debuisse ex pravo animo occultoque odio ad hanc devenisse remotionem. Urbanissime enim ab Archiepiscopo requisitus ut causas aperiret, primum restitit, mox eas edidit quæ per se levissimæ erant, & quibus ita abunde satisfecit Canonicus Canepini ut Archiepiscopus referre non dubitaverit in hæc verba = *Sed ni fallor res esse expiscatæ videntur, & ejus equidem naturæ ut pro pallianda injuria opportune fuerint adinventæ* = In his porro circumstantiis non de æquo retInendoque arbitrio agi sed de manifesto semperque improbato arbitrii abusu *Menoch. de Arbitr. lib.* 1. *quæst.* 48. *per tot.*, & *quæst.* 55. *num.*5., *Rota decis.* 882. *num.*20. *cor. Merlino*, & *decis.*1236. *num.*13. *cor. Lancetta*.

Quid ad hæc reponat Canonicus Pierandrei incompertum est cum ejus jura delata hactenus non fuerint. Cæterum pacifica non est inter DD. traditio illa quod si nullam allegat causam is qui dato sibi arbitrio ad nutum removendi utitur hoc ipso ex malitia, ex odio agere videatur. Ad rem *Piton. de controv. patr. alleg.* 100. *num.*41. = *Circa vero odium vel malitiam ex qua procederet remotio cavendum est ab auctoritate Lotter. de re benef. dicentis quod ubi remotio fit sine ratione, & causa, adesse dicitur malitia ex parte removentis. Etenim in amovibilibus ad nutum hodie certissimi juris est nullam requiri rationem aut causam quia stat pro ratione voluntas in dependentibus ab arbitrii nostri libertate, & stat simul remotionem fieri sine ratione aut causa, & tamen non procedere ex malitia quia scilicet removens vult uti jure suo ubi nemini injuriam facit*.

Sed præter quam causas tandem removendi allegavit Canonicus Pierandrei, & eas quidem judicio sui Ordinarii ineptissimas, ex ipsis mox allegatis laudati Doctoris verbis patet disputari quidem, & ambigi posse num is qui nullam allegat removendi causam statim ex malitia aut odio

odio procedere censendus sit; At nullam oriri dubitationem quod si malitia, & odium aliunde emergat, & probetur absurdus hic concessi arbitrii abusus ferendus atque in judicio laudandus non sit, *Rota cor. Cavaler. dec.* 72. *num.* 5. = *Et licet alias Rota secuta fuerit eam opinionem ut in manualibus amotio fieri possit etiam sine causa, id tamen intellexit si non subsit causa malitiæ aut præsumptio odii* = *& cor. Peutinger. decis.* 15. *num.* 39., & *decis.* 53. *num.* 107.

Dubium est.

An sit servanda remotio Canonici Josephi Canepini a Cappellania sub invocatione Spiritus Sancti seu potius idem Canonicus Canepini sit redintegrandus in casu &c.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

URBINATEN. TRANSLATIONIS MISSARUM. Ultimo cum quo decessit testamento die 8. Aprilis 1758. Sacerdos Joseph de Benedictis Lauretanæ Basilicæ Canonicus duos, quos habebat fratres hæredes instituit. Onus autem imposuit *di far celebrare Messe cento ogn'anno perpetuamente finchè durerà il Mondo nell' Oratorio o sia Chiesa rurale sotto il titolo di S. Marina spettante alla mia Casa, eretto nella mia possessione in contrada Cal-Conte nelle pertinenze di Urbino secondo la mia intenzione, ed in suffragio de' morti ed in salute de' vivi miei congiunti; Con che però in occasione della solita Sagra Visita pastorale debbano render conto del totale adempimento di dd. Messe.*

Tres ex prædd. hæredibus descendentes hodie supersunt Joannes Baptista, Benedictus, & Cosmas; Totam hi inter se diviserunt hæreditatem; Primus Matrimonio junctus in patria mansit, Benedictus in Paræciam Montis Albani secessit, alter in Parecia S. Martini in Mondarello incolatum elegit. Cum bonis, & onera diviserunt; triginta tres proinde Missæ celebrandæ Joanni Baptistæ obtigerunt, 42. Benedicto, reliquæ 25. Cosmati.

Duo hi ultimi Benedictus & Cosmas petunt transferri a præscripto loco Missarum celebrationem, quia hanc malo fert animo Joannes Baptista frater penes Oratorium resi-

residens, quia Oratorium hoc in rurali deserto jacet, quia sæpe frustraretur Legati implementum recusante Cappellano ab eis delegando inter nives, glacies, procellas, nec non ob itineris difficultatem munus exequi suum. Hinc petunt ab hac Sac. Congregatione ut eis liceat dd. Sacra celebrare in Ecclesia Montis Albani cujus Archipresbyter ultro oblatam occasionem acceptaret; immo eidem offerunt unica solutione sc. 240. investienda pro dote dicti Legati: Assentitur frater alter Joannes Baptista, approbat, & commendat Archiepiscopus qui hoc modo plenius consultum iri refert suffragio testatoris cum in Archipresbyterali Ecclesia adsit Altare privilegiatum, & provisumiri quoque eidem Archipresbytero qui in dies eleemosyna Missarum caret.

Certum plane est divina officia ea in Ecclesia vel loco esse celebranda, in quo Testator demandavit *Pasqualig. de Sac. N. Leg. quæst.* 1139., & nonnisi ex verisimili voluntate disponentis, & necessaria aut justa causa impellente ab eo jure disceditur. *Conc. Trid. Sess.* 22. *c.* 6. *de Ref.*, & *pridem dixerat Sextus in cap. exposuisti* 33. *de Præb. & Dignit.*

Rigidius autem in harum causarum disquisitione procedit S. C. si viderit certam a testatore designatam fuisse Ecclesiam, vel quod in ea tumulatum sit disponentis cadaver, aut quod testator respexerit ad circumjacentis populi commoditatem. *Ricc. in prax. part.* 4. *resol.* 69., *March. de Sacr. Ord. tract.* 3. *part.* 2. *c.* 24., *Pax. Jordan. tom.* 1. *var. resol. leg.* 4. *tract.* 1. *de Sac. Miss. n.* 540., *Navar. in manual.* §. 25. *num.* 134., & *Sacra Congregatio in Comen.* 15. *Sept.* 1764., *in Lucana* 28. *Julii* 1781., *in Firmana* 3. *Aug.* 1782.

Mollius autem, & benignius si solum animæ suæ suorumque suffragium testator consideraverit, ut innuere videntur quæ superius relata sunt verba; & alia in Ecclesia sepultus fuit, ut in casu, Testator: Eodem enim modo Testatoris animæ suffragantur Sacra in uno aut altero loco celebrata, *Pasqualig. de Sac. N. leg. quæst.* 1149. *n.* 9. *Gratian. discept.* 73. *num.* 5. *Sac. Cong. in Comen.* 15. *Septemb.* 1764. *in Uxentina* 13. *Jan.* 1748. *in Interamnen.* 19. *Julii* 1777.

Transferendi causæ hæ sunt referente Archiepiscopo; Quod non perviderit testator hanc familiæ suæ divisionem; Quod Oratorium hoc in deserto loco jaceat; Quod Cappellanus sæpe ingruentibus frigore, nivibus, glacie, addi-

additaque itineris difficultate deerit muneri suo; quod uberius suffragium assequetur defunctus a celebratione in Ecclesia Archipresbyterali; quod ita quoque hujus Ecclesiæ Archipresbitero eleemosynis Missarum carenti consultum erit; quod assentitur frater alter prope Oratorium degens. Nihil habet Archiepiscopus quoad circumstantes familias quibus ea Missarum celebratio in præscripto Oratorio perutilis esse queat.

Quæritur.

An, & quomodo sit locus translationi in casu &c.

Die

Die Sabbathi 3. Martii 1787. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

QUatuor priores ex ordine ſequentes Cauſæ proponi non potuerunt in poſtrema Congregatione diei 3. elapſi Februarii. Reſumere igitur dignentur EE. Veſtræ jam diſtributum Folium, eaſque aſſueta maturitate definire.

NARNIEN. SERVITII CHORI. *Seſs. 24. cap. 12. de Reform.*

I. *An Decreta Epiſcopi Narnienſis lata in Viſitatione dierum 18. Septembris 1780., & 21. Septembris 1783. ſint exequenda in caſu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An, & quomodo ſit locus reductioni onerum in caſu &c.*

Dilata, & ſcribatur juxta mentem; & mens eſt, quod Epiſcopus certioret Sac. Congregationem de qualitate Collegiatæ utriuſque Eccleſiæ, & de Reditibus ſingulorum Canonicatuum.

MACERATEN. DISPENSATIONIS. *Seſs. 24. cap. 7. de Reform.*

An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro diſpenſatione in caſu &c.

Iterum proponatur.

FIRMA-

Sess. 25. *cap.* 4. *de Reform.*

FIRMANA CAPPELLANIÆ.
An sit servanda remotio Canonici Josephi Canepini a Cappellania sub invocatione Spiritus Sancti, seu potius idem Canonicus Canepini sit reintegrandus in casu &c.

Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Sess. 22. *cap.* 6. *de Reform.*

URBINATEN. TRANSLATIONIS MISSARUM.
An, & quomodo sit locus translationi in casu &c.

Dilata, & scribatur juxta mentem; & mens est, quod Archiepiscopus referat, utrum translationi Missarum consentiat pro sua portione tertius Frater Joannes Baptista: an Missæ inserviant Incolarum commodo, diebus præsertim Festis; nec non de Loci distantia, & difficultate, ob quam non inveniantur Sacerdotes, & an Oratorium sub titulo S. Mariæ situm sit intra limites Paræciæ Montis Albani, ad quam transferri petitur celebratio Missarum.

Sess. 7. *cap.* 7. *& Sess.* 25. *cap.* 9., *&* 16. *de Reform.*

PAPIEN. DISSOLUTIONIS UNIONIS, ET PROVISIONIS. Adeo olim curata Præpositura S. Petri Cillaveniæ in spiritualibus, & temporalibus collapsa erat, ut *Ecclesia ipsa S. Petri Parochialis Ecclesiæ nomen omnino amisisset*, nisi Dominicani Patres Vigevanensis Conventus S. Petri Martyris in excipiendis Confessionibus, aliisque Divinis peragendis Officiis adfuissent. Eam igitur Sanctus Pius V. per Apostolicas Litteras incorporavit anno 1568. Dominicano ipsius Cillaveniæ Cœnobio, in quo Vigevanenses illi Patres unum retinebant Alumnum, voluitque, ut Animarum Cura exerceretur = *per aliquem ex d. Domus S. Petri Fratribus, vel alium, seu alios ab eis deputandos, & ad eorum nutum amovibiles, per Ordinarium approbandos* =.

Diu alter ex Dominicanis Individuis in Parochum eligi consuevit. At post suppressum, ob deficientem Religioso-

rum

rum numerum, Cillavenicæ Cœnobium ex notissima San. Mem. Innocentii X. Constitutione *Instaurandæ*, a PP. Dominicanis deputati ad hæc tempora fuerunt in temporaneos Vicarios Presbyteri seculares. Perpetua cum his apud Archiepiscopum Episcopum Papiensem, & Sac. hanc Congregationem contentio fuit sive de tenuitate Congruæ, sive de reparatione Parochialis Ecclesiæ, sive de augmento eleemosynæ in celebrationem Missæ pro Populo, sive de Cappellano adjutore. Omnium tamen gravissima est quæstio, quam Cillaveniensis modo Populus adversus Dominicanos Patres instituit. Ex hoc namque, quod ex parvo quatuorcentum Animarum numero ad bismille, & amplius creverit, optimoque nunc abundet Clero, restituere contendit Parochiam in pristinum secularis Parochi statum.

Rem *SSmus D. N.* prævia Vigevanensis Episcopi Informatione, ad Sacram hanc Congregationem cum clausula *de aperitione oris* ablegavit, auditoque deinde Archiepiscopo Episcopo Papiensi, ac Proc. Generali Ord. Prædicatorum, quatuor concordata sunt Dubia ab EE. Vestris definienda. Populo favet Episcopus Papiensis; jamque evenisse censet casum, quo Parochiæ unio dissolvi debeat. Vigevanensis contra Episcopus, a cujus sententia non multum Procurator Generalis discedit, in perpetuum a temporaneo transmutandum autumat Dominicanorum Vicarium, aucta Congrua.

Primum igitur quæritur de aperitione oris adversus Apostolicas Litteras S. Pii V., non ex subreptionis, & obreptionis capite, sed ob superventam, ut Cillaveniensis sustinet Populus, justam dissolvendæ unionis causam. De hac tantum agunt Preces *SSmo* porrectæ, Precibusque consentanea videtur Causæ delegatio sub clausula *de aperitione oris*. Ideoque a justitia, vel injustitia petitæ dissolutionis, de qua secundum agit *Dubium*, pendet fortasse resolutio primi. Ex his porro justam dicit Populus dissolvendæ unionis causam. Prisca illa S. Pii V. ætate ex Animis constabat 400.: unum nunc, & alterum excedit millesimum. Vix tres eo tempore, aut quatuor indocti Sacerdotes Cillaveniensem Clerum constituebant: triginta modo, & ultra sunt ad Curam Animarum aptissimi. Dominicani tandem Patres Domum Cillaveniæ habebant, in qua unus saltem continuo morabatur Alumnus: nunc = *in vim Bullæ Innocentianæ neque habitant, neque habitare valent in eorum Domo sita in eodem Loco, quæ præterea est fere rui-*

nosa, *sicuti fere diruta est eorum Ecclesia ibi existens* = & quidem cum gravi incommodo Populi = *quum verus Pastor illius Populi sit Conventus*, *vel Prior prædicti Conventus*, *nec Pastor ejus Ovium*, *nec Oves faciem ejus Pastoris videant*, & *multo minus vocem ejus audiant* = ut hisce verbis monet Papiensis Episcopus.

Ita mutato rerum statu juxta videri potest unionis dissolutio per *Text. in Cap. Suggestum de Decim.*, quem sequitur *Gonzal. in Comment. ad decretalem Epistolam Cælestini III. datam ad Faventinum Episcopum*, & *relatam in Cap. Sicut unire de Excess. Prælat. numer.* 9., Attenta potissimum hodierna Cillavenienlis Municipii qualitate, ejusque Populi frequentia. Nonnihil enim ei detractum videtur, si proprii Parochi honore fraudetur; quo vicissim in antiquo rerum statu non indecore carere poterat, ut ad rem notant, *Rebuff. in Prax. Benefic tit. de union. revocat. num.* 1., & *seqq.*, *Francesf. de Eccles. Cathedral. cap.* 8. *num.* 48., *Rigant. ad regul. Cancell. regul.* 22. *num.* 82. *fol.* 2., *Reclus. de Paroch. part.* 1. *tit.* 2. *num.* 103.

Plura tamen ad hæc animadversione digna Dominicani. Gravissimam quærunt causam, cur privari debeant Pontificio privilegio, quod = *decet esse mansurum* = per *Text. in Cap.* 16. *de Regul. Jur. in* 6., eoque privari post diuturnam, accuratamque administrationem Parochiæ per idoneos sive regulares, sive seculares Vicarios, de quibus, si unum excipias, nulla unquam per duplex Seculum fuit conquestio. Auctos ostendunt Parochiæ Reditus; & adhuc durare ajunt finalem unionis causam, remunerationem scilicet assidui laboris, quo Divina olim Vigevanenses Patres ministrarunt Cillavenienſi Populo, ac Parochialem sustinuerunt Ecclesiam, quæ alias = *Ecclesiæ nomen omnino amisisset* = Neque comparandum concludunt simplicem proprii Parochi honorem, quem invido forsan animo Populus appetit, cum gravi Dominicanæ Familiæ dedecore, quæ non sine aliqua turpitudinis nota Parochia privaretur, ad monitum *Text. in Cap. Etsi Christus de Jurejur.*, quem exornant *Zeller. consil.* 25. *num.* 16., & 17., *Otter. de Official. Cap.* 13. *num.* 31. & *Rot. cor. Larrea decis.* 2. *num.* 9.

Si unionem vero servare placeat, videndum est *tertiò*, qua ratione consulendum sit manutentioni Parochi, & Parochialis Ecclesiæ Cillavenlæ. Ultro Dominicani Patres assentiuntur, ut e temporaneo, & ad nutum amo-

vibili

vibili perpetuus fiat Vicarius, ad nominationem tamen Conventus S. Petri Martyris Vigevani; atque id ipsum Vigevanensis proposuerat Episcopus, probaveratque Procurator Generalis Ordinis. Dissentiunt vero a Populo circa Congruam Vicario assignandam. Concedunt ipsi annuam summam scutorum 60., præter incerta emolumenta, & antiquam eorum Domum, *oneribus tamen omnibus penes Vicarium ipsum*, & *Parochianos remanentibus*. Populus vero, & Communitas Cillaveniæ ampliandam esse dicunt Congruam ad scuta 100., ad majorem scilicet summam designatam ab ipsomet S. Pio V. in *sua Constitutione* 87. *relata in Bullar. Cherub. tom.* 3. §. 1. & 2. Ideo autem eligendam esse inquiunt ampliorem hanc taxam, quia de copioso agitur Animarum numero, & quia id patitur Parochialis Mensæ opulentia. Unionis enim tempore ascendebant annui ejus Reditus, ut Apostolicæ testantur Litteræ, ad scuta 175. Nunc Episcopi Papiensis, ac Testium dicto scuta excedunt 300.; quo in casu pinguiorem dandam esse Congruam docent *Tondut. de Pens. Cap.* 8. *num.* 2., *Gratian. discept. forens.* 399. *num.* 3., & *Rot. in Nuperr. decis.* 47. *num.* 8. *tom.* 8.

Neque æstimanda videntur incerta emolumenta, de quibus S. Pius V. rationem habendam esse censuit. Loquitur enim S. ille Pontifex *in citata Constitutione* de emolumentis decimarum Frumenti, Vini, Olei, & similium, non de illis Baptismatum, Funerum, Matrimoniorum, quæ merces sunt, & præmium laboris, ac uti talia in Congruam referri non possunt; ad tradita per *Panimoll. annot.* 2. *ad decis.* 15. *num.* 5., *Scarfanton. ad Ceccoper. lib.* 3. *tit.* 3. *num.* 60., & *Rot. in Montis Alti super Solutione Mercedis* 14. *Martii* 1755. §. 8. *coram clar. mem. Card. Molino*. Quod si annuæ subministrationi scutorum 100. imparia dicantur Mensæ Parochialis Bona Conventui unita, statim Cillavenienses occurrunt, seque ad ea recipienda paratos dicunt pro Congrua Parochi, oneribusque omnibus Parochiæ infixis. Et quamvis difficilis videatur Vigevanensi Episcopo illorum separatio a reliquis Conventus Bonis, contrarium tamen Papiensis affirmat Antistes, si Parocho, & Cillaveniæ Communitati separationis cura relinquatur.

Hæc quoad Congruam Parochi. Quo vero ad formalem, & materialem Parochialis Ecclesiæ manutentionem; decerni hoc nomine postulant Cillavenienses Vicario perpetuo annua scuta 60., ne ulla unquam cum habituali Pa-

rocho ſit contentio. Quidquid autem ſentiendum de certa in eam cauſam conſtituenda quantitate, ad Rectorem dubio procul habitualem ſpectat Eccleſiæ, Sacrorumque Utenſilium manutentio. Ita aliis collectis Sacræ hujus Congregationis reſolutionibus, definitum eſt in *Carpentoraten. Diſmembrationis* 21. *Januarii elapſi anni*, in qua, quum quarto ſub Dubio quæreretur = *An, quibus mediis, & cujus expenſis ſit conſtruenda Cappella. ſeù Eccleſia ſuccurſalis, & Domus pro habitatione Præsbyteri Cappellani, nec non ſubminiſtranda Sacra Utenſilia, & reſpective manutenenda* = reſponſum fuit = *Affirmative in omnibus ſumptibus Monaſterii* = Et repropoſita Cauſa in Congregatione 24. Julii ejuſdem anni ſub conſueto Dubio = *An ſit ſtandum, vel recedendum a Deciſis* = confirmari promeruit reſolutio per Reſcriptum = *in deciſis, & amplius* =.

Diſceptatur tandem ſub quarto *Dubio* de retentione, & ſalario Vice-Parochi. Ejus retentionem decrevit cl. mem. Cardinalis Durini Papienſis Epiſcopus anno 1764., decretumque exceperunt Dominicani Patres, annua Vice-Parocho ſoluta ſumma ſcutorum 17., ut hodiernus refert Papiæ Præſul. Salarium hoc augendum putant Cillavenienſes ad ſcuta 30., ſpectata Incolarum frequentia, Oppidique amplitudine. Dominicani vero prætenſum impugnant augmentum, vel reiiciendum eſſe arbitrantur in Vicarium perpetuum, ſi ejus Congrua augeatur. Hoc EE. Veſtræ aſſueta maturitate, & ſapientia decernent. Animo interim recolendum eſt, Vice-Parochi expenſam ſubeundam eſſe a Parocho habituali, ſalva ſemper libertate dimittendi Bona Parochialis menſæ eidem unita. Quæſitum ſane fuit in d. *Carpentoraten. Diſmembrationis* ſub primo Dubio = *An, quibus mediis, & cujus expenſis ſit perſolvendum ſtipendium eidem Præsbytero, & in qua quantitate* = & Sac. Congregatio reſpondit = *affirmative in omnibus ſumptibus Monaſterii, juxta taxam præſcriptam in Conſtitutione SSmi anni* 1776.

Deliberandum itaque erit ab EE. Veſtris.

I. *An intret arbitrium pro aperitione oris in caſu &c.*

II. *Et quatenus affirmativè: an prævia abolitione unionis Præpoſitura ſit reſtituenda ad primævum ſtatum in caſu &c.*

III. *Et quatenus negativè: an, & quomodo ſit providendum manutentioni Eccleſiæ Parochialis, & Parochi Loci Cillaveniæ in caſu &c.*

IV. *An*

IV. *An, & quomodo sit providendum quoad manutentionem, & retentionem Vice-Parochi ejusdem Loci in casu &c.*

Ad I. Negative, & amplius.

Ad II. Provisum in primo, & amplius.

Ad III. Providendum esse per deputationem Vicarii perpetui a Patribus Conventus Vigevanensis nominandi, & ab Archiepiscopo-Episcopo Papiensi approbandi cum Congrua scutorum sexaginta monetæ Romanæ, retento per eosdes PP onere manutentionis Ecclesiæ, & Domus Parochialis, nec non subministrationis Sac. Supellectilium.

Ad IV. Affirmative sumptibus Conventus pro summa ab Episcopo taxanda, & amplius.

CÆSENATEN. Annuis pro quolibet legatis scutis decem Sacrariis Reformatorum S. Francisci, Cappuccinorum, & Cappuccinarum Cæsenæ, tria Sacerdos Joseph Focaccia quotidiana mandavit Sacra, alterum in Ecclesia Conservatorii periclitantium Puellarum, alterum in Paræcia, quam vocant *di Boccaquattro*, ac tertium in Ecclesia S. Crispini ad Altare SS. Crucifixi ejusdem Civitatis. Quod reliquum esset, hereditario titulo reliquit Conservatorio cum onere erogandi medietatem Redituum in tot dotandis Puellis; eique substituit Parochum *di Boccaquattro*, si mandatis non obtemperaret. *Sess.25.cap. 4. de Reform.*

Valde post obitum Testatoris diminuta est Hereditas. Per Concordiam enim in calore Judicii initam, & ab hac Sac. Congregatione probatam, dimissa fuit Fideicommissi jure insignis Bonorum pars Ursulæ Focaccia Zamboni illius Sorori, vixque ex Capitali scutorum 10223.20. superfuerunt scuta 6095. 29. Plura idcircò Conservatorium a Sac. Congregatione postulavit; absolutionem nempe pro Sacris non celebratis, annuumque Legatum Sacrariis non præstitum; hujusce Legati abrogationem; & reductionem Missarum ad unum quotidianum Sacrum in Ecclesia Conservatorii celebrandum.

Primæ instantiæ annuendum censet Episcopus, eo quod Testator in casu Litis cum Hereditate, hereditariis eam Reditibus agendam mandavit, eosque diuturna Lis cum Ursula Focaccia consumpsit. Quo vero ad abrogationem Legati Sacrariis relicti, ac reductionem Missarum animadvertit, tot Testatorem Legata a prædilecto Conservatorio relicturum non fuisse, si tantam Hereditatis dimi-

diminutionem prævidiſſet. Jus deinde Falcidiæ in Conſervatorio ſupponit, illudque ex conjecturata Teſtatoris voluntate ampliandum; & ſub hoc ſuppoſito opinatur, medietatem Redituum adſcribendam Conſervatorio, Legatis alteram.

Quum hereditarii igitur Reditus ad annua efferantur ſcuta 256. 30., danda idcircò eſſe autumat ſingulis Sacrariis annua ſcuta 6. 10. 2., ac pro quolibet Sacro annua ſcuta 36. 61. 6. loco ſcutorum 60., quæ pro perpetuo Miſſarum Legato ſtatui deberent. Eoque ſecurius in hanc ivit ſententiam, quia ejus calculum probarunt Rectores Eccleſiarum, in quibus agenda eſſent Sacra, Superiores Conventuum Cappuccinorum, & Reformatorum, ac Syndacus Cappuccinarum. Emus pariter de Zelada, cujus votum Sacra Congregatio exquiſivit, Conſervatorii precibus deferendum cenſuit. *Sanctiſſimo* tamen *Domino Noſtro* annuente, res tota EE. Veſtrarum judicio per infraſcripta *Dubia* proponitur.

Exploratum porro uſque adeo non eſt, Falcidiam a Piis Legatis per Cauſam Piam hæredem detrahi poſſe. Cum pluribus negant *Barboſ. lib. 2. Jur. Eccleſ. cap. 3.*, *& Petra in comment. ad Conſtit. 10. Innoc. III. tom. 2. num. 29.*, *Craſſ. de Succeſſ. §. Falcidia quæſt. 3. ſub num. 9. verſ. ſed contrarium*, *& Magon. deciſ. 130. num. 9.*, *& ſeqq.*. Plurimi alii magni nominis affirmant apud *Ciarlin. controv. Jur. lib. 2. cap. 139. num. 9.*, & *ſeqq.*, & *Verricell. quæſt. Moral. 65. per tot.*. Ita tamen emunctæ naris Doctores in negativam conveniunt opinionem, ſi major pietas ſit in Legatis Piis, quam in Pia Cauſa herede, ut *ex objecto* eſt in Legatis Miſſarum, *Ferrar. in Biblioth. verb. Falcid.*, *Paſqualig. de Sacrific. nov. Leg. tom. 2. quæſt. 1006. ſub num. 4.*, *& de Luc. ad Franch. dec. 612. ſub num. 15.*. Hæc quidem conciliatrix Sententia eo magis procedere videtur in noſtro themate, in quo non obſcura Teſtatoris voluntas detractioni Falcidiæ reſiſtit per ea verba = *DOPO ſoddisfatti TUTTI gli obblighi ſopraccennati, la metà del Fruttato a favore del Conſervatorio, e la metà in tante Doti da darſi a dd. Zitelle l'anno.*

Licet vero indulgendum eſſet Conſervatorio pro detractione Falcidiæ, nil tamen ei ad ea, quæ quærit, proficeret. Non Hereditatis ſane medietas, ſed quarta eſt illius pars Falcidia, per *Text. in Leg. 1. ff. ad Leg. Falcid.*, *in §. Hinc nobis Auth. de Hered.*, & *Falcid.*, & alibi,

alibi. Jam vero annuis omnibus deductis oneribus, longè Falcidiam excedunt reliqui Hereditatis fructus. Integra horum summa scutorum est 256. 30. Legatorum onus contra statui posse videtur in annuis sc. 156., in scutis nempe 30. pro Sacrariis, & scutis 126. pro Sacris ad rationem scutorum 42. pro quolibet, comprehenso Utensilium sumptu. Statim enim pro perpetuis, de quibus agitur, Missis probanda non censeo ampliorem illam taxam scutorum 60. in generalibus Sacra Congregationis Decretis statutam. Res porro non est de perpetua Cappellania, vel perpetua per certum Sacerdotem celebratione, quem casum respiciunt generalia Decreta, sed de simplici onere celebrandi in designatis Ecclesiis Sacra, quod per Sacerdotes Heredi benevisos cum manuali eleemosyna fieri potest. Testamenti verba sunt = *Chiamo mio erede il Ven. Conservatorio coll'obbligo di tre Messe quotidiane, una nella Chiesa di detto Conservatorio, una nella Chiesa di Boccaquattro, una nella Chiesa di S. Crispino con il bisognevole a tutte trè le Chiese, cioè per il consumo degli Apparati, Vino, Cera, e Ostie.*

Alia ex parte prætereunda non videntur maxima Conservatorii pro periclitantibus Puellis utilitas: erronea Testatoris opinio de amplitudine Hereditatis, qua Legatis æque, ac Heredi consultum putavit: Leve Conservatorii compendium, si integra adimplenda essent Legata: ac judicium denique Episcopi, quod magni semper faciendum est. Hæc namque habet in novissima Informatione = *Testamur insuper, nonnullis ab hinc annis ita auctam esse Populationem in hac Civitate Cæsenæ, ut necessarium foret, quod idem Conservatorium in sublevamen Juventutis prædictæ majorem numerum Puellarum aleret ad tollendam Dei offensam, & ad præstandum iisdem Christianam educationem.*

Atque his omnibus addendum est ex Sententia *Dominici Soti*, quod licet Sacrificiorum omnium potissimum sit Missa, in qua ipse offertur Christus, sæpe tamen gratior est Deo Eleemosyna; ubi præsertim tendat ad removendam Ejus offensam; Ita laudatus Auctor *in* 4. *Sentent. dist.* 45. *quæst.* 2. *art.* 3., ibi = *Quoniam dictum est, Sacrificium omnium Sacrificiorum esse potissimum, admonere hic opus est, quod quamquam id verissimum sit ex objecto, & genere suo, quia Christus illic offertur, nihilominus ratione necessitatis Pauperum, quos nobis Christus tantopere commendavit, potest Eleemosyna esse quandoque Deo gratior,*

tior, & *acceptior in satisfactionem pro Defunctis, quam longa Missarum multiplicatio. Absit, ut quis negaverit, Missas in primis esse pro Defunctis offerendas. Verumtamen postquam aliquo numero pro ratione qualitatis Personæ offeruntur, melius est largissimas Eleemosynas in Pauperes profundere, quam centenas, aut millenas Missas accumulare*=Quam Sententiam probavit *Benedictus XIV. in Synod. Diœcesan. lib. 13. cap. ult.* §.23.

Placeat itaque EE. Vestris declarare.

I. *An sit consulendum SSmo pro absolutione quoad tempus præteritum pro Missis non celebratis, & præstationibus non solutis in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit consulendum SSmo pro reductione Legatorum in casu &c.*

Ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative juxta calculum ab interesse habentibus approbatum, & ab Episcopo transmissum.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

CAMERINEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM. Testamento jussit Anna Maria Venturi Pizzicanti anno 1770., ut ex fructibus pecuniæ ejus creditæ, in Bonis stabilibus investiendæ, Locorumque Montium, & Censuum dotale quotannis distribueretur subsidium inter pauperes, honestasque Puellas, præsertim consanguineas = *o per monacarsi, o per maritarsi, avendo ancora il riguardo in queste Doti alla Casa Conforti di Camerino* = Eligendarum Puellarum arbitros dederat Archidiaconum pro tempore Cathedralis, & Præpositum Patrum Oratorii Camerini. His anno 1774. in Codicillis addidit Majorem natu Familiæ Venturi, voluitque, ut salva Consanguinearum prælatione, firmoque manente præcepto, ut subsidium = *venga pagato nell'atto del Matrimonio, o Monacazione, E NON PRIMA* = Familiæ Conforti Fœminæ extraneis præferrentur.

Huic innixæ prælationi, *Sanctissimo D. N.* supplicarunt Agnes, Catharina, Maria Anna, & Maria Sorores Conforti, ut non obstante defectu actualis Conjugii, singulis dotale illud subsidium scutorum circiter 50. ad levandam inopiam permitteret. Instantiam *Sanctissimus* ad Sac. hanc Congregationem remisit; auditisque Collatoribus Episcopus retulit, vera esse, quæ de testamentaria, & co-

& codicillari Dispositione narrantur : veram Oratricium descendentiam a Familia Conforti; easque necessariis pollere qualitatibus ad obtinendas Dotes. Duos, addidit, ex Collatoribus petitae Gratiae assentiri, tertium refragari. A ferendo tamen voto abstinuit.

Friderico igitur Venturi ex Collatoribus contradicente, res congruo sub *Dubio* proponitur. Hae autem potissimae sunt Sororum Conforti rationes. Uti Filiae Dominici primum post Consanguineas Testatricis obtinent passivae vocationis locum. Major eis, & sanior favet Collatorum pars, ut sunt Archidiaconus Cathedralis, & Praepositus Oratorii. Ex his, aliisque Testibus explorata est ipsarum paupertas. Levissima voluntatis mutatio, quae id modo tradi permittat, quod in actu Nuptiarum tradendum foret. Nullum Consanguineis Testatricis notabile praejudicium. Una enim existit Friderici Venturi Filia, cui sub hac *Sanctissimus* lege septemdecim dotalia subsidia concessit, ut prima accepta Dote, reliquas iis annis, in quibus aliae concurrant Consanguineae, Puellaeque Conforti, consequi non posset; nec multum idcircò ei nocet aequissima Pontificiae Gratiae dilatio, donec unicam Dotem singulae Oratrices consequantur. De vera tandem non agitur mutatione voluntatis; quum designasse videatur Testatrix actualium Nuptiarum tempus, ne Dotes praematura solutione disperderentur, facileque huic periculo per oblatum ab Oratricibus illarum investimentum occurri valeat. In durioribus sane casibus aliquantulum Sac. haec Congregatio a verborum rigore deflectere consuevit, ut Puellis ad Dotes vocatis consuleret, veluti in *Romana Dotium* 24. *Septembris* 1718. *lib.* 78. *Decret. pag.* 397., *in Ferrarien. Subsidiorum Dotalium* 22. *Novembris* 1760., *& in Romana, seu Sabinen. Subsidiorum Dotalium* 20. *Aprilis* 1861.

Acriter haec omnia impugnat Fridericus. Missis tamen, quae ad excludendam probatissimam Oratricium paupertatem effutit; expressam urget enixamque Testatricis voluntatem, ne Dotes extra casum spiritualium, aut temporalium Nuptiarum tradantur, notandis illis prolatis verbis= *venga pagata nell'atto del Matrimonio, o Monacazione, e NON PRIMA* = Geminatum porro hoc morientis desiderium frustrandum non esse docet *Text. in Can. ultima voluntas* 13. *quaest.* 2., *& in Leg. Omnium* 19. *Cod. de Testam.* Non leve rursus praejudicium irrogari ait juri ejus Filiae ad septemdecim Dotes quaesito, si Sororum Conforti preces exaudiantur. Diutius siquidem, quam Pon-

tificia fert Gratia, expectare cogeretur subsidia, licet ea *Sanctissimus* concesserit *attentis peculiaribus circumstantiis; ac præsertim stricta sanguinis conjunctione*, ut religiosum statum assumere posset. Seduloque tandem animadvertendum rogat, suspensionem illam subministrationis Dotium in concursu aliarum Consanguinearum, vel Filiarum Dominici Conforti, demandatam fuisse sub conditione, quod sint *habiles od consequendum idem subsidium*, quæ in nostro themate deficit; ideoque expressæ *Summi Pontificis* voluntati adversari, quod ejus Filiæ anteponantur, quæ ob defectum actualium Nuptiarum habiles non sunt *ad consequendum idem subsidium*. Haud enim in duriorem partem inflecti, evertique decet Gratiam, quam tanta cum æquitate Summus Pontifex concessit, ad *Text. in Cap. Si ex tempore*, *& Cap. Duobus de Reservat. in* 6., *Rot. cor. Emer. jnn. decis.* 1133., *&* 1352. *utrobique num.* 1.

Dignentur itaque EE. Vestræ decernere.

An, & quomodo Oratricium precibus sit annuendum in casu &c.

Negativè.

Sess. 25. *cap.* 4. *de Reform.*

ROMANA. Licet PP. Carmelitæ S. Mariæ Transpontinæ ab immemorabili fere tempore annua celebrassent Sacra 181. pro Animâ Marchionissæ Victoriæ Tulphiæ, duo tamen elapso anno ab hac Sacra Congregatione postularunt, hujus nempe oneris, veluti per errorem inducti, deletionem, & suspensionem alterius certi oneris quotidiani Sacri, & annui pro eadem Anima Officii, quousque numerus æquaretur Missarum, quas erronee ex primo onere celebrasse dicebant. At propositis *sub die* 6. *Maii ejusdem anni Dubiis* = *I. An sit delendum onus Missarum* 181. *in casu &c.* = *II. An, & in qua summa sit locus reintegrationi pro Missis jam celebratis in casu &c.* = responsum fuit ad primum = *Negative* = ad secundum = *Provisum in alio* =

Redeunt nunc pro recessu *a decisis*, & ad suadendam prioris oneris deletionem, Legatum illud Missarum 181. a to-

to genere impugnant. Nullum, inquiunt, de hoc Legato vestigium in Testamento, & Codicillis Victoriæ; nullum in marmoreo Lapide, quem ad æternandam alterius Legati memoriam de illius mandato curarunt Heredes: nullum in antiquis Monasterii, & Capitolii Scripturis. Atque hinc concludunt, Sacra per errorem celebrasse. Hujusce autem erroris principium desumunt ex falsa illa opinione, quam sequutus etiam fuit Brunettus, qui de mandato cl. me. Cardinalis Sacripantes universa Transpontinæ Ecclesiæ monumenta anno 1725. perlustravit, quod cessissent nempe in dotem Legati scuta 1000., quæ Testatrix in expressum ædificandæ Cappellæ causam largita fuit.

De his omnibus in suo egit Voto Eminentissimus Cardinalis Corsini Carmelitani Ordinis Protector: de his præcedens *Folium diei 6. Maii elapsi anni*. Nil aliud vero ea omnia videntur, quam argumenta, conjecturæ, & præsumptiones, quæ inveteratam duplicis sæculi observantiam vincere nequeunt ad tradita per *Piton. de contr. Patron. allegat.* 58. *num.* 34. Ab anno enim 1586. quo Victoria decessit, quotidianum prius, certumque deinde in singulos annos Sacrorum numerum 181. celebrarunt Carmelitæ, neque eos a celebratione deterruerunt sive monitum Patris Ori, Generalis olim Prioris Ordinis, qui Litteris anno 1661. mandavit; quod = *hæc pecunia* (scuta nempe 1000.) *data est sine obligatione Missarum* = sive iteratæ Librorum Monasterii enunciativæ, quod Sacra illa celebrata fuissent = *per abbaglio preso dai nostri Predecessori* = Ex hac porro adeo diuturna, ac post inanes Carmelitarum adnotationes non interrupta observantia, justus præsumitur celebrandi titulus, ut observat *Card. de Luc. de Jurepatr. disc.* 9. *num.* 17., *Piton. de controv. Patron. allegat.* 59. *num.* 59., & *Rot. in Nolana Beneficii* 9. *Februarii* 1759. §. 7. *cor. Herreros*.

Urgentior autem fit hujusmodi præsumptio ex domestico Cænobii Codice, in quo adnotatæ sunt solutiones scutorum 1000. in ædificationem Cappellæ. Mentio enim in eo fit de Contractu quodam cum Marchionissa Victoria per hæc verba = *scudi* 300. &c. *a conto delli* 1000. *scudi per una Cappella nella nuova Traspontina per obbligo fatto come NEL CONTRATTO* = Ex eodem sane Contractu, in quo actum fuit de construenda Cappella, originem fortasse habuit Missarum onus; satisque est sola possibilitas, ut biscentenariæ virtute præsumatur, *Rot. coram Merlin. decis.* 95. *num.* 12., *coram Emerix jun. dec.* 286.

num. 5., *& cor. Sa. Mem. Clem XIII. dec.* 330. *num.* 3. Error autem, a quo observantiam desumunt Carmelitae, ab iis certe absuit, qui rem cum Marchionissa egerunt, quum verisimile non sit, quod non conventum, aut demandatum onus initio assumere voluerint, ex doctrina *Baldi in Leg.* 1. *in primo notab. Cod. de Condict. indebit.*, *Gratian. discept* 417. *num.* 32., *Actolin. resol.* 28. *num.* 19., *& Rot. cor. Molin. decis.* 130. *num.* 4. idque sufficit, ut subsequuta observantia a pura origine processisse censeatur.

Nil denique addendum de petita alterius oneris suspensione; quae a prima pendet quaestione; ideoque resumpto *Folio diei* 6. *Maii superioris anni*, respondere dignentur EE. Vestrae.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

Sess. 22. *cap.* 6. *de Reform.*

ROMANA. Heredem scripsit Alphu[illegible] Fulignani Archiconfraternitatem S. Hieronymi Charitatis sub lege erogandi universos Hereditatis Reditus in tot spirituales Dotes scutorum 25. Harum quatuor conferri voluit per proximiores ejus Descendentes, mandavitque, ut ejus concurrentibus Neptibus, quae decimum quartum aetatis annum attigissent, fieri pro qualibet deberet Dotium omnium cumulum ad summam usque scutorum 500., vel etiam 800., si circumstantiae urgerent, Jus nominandi ad quatuor Dotes delatum est ad Alexandrum, & Juniperam Cerroni Testatori proximiores. Hi nuper *SSmo Domino Nostro* supplicarunt, ut illarum permitteret cumulum usque ad scuta 1000. pro Isabella Bacchettoni eorum Nepte: ut cumulus iste statim inciperet, quamvis illa undecimum tantum agat annum; eoque pro temporali etiam Conjugio uti liceret. Preces *SSmus* ad Sac. Congregationem ablegavit, auditoque Emo Josepho ab Auria Archiconfraternitatis Protectore, eadem nunc sub infrascripto *Dubio* proponitur instantia.

Pro Dotium cumulo indulgendum censet Emus Protector ob

ob gravem Isabellæ paupertatem, ejusque cum Oratoribus conjunctionem, juxta exempla collecta *in Romana, seu Sabinen. Subsidiorum Dotalium* 27. *Martii* 1762. Maxime quia ad Dotes illas vocatæ sunt Puellæ incertæ, ac nulli propterea fit injuria, ut dixit *Rot. coram Emer. jun. decis.* 396. *num.* 7., *& cor. sa. mem. Clem. XIII. dec.* 227. *num.* 2., *&* 7. Neque eum movet tenera Isabellæ ætas annorum undecim. Sæpe enim Sac. Congregatio ætatis dispensationem in Ecclesiasticis ipsis Beneficiis indulsit pauperibus Patronorum Consanguineis, ac præsertim *in Vercellen.* 9. *Julii* 1766., *& in Asculana Dispensationis* 20. *Maii elapsi anni*. Difficiliorem postremo fatetur mutationem spiritualium in temporales Dotes; sed ex incerto adhuc Puellæ proposito circa electionem Status, æquam arbitratur dispensationem, sicque concludit = *stat meum votum pro Nepte, quæ si Testator viveret, omni gauderet Indulgentia*.

Verum expressa resistit Testatoris voluntas. A Dotium sane cumulo exclusit Puellas ab ejus Neptibus descendentes, qualis fortasse est Isabella; nam eum dumtaxat permisit favore = *delle sue Nipoti carnali sole, e non altre Discendenti da esse* = Nec propriis illum Neptibus concessit ultra summam scutorum 800., si unam excipias Argentinam Beger, cui ob specialem dilectionem scuta statuit 1000. Valde rursus de quartodecimo ætatis anno sollicitus fuit, ipsamque Argentinam huic Legi subjecit. Adeoque tandem a temporali Conjugio abhorruit, ut enixe declaraverit = *che questi Sussidj non si possano dare, se non per Monacato, e se dopo che lo hanno ottenuto, si volessero maritare, ne restino prive* = iterumque = *che effettivamente si monachino, e siano Parenti di chi si sia* = ac tertio quoque verbo quoad proprias Neptes, quod = *per maritarsi mai possano pretendere cosa alcuna* = vixque unam ab hac universali Lege excepit prædilectam Argentinam Beger, cui tradi jussit = *se si volesse maritare, solamente scudi* 300. Cum res igitur sit de apertissima commutanda voluntate, nec de uno tantum, vel altero, sed de universis agatur removendis obstaculis, quæ petitum cumulum impediunt, ac de mutandis potissimum spiritualibus Dotibus in temporales; satis idcirco non videtur *Divo Bernardo* simplex paupertatis causa, quæ pluribus communis est, sed eam requirit gravissimam, publicam, & necessariam *lib.* 3. *Cap.* 4. *de considerat. ad Eugen. Pap.*, atque ita etiam sentiunt *Fagnan. in Cap. Nimis sub num.* 6. *de Fil. Presb.*,

Mo-

Monet. de commut. ultim. volunt. Cap. 6. num. 75. , & Cap. 9. num. 676. , & 695. , Piton. de controv Patron. alleg. 50. num. 7. , & Sperell. decis. 109. num.25.

Ad EE. igitur Vestras pertinet decernere .

***An** sit consulendum SSmo pro cumulo quatuor Dotium ad Oratorum nominationem spectantium usque ad summam scutorum 1000. favore Isabellæ Bacchettoni annorum 11., etiam pro Matrimonio carnali in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 24. Martii 1787. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

RESumpto Folio præcedentis Congregationis diei 3. currentis Mensis definire dignentur EE. Vestræ binas illas non resolutas Causas, quæ primo nunc, & secundo loco proponuntur.

ROMANA. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis.

ROMANA. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

An sit consulendum SSmo pro cumulo quatuor Dotium ad Oratorum nominationem spectantium usque ad summam scutorum 1000. favore Isabellæ Bacchettoni annorum 11. etiam pro Matrimonio carnali in casu &c.

Negative.

LEODIEN. Ob diminutos Cappellaniarum Reditus *SSmo Domino Nostro* supplicarunt Collegiatæ Ecclesiæ Thorensis Cappellani pro reductione onerum, & commutatione anniversariorum ad Missas lectas; ita tamen, *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

men, ut idoneum Cappellaniae praestare possent titulum pro Sacra Ordinatione. Valde enim in Leodiensi Ecclesia necessaria est Sacrorum Ministrorum opera.

Re ad Sac. hanc Congregationem delata, post auditum de more Leodiensem Episcopum rogatus fuit Eminentissimus Cardinalis Gerdil, ut pro sua sapientia, atque solertia negotium perpenderet, suamque super precibus Sententiam proferret. Nulli laudatissimus D. Cardinalis pepercit labori, nihil non cogitavit, ut rem implexissimam expediret, ac opportuna proponeret remedia, quibus & privatae Cappellanorum utilitati, & publico Ecclesiae commodo consultum esset. Elucubratissimum in id edidit Votum, quod seorsim EE. Vestris distribuitur, adeoque accuratum est, ut inutiliter hic prolixa oratione describeretur. Singulari tamen modestia optat, ut ab EE. Vestris decernatur

An, & quomodo sit consulendum SSmo pro reductione, & absolutione in casu &c.

Affirmative juxta Votum Emi Relatoris.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

FOROLIVIEN. Thomas Ugolinus Foroliviensis Cathedralis Canonicus suam anno 1763. heredem instituit Animam, mandavitque, ut ex universis Hereditatis fructibus octo quotannis in eadem Cathedrali celebrarentur Anniversaria, & = *il residuo poi de' frutti annuali della mia Eredità il quale sopravanzerà celebrati i sudetti otto Anniversarj, voglio pure, e dispongo, che si distribuisca egualmente, e s'impieghi in far celebrare tante Messe in suffragio della mia Anima da i medesimi Canonici coll'elemosina di baj.* 12. *per ciascuno*.

Testamentaria haec dispositio exequuta fuit ad annum usque 1781. Eo autem tempore quum reparare non possent Canonici ex tenuissima Capitulari massa potissimam Capituli Domum terremotu concussam, Sacrae huic Congregationi preces porrexerunt, ut Ugolinae Hereditatis fructibus eam in rem uti liceret; auditoque Ordinario, ac testamentario Exequutore, EE. Vestrae re-

sori-

scripserunt = *Consilio de impotentia Oratorum, pro gratia arbitrio, & conscientia Episcopi pro summa vere necessaria tantum arbitrio Peritorum, celebratis tamen decem Missis pro quolibet centenario earum, quæ celebrari deberent ex dispositione Testatoris, & Anniversario uno quolibet anno, quo Indultum necessario ex causa expressa in Precibus perdurare debebit, & docto coram eodem Episcopo de fideli erogatione pecuniæ.*

Omnia Episcopus exequutus est, tradique mandavit Capitulo per Administratorem Hereditatis scuta 1800., quæ in expressam reparandæ Domus causam reipsa soluta fuerunt. Incepto tamen opere graviora apparuerunt Domus vitia, quam in opinione erant; infirma scilicet fundamenta; male compactus, ac ruinosus alter ex principalibus muris, adeoque reliquæ partes fatiscentes, ut non de simplici restauratione, sed de nova potius constructione agi videretur. Denuo hinc Canonici die 21. Januarii elapsi anni Sac. Congregationem exorarunt, ut firmo remanente impetrato Rescripto, jam in partem novi Ædificii consumato, impositionem permitteret Census scutorum 1500. super eadem Domo, ceterisque Capituli Bonis, cujus usuras, & sortem ipsam Ugolina Hereditas extinguere deberet.

Ob contradictionem Exequutoris testamentarii res poni debuit *in Folio citata Parte*. Impar vero Capitulum impensæ formalis disceptationis, mutavit instantiam, petiitque, ut salvis octo Anniversariis a Testatore præscriptis, ac centum Sacris a singulis Canonicis celebrandis, hereditariorum fructuum residuum, quod testamentarius ipse Exequutor ad annua scuta 100. efferri refert, benigne sibi concederetur, quousque summam attingeret scutorum 1498. 64., ad quæ perficiendæ Domus impensa Periti judicio ascendit. Novis hisce Precibus deferendum censent Episcopus, & Administrator Hæreditatis, qui propterea in lacerationem appositi *Nihil transeat* consensit; ideoque sub infrascripto Dubio proponitur instantia.

Non aliena profecto a Testatoris voluntate videtur exuberantium fructuum erogatio usque ad summam scutorum 1498. 64. in necessarium Capituli levamen. Agitur enim de Testatore ejusdem Cathedralis Canonico, cui ignota esse non poterat illius paupertas. De Testatore agitur, qui Anniversaria in Cathedrali, & Missas a Canonicis celebrari voluit, ideoque nedum Animæ suæ expiationem, sed Cathedralis etiam Ecclesiæ, & Ca-

nonicorum utilitatem consideraſſe videtur. De opere demum agitur neceſſario, cui cauſam dedit miſerandus terremotus caſus. In his ſane terminis a veriſimili Teſtatoris voluntate non abeſt, quod Capituli etiam neceſſitatibus occurrere voluerit, *Paſqualig. de Sacrif. nov. Leg. tom.2. quæſt.* 1145. *num.5.*, *Piton. Diſcept. Ecclef.* 2. *num.* 12. *tom.*2.

Hoc etiam addunt Canonici, quod ſi æquam cenſuit Sac. Congregatio contributionem ſcutorum 1800. cum celebratione unius tantum Anniverſarii, ac Sacrorum decem ex ſingulis centum, minor eſſe non debeat indulgentia, per quam intacta relinquuntur octo Anniverſaria, ac centum quilibet Canonicus in ſingulos annos deſpondet Sacra. Eoque magis, quia teſtamentarii Exequutoris accedit conſenſus, ac judicium Epiſcopi, cui plurimum ſemper deferendum eſſe poſt *Text. in Cap. In præſentia de Renunciat.* monet *Gonzal. ad Regul.*3. *Cancell. gloſſ.* 4. *num.*124., *&* *ſeqq.*

Animadverſione tandem dignum videtur, quod per ulteriorem Ugolinæ Hereditatis contributionem inſignis Benefactoris locum Teſtator acquireret, & grandiore idcircò cum fructu particeps eſſet ſuffragiorum, quæ diurna Miſſæ Conventualis applicatione a Capitulo impenduntur; cui rei præſumpta ipſius Teſtatoris mens favere videtur, *Lotter. de Re Benefic. lib.* 7. *quæſt.* 43. *num.*67., *&* *Card. de Luc. de Miſcell. diſc.* 33. *num.* 18., *&* *de Teſtam. diſc.*72. *num.*15., *&* 16.

EE. igitur Veſtrarum judicio ſubiicitur Dubium

An, & quomodo Capituli Oratoris precibus ſit annuendum in caſu &c.

Affirmative juxta Votum Epiſcopi, docto de celebratione Miſſarum, & fideli erogatione pecuniæ.

Seſſ. 25. *cap.*4. *de Reform.*

REATINA REDUCTIONIS MISSARUM. Perſianus Juliani Reatinæ Eccleſiæ Canonicus legavit anno 1605. illius Capitulo ſcuta centum in frugiferum Cenſum inveſtienda cum onere duplicis Miſſæ in ſingulas hebdomadas. Ejus voluntatis implementum curavit ſequenti anno illius Heres, annuumque ex legata ſumma creavit Cenſum ſcutorum octo cum ipſomet Capitulo,

II. *An quoad tempus præteritum ab anno 1712. teneantur Canonici ad aliquod supplementum Missarum; & quatenus affirmative, an sit consulendum SSmo pro absolutione in casu &c.*

Ad I. Affirmative juxta Votum Episcopi ad manualem.

Ad II. Consulendum Sanctissimo pro absolutione.

REATINA ABSOLUTIONIS. Legavit anno 1587. Sebastianus Campitosti Reatinæ Ecclesiæ Capitulo scuta quinquaginta cum onere celebrandi ex illorum fructibus hebdomadale Sacrum, nulla præstituta die. In vetustissima Missarum Tabella, cui se anno 1747. Episcopus Camarda subscripsit, alligatum fuit hujusmodi onus Feriæ sextæ; qua ratione ignoratur. Hinc factum est, ut a Legati origine usque ad annum 1784. intermissum fuerit Sacrum in hebdomada majori, in cujus Feria sexta ex Ecclesiæ ritu sola præsanctificatorum celebratur Missa. Veterem eo anno in reformanda Tabella deprehenderunt errorem Canonici. Paratum referunt Capitulum ad celebrandum cum adeo tenui eleemosyna hebdomadale Sacrum; sed absolutionem a præterita omissione postulant. Episcopus pro informatione, & voto requisitus, iisdem Litteris muneri suo satisfecit, quibus ad propositam in superiori Causa quæstionem respondit. Breviter ex inculpabili rerum ignoratione id accidisse refert. A ferendo tamen voto abstinuit. *Sess.25. cap. 4. de Reform.*

Licet porro vetitum cuique sit, ac ipsis etiam Episcopis ultimas morientium voluntates immutare, aut plus minusque oneris, quam Testatores præceperint, imponere, *Monacell. in supplem. ad tom.1. formular. For. Eccles. v.239.* Longæva tamen observantia, in linea saltem interpretativa voluntatis Sebastiani Campitosti, nonnihil ponderis addit judicio Reatini Episcopi, qui diem statuit celebrationis, eumque in majori hebdomada impeditum, *Cap. Cum dilectus* 8. *de Constit.*, & *Leg. Si de interpretatione* 137. *ff. de Legib.* Accedit tenuitas eleemosynæ, ac bona Oratorum fides, quę si maximam vim in ceteris haberent, efficaciora plane sunt, cum de absolutione agitur ab omissa Missa-

Missarum celebratione, ut saepe dixit Sac. Congregatio, & nuper *in Parmen. 6. Maii elapsi anni* -

Quaeritur itaque.

An sit consulendum SSmo pro absolutione in casu &c.

Affirmative quoad praeteritum tantum.

Sess.21. cap.7. de Reform.

MACERATEN. . Ut pene labentem restitueret Parochialem Domum Ecclesiae S. Georgei Maceratae, alienum aes scutorum 538. contraxit Archipresbyter Dominicus Balè, Sacra auctorante Episcoporum, & Regularium Congregatione, quae assuetam dedit Depositi Legem pro illius extinctione. Dum haec exequenda erat Lex, improles eadem in Civitate decesserunt Conjuges Carlini, qui sese invicem haeredes hoc pacto instituerant, ut Bonorum tandem omnium pretium in tot Sacrorum eleemosynam erogari deberet, ipsumque Ecclesiae S. Georgei Archipresbyterum pro tempore piae eorum voluntatis exequutorem dederant.

Inventario confecto, Bonisque divenditis, ad scuta quadringenta, & obulos sexaginta Haereditatem ascendere compertum est. Opportunam hanc occasionem nactus, Sac. Congregationem exorat Archipresbyter Balè, ut commutata Testatorum voluntate, facultatem sibi concedere dignetur erogandi scuta illa 400. 60. in extinctionem suprad. aeris alieni sub sua, suorumque Successorum obligatione celebrandi pro Testatoribus ipsis perpetuum hebdomadale Sacrum. Instantiae favet Episcopus.

Ait porro Orator, adeo tenues esse Parochialis Ecclesiae Reditus, ut impares omnino sint alieno aeri dissolvendo. Testis est in sua Relatione Episcopus, vix eos omnibus detractis oneribus *ad annua scuta triginta* ascendere. Hoc autem retento, idem de restauratione Parochialis Domus, ac de Ecclesia, Sacrario, Turri campanaria, & similibus ferendum esse judicium monent *Bellet. disquisit. Cleric. part. 1. de Cler. debit. §. 14. num. 9.*, *& Nicol. Prax. Canon. tom. 1. de Eccles. aedific. vel reparan. §. 2. num. 39.*

Neque pro reparatione Parochialis Domus vexari posse urget Archipresbyter tenuissimos Paroeciae Reditus, tanquam ejus exhibitioni inaequales, ad *Text. in Cap. 1. de Eccles. aedific.*, *ibique Hostien.*, *& Abb. n. 1.*, & *Nicol. in cit. §. 2. num. 39.* Quandoque enim Sac. Congregatio do-

lo, quod ea indigebat pecunia pro excavatione Foveæ ad celebrem Velini lapsum a Clemente VIII. demandata. Loco autem fructuum duo illa Capitulum celebrare promisit Sacra, quæ Testator jusserat. Nec mirum est, quod tam grande onus cum adeo exiguo emolumento acceptaverit. Gravissimæ namque erant censuales usuræ, ac tenuis vicissim obulorum circiter sex Missarum eleemosyna, ut bene in sua Informatione observat Episcopus.

Religiose Missarum celebrationem expleverunt Canonici ad annum usque 1712. Sed ob tenues Bonorum stabilium fructus, in quæ censualis deinde pecunia investita supponebatur, auctamque Missarum eleemosynam, reductionem eo anno ab hac Sac. Congregatione impetrarunt ad rationem eleemosynæ manualis. Rerum porro gestarum oblivio, ac deperdita Census memoria fecit, ut ad eam obtinendam narraverint, versum fuisse Legatum = *in un Censo di simil somma di annuo frutto di scudi otto col peso di due Messe la settimana, qual Censo essendosi retrovenduto, fù il prezzo rinvestito in Beni stabili, che presentemente potranno rendere scudi tre al più*.

Nuper autem in ordinanda Missarum Tabella invenerunt Canonici deputati Instrumentum Census, & ex verisimili illius existentia haud vera fuisse arbitrati sunt narrata in Precibus anni 1712. Ut rem igitur in tuto ponerent quoad præteritum, & futurum, invidiamque Collegarum effugerent, duo ab hac Sac. Congregatione postularunt, quæ sub infrascriptis *Dubiis* continentur.

Quoad primum considerat Episcopus, quod *dato etiam, Censum adhuc subsistere, liberum est Capitulo ad beneplacitum ipsum redimere, quæ redemptio in consequentiam, & substantialiter nihil aliud erit, nisi vel emptio Fundi alicujus pro eadem summa, cujus fructus vix ad annua scuta* 4. *pertingent, sive ut Testator præscripsisse videtur, activi Census creatio pro pretio scutorum* 100., *quorum fructus nunc communius, & honestius computati ad rationem quatuor pro quolibet centenario, & anno, impares sunt duarum Missarum in singulas hebdomadas celebrationi* = Atque ex hac ratione Canonicis favet pro reductione.

Hac posita facultate extinguendi antiquum, & novum creandi Censum ad minorem usuram, non alia sequenda videretur reductionis methodus, quam ad manualem eleemosynam, Sacris deductis Utensilibus. Constantis-

sima hæc est Sac. Congregationis praxis, etiamsi de perpetuis agatur Missis, ubi *concurrit acceptatio, & exequutio Legati, veluti in Burgi S. Sepulchri Reductionis oneris Missarum 10. Februarii 1748., in Nepesina Reductionis Missarum 15. Februarii 1771., & in Alben. Reductionis Missarum 4. Aprilis, & 16. Maii* 1778. Attentis nihilominus rerum circumstantiis, reductionem aliquando ad taxam perpetuæ etiam post exequutionem concessit, *ut in Albinganen. 12. Decembris* 1778., *& in Parmen 6. Maii elapsi anni* 1786., ac perpensa designatione Ecclesiæ, & dierum, aliisque oneribus Cappellani, *in Aquen. Reductionis 19. Decembris* 1772.

Idem est Episcopi favor quoad secundum. Reque vera si usque ab anno 1712. censuales decreverant usuræ a grandi illa quantitate scutorum octo in singula centum, plane hinc sequitur, quod si redemptus a Capitulo fuisset Census, ut facillime poterat, haud utique ex novo investimento sperari potuissent fructus celebrationi Missarum æquales. Animadvertit præterea Episcopus, quod = *Canonici ante annum 1712. ob jam sequutum, ut præmonuimus, manualis eleemosynæ incrementum, plures certe, quam Census fructus paterentur, Missas celebrarunt* = Additque postremo bonam Canonicorum fidem, injustamque Collegarum invidiam in Deputatos, qui pulverulentum, & ab Hominum memoria obliteratum Instrumentum Census in lucem ediderunt.

Ægre quidem, vixque aliquando Sac. hæc Congregatio indebite celebratas Missas pro extenuando in posterum illarum numero consideravit. Diminutionem hanc denegavit *in Romana Suspensionis, & Reintegrationis Eleemosynæ Missarum 7. Maii 1718., & 17. Januarii 1722., in Placentina 21. Novembris, resoluta die 16. Januarii 1779.* Ei vicissim visa est deferre *in Romana Missarum 31. Julii 1717. lib. 67. Decret. pag.* 303. Sed ex hoc forsan conticescere poterit Juris rigor, quod non agitur de compensatione cum Missis celebrandis, sed cum prætensa earumdem omissione. Maxime si bona addatur fides, cui pro hujusmodi effectu, & in longe grandiori omissionum quantitate plurimum detulit Sac. Congregatio *in Ecclesien. Onerum, & Distributionum 9. Septembris elapsi anni ad primum Dubium*.

Assueta itaque EE. Vestrarum maturitate decernendum erit

I. *An, & qui numerus Missarum sit taxandus in futurum in casu &c.*

II. *An*

dotalia Subsidia in similibus circumstantiis concessit, ut *in Romana Subsidiorum Dotalium* 9. *Julii* 1746., *&c in Amerina* 15. *Decembris* 1764. ; quandoque Praebendarum fructus ad certos annos erogari jussit, ut *in Leodien. Prorogationis Indulti* 9. *Februarii* 1765., *& in eadem novissime die* 11. *Martii elapsi anni* ; non raro ad tempus Legata ipsa Missarum in eam causam convertit, *Amost. de Caus. Piis lib.*1. *cap.*14. *num.*36. *lib.*2., *Brasch. de Potest. Eccles. tom.*3. *cap.*24., *&c Sac. Congregatio in Auximana* 11. *Januarii* 1766.

Hinc non incongruam petitionem suam videri concludit, si loco inquirendi in eos, qui ad hujusmodi restaurationem cogi possent, ultro se, suosque Successores illi submittat, immutata dumtaxat simultanea celebratione in perpetuam, juxta exempla, de quibus *in Perusina, seu Civitatis Plebis Cappellaniae* 27. *Junii* 1733., *&c in Papien.* 7. *Aprilis elapsi anni*.

Ad haec addit Episcopus = *urget Defunctorum benevolentia, ac studium tum in ipsam Ecclesiam, in qua Tumulum deamarunt, tum in Oratorem, cujus integritati piam exequutionem commiserunt. ex quibus conjici licet, ut si ad haec ipsi cogitassent, non in peragendis Sacris, sed in praefatae Ecclesiae utilitatem de rebus suis disposuissent; quod & firmius tenendum est, si & ipsi Testatores perpendissent, salva rerum substantia fieri posse, ut Missae, quae paucis mensibus absolvi debuerant, in perpetuum forent duraturae* =.

Illud vero perpendendum, si Oratoris precibus, ac Episcopi voto annuendum sit, an numerus Sacrorum ad taxam etiam perpetuae, respondeat Reditui, qui a dictis scutis 400. 60. sperari posset. Una sane hebdomadalis Missa, non excedit quinquaginta duas, aut quinquaginta tres in singulos annos. Contra autem Reditus scutorum 400. 60. facile attinget annua scuta 16., quae pro perpetua eleemosyna Missarum 80. in annos singulos sufficere videntur. Verum facile res componi posset, si tot demandaretur Sacrorum celebratio, quot ferent Reditus dd. scutorum 400. 60. ad taxam perpetuae.

Quaeritur itaque

An, & quomodo sit annuendum commutationi voluntatis in casu &c.

Affirmative juxta Votum Episcopi cum onere celebrandi annuas Missas quadraginta in perpetuum.

CE-

Sess. 23. cap. 8. de Reform.

CEPHALUDEN. SUSPENSIONIS, ET IRREGULARITATIS. Acolytus Rosarius Castiglia quum ratione originis, & domicilii esset Cephaludensi Episcopo subjectus, nolletque hic eum Sacris Ordinibus insignire, quia claudus paullulum erat, testimoniales Litteras sui Ordinarii effinxit, & mediis iisdem Dimissorias extorsit a Messanensi Antistite, in cujus Diœcesi Beneficium obtinuerat, ac labente anno 1784. ad omnes Sacros Ordines ascendit. Subreptæ hinc ordinationis memor Sac. adiit Pænitentiariam: sed æquo monitus Rescripto = *Orator componat res suas cum proprio Ordinario* = ad suum venit Episcopum, qui octiduum ei spiritualem recessum cum Clericis Seminarii indixit. Re autem vulgata, mancipatus fuit carceribus, quorum in locum iterum atque iterum Episcopus proprium Palatium ob adversam illius valetudinem substituit. Post publicas tandem spirituales exercitationes, novamque vinculorum afflictionem mandavit Episcopus, ut = *stante supplicatione porrecta excarceretur, ita ut remaneat perpetuo suspensus, & quatenus inciderit in irregularitatem, permaneat in ea, & non possit absolvi, nisi auctoritate, & gratia Summi Pontificis.*

Frustra in re externi Fori ad Sac. Pænitentiariam rediit Castiglia, imploravitque postremo irregularitatis, & suspensionis absolutionem ab hac Sac. Congregatione. Quę hactenus narrata sunt, confirmàt Episcopus, valdeque cupit, ut Oratoris preces, adversus quem nulla adhuc Fiscalis instantia, ab EE. VV. excipiantur. Priusquam vero ad rem descendamus, duo diluenda sunt ipsius Episcopi dubia, an Beneficium scilicet, cujus ratione Dimissorias obtinuit Orator, tale esset, quale Apostolicæ Constitutiones requirunt, & an illius claudicatio irregularitatem induceret. Quoad primum igitur: ex hoc ipso, quod Dimissorias originario alterius Subdito Messanensis Archiepiscopus concessit, justa oriri videtur legitimi Beneficii præsumptio. Quoad secundum vero, simillimus claudicantis Clerici decisus fuit casus *in Messanen.* 28. *Aprilis* 1686. Rogata enim Sac. Congregatio = *An sit irregularis læsus in calcaneo, licet claudus ambulet sine baculo* = respondit = *negative* =.

His præmissis. Dubium non est, quin Orator per ascensum ad Sac. Ordines cum falsis Testimonialibus in suspensionem inciderit. Ita expresse sancivit *Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 3. de Reform.* Immo ad ordinatos cum falsis Testimonialibus eæ quoque trahendæ sunt graviores pænæ, quas de ordinatis cum falsis Dimisso-

riis

riis statuit *San. mem. Urbanus VIII. in Constitutione* 35. quæ incipit *Secretis*. Illudque advertendum, quod ubi agitur de suspensione simul, & irregularitate, licet soli ab Episcopo posset suspensio, mos tamen invaluit, ut de utraque Sac. Congregatio cognoscat. *Honorante in Prax. Tribunalis Eminentissimi Vicarii cap. 6. not.* 3. *pag.* 79.

Irregularitatem quoque Orator contraxit. Quamvis enim affirmet, nunquam se in susceptis Ordinibus ministrasse, reipsa tamen ministravit cum a Subdiaconatu ad Diaconatum, & a Diaconatu ad Presbyteratum ascendit. Siquidem = *Dicitur Ordines ministrare, qui dum est Subdiaconus ascendit ad Diaconatum, vel dum est Diaconus ad Presbyteratum, & ex isto solo ascensu fit irregularis tanquam Ordinum administrator* = inquit *Graff. de effect. Clericat. effect.* 1. *num.* 529.; ac docet *Card. Petr. ad Const. VII. Pii II. num.* 48. *tom.* 5. Sed ex hoc etiam capite irregularis est, quod furtim se Sacris Ordinibus per falsas Testimoniales intrusit. Quum enim vetitum sit sub anathematis pœna, ne quis ad eos Ordines non probatus accedat, legitimisque destitutus probationibus Orator accesserit, eam dubio procul contraxit irregularitatem, quam uti publicam Romanus tantum Pontifex dispensare potest juxta *Decretal. Innoc. III.*, & *Cœlest. III. in Cap. Veniens Cap. Cum lata*, & *Cap. Innotuit Nobis de eo, qui furtive Ordinem suscepit*, *Habert in Theolog. Dogmat. moral. tract. de Ordin.*; *Censur.*, & *Irregul. part.* 3. *cap.* 6. §. 12.

Hæ autem afferuntur absolvendi, & dispensandi causæ. Oratoris scilicet paupertas, quam miseratione dignam censet *Corrad. in Prax. Dispensat. Apostol. lib.* 4. *cap.* 10. *num.* 11., ibi = *Si* (Dispensandus) *sit pauper, & ad longum tempus abstinuit ab exercitio suorum Ordinum: nam Clerici præsertim pauperes sunt alendi Beneficiis ecclesiasticis, quæ dicuntur Patrimonium Christi* = Silentium rursus Fisci; diuturna carceris pœna; bonique Oratoris mores, quæ plurimi in solvenda suspensione, ac dispensanda irregularitate facienda autumat *Ferrar. in Biblioth. verb. Irregularitas art.* 3., *verb. Pœnitentia*, & *verb. Dispensatio*. Ac propitium denique Episcopi testimonium, enixaque ejus vota, ut EE. VV. Oratori indulgeant, ad exemplum Sacerdotis homicidæ, qui *in Consentina Irregularitatis* 20. *Martii elapsi anni*, ob effusas præsertim Consentini Archiepiscopi preces ab irregularitate dispensatus fuit per Rescriptum = *attentis peculiaribus Archie-*

piscopi precibus pro gratia, peractis spiritualibus exercitiis per mensem in aliqua Domo religioso arbitrio Archiepiscopi, & dummodo non celebret in Loco cammissi delicti.

Ab EE. igitur Vestris deliberandum erit

An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione, & respectiva dispensatione in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

ÆSINA TRANSLATIONIS MISSARUM. Laicalem Cappellaniam instituit anno 1648. Thaddæus Guglielmi in Ecclesia Divi Blasii Castri Majuleti cum onere trium Missarum in singulas hebdomadas, alteriusque Sacri diebus Dominicis, & Festis, omnium præsertim Sanctorum, quibus Tabulam pictam cum Altari in ea Ecclesia dicari jussit, voluitque = *che si debba fare officiare d. Altare nel modo sudetto*.

Missarum onus ad dies tantum Dominicos, & Festos reduxit anno 1669. tanquam Delegatus Apostolicus clar. mem. Cardinalis Cibo Æsinus Episcopus in Sac. Visitatione, & ad Parochialem ejusdem Castri Ecclesiam transtulit; iterumque anno 1782. ad triennum transferri permisit Sac. Congregatio ad Parochialem Ecclesiam Podii S. Marcelli, ubi hodiernus Patronus Seraphinus Guglielmi domicilium habet. Supplicat nunc idem Seraphinus pro perpetua dd. Missarum translatione ad eamdem Podii S. Marcelli Ecclesiam, & quatenus EE. Vestris placeat, pro commutatione etiam celebrationis ad dies feriales. Exposita confirmat Æsinus Vicarius Capitularis, & Oratoris precibus indulgendum censet. Majuleti vero Parochus resistit.

Si res integra esset, petitæ translationi adversaretur Fundatoris voluntas. Præcipua namque erga Ecclesiam Divi Blasii Majuleti affectione Sacrum in ea erigi Altare, ac Sacra in illo celebrari mandavit. Ubi autem talis concurrit affectio, permittendam non esse Missarum translationem docent *Navarr. cons.* 14. *num.* 10. *de Testam.*, *Gratian. discept.* 73. *num.* 4., & *Rot. in Rec. decis.* 309. *numer.* 11. *part.* 6., ac sæpe respondit Sac. hæc Congrega-

tio

tio in *Æsina Legatorum 21. Augusti 1700.*, *in Ariminen. Commutationis Missæ 14. Martii 1711.*, & *in Panormitana Translationis Oneris Missarum 26. Septembris 1739.*.

Quoniam vero derogatum semel fuit voluntati Fundatoris a clar. mem. Cardinali Cibo, ac perpetua semel demandata est Missarum translatio ab Ecclesia S. Blasii ad Parochialem Majuleti, jam amplius novæ translationi obesse non videtur primæva Fundatoris affectio, sed una tantum officere posset contradictio Parochi Majuleti, cui jus ex prima illa translatione quæsitum, sine justa, & publica causa auferri non deberet, juxta monitum *Fagnani in 3. lib. Decretal. cap. consultationibus 6. de Cleric. ægrotan. numer. 76.*, *Anton. Gabriel. de jur. quæsit. non tollen.*, & *Rot. cor. Molin. dec. 306. num. 35.*

Durior fortasse videbitur celebrationis commutatio ad dies feriales. Nedum sane adversatur voluntati Fundatoris, qui de festiva celebratione sollicitus fuit, sed publicæ etiam Majuletensis Ecclesiæ utilitati. Magis enim congrua est celebratio diebus Festis, in quibus ecclesiasticum urget audiendæ Missæ præceptum, magisque per eum Divinus cultus universo adstante Populo augetur. Qua de causa facilior esset commutatio a diebus ferialibus ad Festos, quum ad majorem Ecclesiæ splendorem, ac majus Populi commodum tenderet.

Hæ autem afferuntur translationis, & commutationis causæ. Mutatum a Patrono domicilium: Difficultas inveniendi in Castro Majuleti Cappellanum, qui diebus præsertim Festis celebrationi incumbat, quum universi Majuletenses Sacerdotes aliis gravati sint Missarum oneribus: Facilius Sacrorum implementum in Podio S. Marcelli, ubi apud Seraphinum Guglielmi bini sunt Filii Sacerdotes, quorum alter Cappellaniæ titulo Sacris initiatus est Ordinibus: Impervium quinque milliariorum iter a Podio ad Majuletum: Sufficientes Majuletensi Populo suorum Sacerdotum Missæ. Licet namque afferat Parochus = *quod in d. Castro exiguus sit Missarum numerus* = Capitularis tamen Vicarius affirmat = *quod non subsistit, cum ex Documentis, quæ pariter adnectuntur, evidenter resultet numerus Missarum sufficiens pro præcepti satisfactione illius exiguæ Populationis* = Conjecturata rursus Fundatoris voluntas, qui Heredibus potissimum, ac familiaribus Sacerdotibus per laicalem Cappellaniam consulere voluit, eisque dubio procul per commodam Missarum ce-

lebrationem consuluisset, si transmigrationem Familiæ prævidisset. Ac bonum denique Vicarii Capitularis testimonium, qui hæc omnia confirmat. His profecto, aliisque justis decausis non raro perpetuam Missarum translationem indulsit Sacra Congregatio, ut *in Sabinen. translationis Legati Missarum* 16. *Februarii* 1743.

Dignentur igitur EE. Vestræ decernere

An, & quomodo concedenda sit translatio Missarum in casu &c.

Die

Die Sabbathi 21. Aprilis 1787. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

CEPHALUDEN. SUSPENSIONIS, ET IRREGULARITATIS. Causa hæc cum sequenti, gravioribus affluentibus negotiis, proponi non potuit in superiori Congregetione diei 24. elapsi Martii; ideoque præ omnibus modo EE. Vestrarum judicio subiicitur.

Sess. 23. cap. 3. de Reform.

An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione, & respectiva dispensatione in casu &c.

Affirmativè ad cautelam.

ÆSINA TRANSLATIONIS MISSARUM.

An, & quomodo concedenda sit translatio Missarum in casu &c.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

Negativè in omnibus.

AMPURIEN. NULLITATIS PROFESSIONIS. Ad originarium hujus Causæ Dubium = *An constet de nullitate Professionis in casu &c.* = respondit S. hæc Congregatio die 20. Januarii currentis anni = *Affirmative* = Hujusce Rescripti confirmationem urget P. Angelus Ma-

Sess. 25. cap. 15. & 29. de Regular.

ria

ria Salinas, eique de more Professionis Defensor contradicit. Quum nil autem novi, in Facto præsertim deducant, hinc resumere dignentur EE. Vestræ præcedens Folium, & assueta maturitate respondere.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis.

Sess.24. cap. 3. de Reform.

AQUIPENDIEN. Decrevit olim Aquipendiensis Episcopus in Sac. Visitatione anni 1660. = *ad Procurationes, seu victualia, quæ in Visitatione erunt ministranda ab iis, qui visitantur, etiam Beneficia simplicia, Confraternitates Laicorum, ac Loca Pia, non tamen Hospitalia, pro eorum rata concurrere debere* = Ab eo nihilominus tempore ex pluribus Oppidi Canini Beneficiatis, Confraternitatibus, & Locis Piis in Procurationes contribuisse constat Parochum tantum S. Crucis, ac tres supranumerarios Canonicos Collegiatæ Ecclesiæ SS. Joannis, & Andreæ, qui distinctam a reliquis Canonicis habent Præbendam, integrumque fere illarum onus subiisse Capitulum.

Imminente Visitatione anni 1784. protestati sunt Capitulares in Curia Episcopali Aquipendii de contributione Procurationis ad formam antiqui Decreti. At manutentionem Episcopus concessit Beneficiatis, & Locis Piis *in possessione non solvendi Procurationes*, ac jura Capitulo *experienda coram Sacra Congregatione Concilii* in petitorio reservavit. Statim ad Sac. hanc Congregationem provocarunt Capitulares, rescripsitque Episcopus in transmittendis Actis = *satius esse ad evitanda infinita scandala, & dissensiones, quæ certissime orirentur, relinquere res in eo statu, quo semper fuerunt. Eo vel maxime, quia fere semper multa Beneficia a Dataria Apostolica conferuntur, & conferri possunt Personis in sublimi Dignitate constitutis, & nunquam in Terra Canini degentibus, quæ certe minime possunt coarctari. Adde, quod Capitulares Canonici non habent Reditus ita tenues, ut nequeant obligari ad supplendas Sac. Visitationis expensas* = Nunc itaque de futuris agitur contributionibus in primo Dubio, de præteritis in secundo.

Ju-

Juris dispositio favet quoad primum Dubium Capitulo. Quum enim inducta sit Sac. Visitatio in communem Clericorum, Piorumque Locorum utilitatem, ut ex *Conc. Trident. sess.* 24. *cap.* 3. *de Reform.* tradit *Ferrar. in Biblioth. verb. visitare num.* 74., *&* *seq.*, plane hinc sequitur, ut ii omnes, qui visitantur, ad illius Procurationem concurrere debeant, ad *Text. in Cap. Accedentes* 11. *de Præscript.*, *&* *Cap. Cum instantia* 17. *de Censib.*, & passim *Sac. hæc Congregatio*, ac præsertim *in Auximana Procurationis* 8. *Februarii* 1727., *in S. Marci Visitationis* 18. *Julii* 1733., *in Civitatis Castelli Procurationis* 28. *Novembris ejusdem anni*, *&* *in Fanen. Procurationis* 24. *Augusti* 1743. Hæc autem contributio fieri non debet viritim, & per capita, sed pro rata fructuum quos unusquisque ex Bonis Ecclesiasticis percipit, *Text. in Cap. Cum Apostolus de Censib.*, *Gloss. in cit. Cap. Cum instantia verb. prægravari eod. tit.*, *Fagnan. in lib.* 3. *Decretal. Cap. Procurationes num.* 20, *Antonell. de jur. Cleric. lib.* 2. *part.* 6. *cap.* 17. *n.* 69. & 71., *&* *Sac. Congregatio in Pientina Procurationis* 26. *Nov.* 1763.

Canonicis Sanctionibus consentaneum est Decretum latum ab Aquipendiensi Episcopo in Visitatione anni 1660., dum ad illarum præscriptum statuit, Pia omnia Loca, exceptis Hospitalibus, *ad Procurationes pro eorum rata concurrere debere*. Hujusmodi sane Decretum maximi faciendum esse dixit *Rot. in Rec. decis.* 90. *num.* 16., *&* *coram Emer. sen. decis.* 105. *num.* 1. Addunt etiam Canonici ex activo, & passivo Mensæ Capitularis statu, annuos omnes cujusque Præbendæ Reditus vix scuta viginti, detractis oneribus, attingere, licet arbitratus fuerit Episcopus, eos non habere *Reditus ita tenues, ut nequeant obligari ad supplendas Sac. Visitationis expensas*; annuos contra simplicium Beneficiorum, & Cappellaniarum Canini fructus in unum ascendere ad scuta 772. 88. Ideoque ab omni æquitate alienum dicunt, quod integrum ferre debeant Procurationis onus, qui inopia quodammodo laborant, ab eoque immunes sint, qui tantos ex Beneficiis percipiunt fructus, *Fagnan. in lib.* 3. *Decretal. de Censib. Cap. Venerabili num.* 33., *Barbos. de offic., & potest. Episcop. part.* 3. *allegat.* 73. *num.* 5.

Immemorabilem adversus hæc opponunt observantiam Loca Pia. Nunquam enim illa a pervetusto Decreto anni 1660., si tres excipias supranumerarios ejusdem Capituli Canonicos, & Parochum S. Crucis, in Procurationes con-

contribuisse docetur. Licet porro in hac privilegiata Procurationis materia vetita sit adversus Episcopum præscriptiva observantia per *Text. in Cap. Accedentes de Præscript.*, *in Cap. Cum ex Officio eod. tit.*, *& Cap. Cum instantia de Censib.*, admittitur tamen inter Beneficiatos, & Capitulum, aliosque ad Procurationem obligatos, dummodo quadragenaria sit cum titulo, vel immemorabilis, quum privatum respiciat *singulorum* interesse, ut in materia Decimarum notat *Guttier. quæst. Canon. lib.* 2. *capit.* 21. *num.* 67. ibi = *At vero in præscriptione secus est in proposito dicendum, quia requiruntur* 40. *anni cum titulo, vel tempus immemoriale . . Idque probatissimum est in Jure secundum Covarr. . . . in præscriptione Clericorum, & Ecclesiæ circa Decimas contra alteram Parochiam* =, & *Rot. in Rec. decis.* 479. *num.* 4. *part.* 3., & *coram Molin. dec.* 206. *n.* 11. . . .

Omittenda tamen non sunt, quæ in id ex Facto, & Jure Capitulares observant. Ex facto inquiunt, observatum præsumi Decretum anni 1660., nisi contrarium probetur, *Constantin. ad Statut. Urb. in prælud. num.* 100., *Rot. coram Seraphin. decis.* 153. *num.* 2. Reipsa immo observatum fuisse a Canonicis supranumerariis, & Parocho S. Crucis, quorum *unus vel alter actus plus valet ad sustinendam Legis observantiam, quam plurimi, copiosique contra Legem militantes*, ut inquit *Rot. coram Olivatio decis.* 237. *num.* 12. Tribuendam præterea esse concontributionum inexactionem oscitantiæ Capitularium, quibus injungi solet integrum Procurationis onus cum facultate taxandi reliquos Beneficiatos, & Loca Pia, *Sac. hæc Congregatio in Signina Procurationis* 2. *Aug.* 1670. *lib.* 26. *Decretor, pag.* 392., & *in Januen. seu Nullius Terlitii Visitationis* 22. *Januarii* 1706. *libr* 56. *Decret. pagin.* 25. Ac per simplicem denique hujusce facultatis non usum absque contradictione, & acquiescentia, sublatam non esse contribuendi obligationem *Fagnan. in cit. Cap. Venerabili num.* 23. *de Censib.*, *Rot. cor. Cerr. decis.* 606. *num.* 23., & *cor. San. Mem. Clem. XIII. decis.* 293. *n.* 10. *& seq.*.

Ex Jure vero animadvertunt, sæpe antiquissimam observantiam non contribuendi Procurationes, veluti Canonicis Legibus, ac naturali æquitati contrariam, ab hac Sacra Congregatione despectam fuisse. Ita *in cit. Signina Procurationis* 2. *Augusti* 1670., *in Auximana Procurationis* 8. *Februarii*, resoluta *die* 15. *seq. Martii* 1727.,

in

in Civitatis Castelli Procurationis 28. *Novembris* 1733., *& in Fanen. Procurationis* 24. *Augusti* 1743. , in qua ad Dubium = *An omnes Visitationi subjecti teneantur per contributum ad Procurationem* = non obstante consuetudine *quamcumque Hominum memoriam excedente* , responsum fuit *affirmative*.

Quo ad secundum autem Dubium , a primo ceteroquin dependens , non dubitat *Ancharan. in decis.* 248. *num.* 8. , *quin ille, qui tale Procurationis debitum solvit , possit debitorem , quem liberavit , convenire , ut sibi satisfaciat* = Actionem hanc exercere posset Capitulum per contributum adversus Beneficiatos omnes , Confraternitates , & Loca Pia Canini , exceptis Hospitalibus , non ab edito Decreto anni 1660. ob bonam observantiæ fidem, qua omissa fuit anteactis temporis contributio , *Text. in Leg, sed , et si lege §. fine fff. de petit. Heredit.* , *Rot. in Recen. decis.* 199 *num.* 11. , sed a die motæ Litis , *Text. in L.*3. *ff. de Interdict.* , *Surd. decis.* 25. *num.* 1. , *& seq.* , *Rot. coram Seraph. decis.* 385. *num.* 1. , *& Sac. Congregatio in d. Auximana Procurationis* 1777. , in qua ad secundum Dubium = *An Parochi , qui sustinuerunt totum pondus Procurationis in retroactis Visitationibus , sint proportionabiliter reintegrandi , & a quo fieri debeat repartitio* , *& exactio in casu &c.* = responsum fuit die 15. Martii = *affirmative pro ultimis Procurationibus*.

Supplicant ergo Capitulares , ut respondere dignentur EE. Vestræ.

I. *An , quomodo , & a quibus sit contribuendum pro Procuratione Episcopi visitantis in casu &c.*

II. *An , contra quos , pro qua summa competat Capitulo reintegratio pro præteritis Procurationibus in casu* =

Ad primum affirmative ad formam Decreti 1660. juxta liquidationem faciendam coram Episcopo .

Ad secundum affirmativè pro ultima Procuratione tantum.

Sess 24. cap. 12. de Reform.

SUTRINA. In Parochiali S. Andreæ Apostoli Roncilionis Ecclesia quinque præter Rectoratum sunt Beneficia, quorum natura, & qualitas controvertitur. Hodiernus Rector Horatius Generali obstrictos esse contendit Beneficiatos residentiæ, ac hebdomadali servitio. Negant Beneficiati. Nititur ille Decreto edito ab Episcopo Silvestri in Sac. Visitatione anni 1753. Petierant Beneficiati præ Redituum tenuitate = *che voglia sgravarli dal peso dell' Eddomada quotidiana, ed accordargli, che solo ne' giorni festivi una volta per ciascuno, e per turnum celebrino la Messa pro Benefactoribus* = Decrevit autem Episcopus, quod = *Non essendo la Chiesa di S. Andrea eretta in Collegiata, ed essendo in essa fondati alcuni Beneficj, che si godono da Preti Secolari, quali con il Rettore la officiano a guisa della Collegiata di questa nostra Città di Ronciglione, ed essendo i medesimi Rettori, e Beneficiati gravati di molti pesi, e fra questi per consuetudine immemorabile del peso dell' Eddomada, se bene le Prebende siano di molto tenue fruttato, ed inoltre l'esito superi l'entrata &c., perciò con lasciare nel suo primiero immemorabile vigore, ed osservanza la predetta Eddomada permettiamo solo all' Eddomadario la libera applicazione* =. Alteroque nititur Decreto clar. mem. Cardinalis Pamphili Visitatoris Apostolici, qui indulgentiam Episcopi Silvestri egere censuit Sac. hujus Congregationis approbatione = *Ricorrino gli Oratori per la necessaria sanatoria alla Sagra Congreg. del Concilio* =.

Confidunt contra hodierni Episcopi judicio Beneficiati. Ait enim, quod Beneficia illa = *semper uti simplicia, nulloque affecta residentiæ onere æstimata fuere. Alterum ex hisce Beneficiis cum superioribus annis vacasset, cumque illud semper uti simplex, nulloque adjecto onere collatum fuerit & a Dataria Apostolica, & ab Ordinario &c. fuit hac de causa &c. a S. Sede, prævia Bullarum expeditione, Seminario cum onere unius Sacri quolibet anno in die S. Andreæ unitum* = Deindeque concludit, non immerito Beneficiatos libertatem a residentia vindicare = *Nam eadem Beneficia habuerunt non modo Roncilionenses, sed & alibi commorantes, & quidem cum altero Beneficio residentiali, ut omissis vetustioribus collationibus, luculentum testimonium suppeditat Beneficium, quod una cum Canonicatu in Collegiata Roncilionis tenet modo Sacerdos Dalmazj* =.

Reque vera cum de Ecclesia agatur nunquam *eretta in Collegia-*

giata, ut dixit Episcopus Silvestri, hinc pro simplici Beneficiorum qualitate urgere videtur praesumptio, de qua *Garz. de divis. Benefic. cap.* 6. *num.* 8. *part.* 1., *& Rot. cor. Pamphil. decis.* 119. *num.* 8. Plurimum quoque in id confert ultimus status, retentio scilicet alterius Beneficii a Sacerdote Dalmazj *una cum Canonicatu in Collegiata Roncilionis*, *Corrad. in Prax. Dispensat. lib.* 6. *cap.* 1. *n.* 34., & *Rot. in Vicen. Rectoriæ* 16. *Februarii* §. 5., & 6. *Decembris* 1756. §. 3. *cor. Bussio*. Collatio rursus Beneficiorum tanquam de simplicibus, nulloque onere affectis, *Pignatell. consult. Canon.* 36. *num.* 17. *tom.* 4., ac unio denique unius ex Beneficiis Sutrino Seminario, quae juxta *Concilium Trident. Sess.* 23. *cap.* 18. *de Reform.* de simplicibus tantum Beneficiis fieri debet.

Advertendum tamen est, jamdiu Beneficiatos in supplici Libello, quem dederunt Episcopo Silvestri, exonerari tantum postulasse ab hebdomada, ultroque obtulisse celebrationem Sacri pro Benefactoribus = *ne' giorni festivi una volta per ciascheduno, e per turnum* =. Illudque praeterea notandum, quod in altero ad Sac. Congregationem Rectoris Libello enunciantur *Bullæ erectionis*, quae non exhibentur.

Quoties vero Beneficiati praestare non teneantur Ecclesiae servitium, de quo in primo Dubio, neque, inquit Rector, participes fieri debent emolumentorum, de quibus in secundo. Rem probat Episcopus per haec verba = *Illud unum addere censeo, quod si Beneficiati Roncilione commorantes nullum præstant Ecclesiæ servitium, ut Rector contendit, æquum non est, ut Funerum emolumentorum sint participes, eoque minus, ut Rector alios Sacerdotes pro Exequiis advocare non possit. Cæterum alter ex Beneficiatis quotidie Sacrum facit in Ecclesia S. Andreæ, & alter diebus Festis in contigua Ecclesia S. Mariæ de Providentia pro Populi commoditate* =. Et sane si nullam erga Parochum obligationem habent Beneficiati, neque is vicissim aliquid eis debet; quum Missarum eleemosynae, Funerumque emolumenta ad Parochum certissime pertineant, *Reinfest. in lib.* 3 *Decret. tit.* 25. *num.* 6., *Cardin. de Luc. de Decim. discurs.* 19. *num.* 8.

His igitur expensis, deliberandum erit ab Eminentiis Vestris.

I. *An, & quomodo Beneficiati Ecclesiæ S. Andreæ teneantur præstare eidem Ecclesiæ servitium per hebdomadam in casu &c.*

II. *An iidem Beneficiati participes esse debeant emolumentorum Funerum, & Missarum, quæ dictæ Ecclesiæ offeruntur, & Rector ejusdem Ecclesiæ cogatur eos privative vocare pro Exequiis Defunctorum in casu &c.*

Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem, nempe quod transmittat Bullas Erectionis, sin minus Fundationis, nec non referat, an dicti Beneficiati unum Collegium constituant, communi utantur Sigillo, Massam communem habeant, & de aliis signis Collegialitatis prout de jure, & de qualitate servitii per Hebdomadam ab Oratoribus præstiti.

Sess.22.cap.11. de Reform.

FIRMANA COMPENSATIONIS. Ad Parochialem reparandam Ecclesiam S. Salvatoris Oppidi Belmontis imposuit anno 1776. Parochus Franciscus Urbani ad summam usque scutorum 299. 15. quatuor Census super Bonis Paræciæ. In concedenda autem licentia legem ei, ejusque successoribus dedit Sacra Episcoporum, & Regularium Congregatio solvendi illorum fructus, ac deponendi in Sac. Monte Pietatis Firmi annua scuta decem in extinctionem sortis.

Defuncto post nonnullos annos Parocho, damnavit Firmanus Archiepiscopus Latinum Antonium Urbani germanum ejus fratrem, & hæredem ad conficiendum depositum scutorum 37. 50. ab illo neglectum, eique reservavit jura pro prætensa compensatione, seu reintegratione scutorum 85. 14., quæ impensa de proprio fuisse contendebat a defuncto Fratre in restaurationem Ecclesiæ. Provocavit hac de re Latinus ad Sacram Congregationem; sed pluries interpellatus, jura sua deducere negligit.

Hæc Archiepiscopus de suo judicio refert = *Rationibus sane hinc inde deductis, & iterum mature examinatis, rursus in ea sum sententia, quam duplici meo Rescripto extrajudicialiter dedi. Et revera Oratoris Frater fabricam Ecclesiæ aggressus fuit, non uti persona ad hoc opus deputata, sed uti Porochus, & Rector. Hinc si plus impendit, quam tulerunt data assignamenta, ratio sane non est, ob quam debeat ab Ecclesia reintegrari, semel ac id egit, ad quod de Jure tenetur. Sed rursus non constat, quod re vera plus impenderit, quia de reddita legitima redditione rationis, quæ necessario præcedere debuisset, legale non datur documentum. Urget demum, quod cum ipse post expletam Fabricam per quinque annos supervixerit, utique se rein-*

tegrasse dici debet ex Reditibus ejusdem Ecclesiæ, qui fere biscentum nummos singulis annis præstant =.

Singulis hisce rationibus, quibus hodiernus etiam insistit Parochus Petrus Nobili, Legum additur auctoritas. Latini porro debitum scutorum 37. 50. ob non factum a Fratre depositum, ex propria constat confessione, quæ superlativam constituit probationem, ad *Text. in Cap. Per tuas de Probat.*. Prætensum contra illius creditum ex privato desumitur defuncti Fratris Liberculo, quem *ad proprium commodum Scribentis nullam facere probationem* dixit *Rot. in Recent. decis.* 119. *num.* 5. *part.* 16., *Gen. de Script. privat. lib.* 5. *quæst.* 9. *de Scartafaciis num.* 4. Exceptionem rursus patitur non redditæ rationis, ante quam nemo dici valet creditor, aut debitor, *Rot. coram Olivatio decis.*507. *num.*6. *tom.*5., & *in Callien. Crediti* 26. *Martii* 1756. §.4. *cor. clar. mem. Card. Caprara*. De tali præterea credito satisfactus præsumitur Parochus Urbani per diuturnam Redituum Parochiæ perceptionem, *Rot. cor. Molin. decis.* 506. *num.* 14. Et quod plurimum denique urget, si quid etiam de proprio in restaurationem Parochialis Ecclesiæ impendit, muneri suo satisfecit; nam = *qui Parochiales Ecclesias habent &c. ad reparationem, & institutionem Ecclesiarum cogi debent* = ut statuit *Text. in cap.*4. *de Eccles. ædifican.*, & monet *Rot. in Recent. decis.*545. *num.*1, *part.*3.

Si Ecclesiæ igitur creditum adversus hæredem Parochi Urbani liquidum est, prætensum vero Urbani creditum omnino illiquidum, sequenda forsan erit regula illa = *de liquido ad illiquidum non datur compensatio* = de qua *Text. in Leg. fin. Cod. de compensat.*, & *Rot. cor. Olivatio decis.*554. *num.*1. *tom.*5. Maxime, quia ex pluribus Testibus hodiernus Rector probat, Cæmenta omnia, & Tigna, quæ reparationi Ecclesiæ superfuerunt, adhibita fuisse a Parocho Urbani in restaurationem Domus Parochialis, quam in se per Transactionem susceperat in correspectivitatem biennalis Pensionis, quam ei decessor Parochus Franciscus Agostini remisit.

Quæritur itaque

An sit locus compensationi in casu &c.

Negative.

Sess. 22. cap. 9. de Reform.

TUDERTINA REDDITIONIS RATIONIS. Paulus Spaziani heredes ex Asse instituit anno 1606. Societates SSmi Sacramenti, Conceptionis, & Rosarii Civitellæ, jussitque, ut publicum retinerent Ludimagistrum, annuas cum Anniversario celebrari facerent Missas quinquaginta, hebdomadales tres, ceterosque Hereditatis fructus in temporales erogarent Dotes scutorum 25.. Hujusce autem piæ dispositionis executores dedit Priorem, seu Archipresbyterum pro tempore ejusdem Castri Civitellæ, &Priorem Cathedralis Ecclesiæ Tudertinæ.

Post alios, qui decesserunt, delatum novissime fuit executorum munus ad Tudertinum Priorem Benedictum Laurenti, & Philippum Dominici Priorem Civitellæ. Hos iterum atque iterum apud *SSmum Dominum Nostrum* malæ administrationis incusarunt Confraternitatum Sodales, precibusque ad Tudertinum Episcopum remissis, præ omnibus Ille in administratorem Hereditatis deputavit Dominicum Pensi, deindeque per definitivam Sententiam edixit = *Reos conventos* (Priores nempe) *teneri, & obligatos esse ad legitimam redditionem rationis, & pro hujusmodi effectu contra eosdem relaxandum fore, & esse Mandatum de gravando in scuto uno quolibet die, donec legitimam reddiderint rationem*. Re autem ad Sac. hanc Congregationem in gradu appellationis delata, duo nunc proponuntur Dubia.

Posita siquidem in Prioribus Dominici, & Laurenti administratione Hereditatis Spaziani, facillima esset primi Dubii resolutio. Nemo enim nescit, administratores omnes sive necessarios, sive voluntarios, tum legitimos, cum dativos ad redditionem rationis teneri, & cogi posse ad *Text. in Leg. Qui negotiationem* 59. *ff. de administr., & pericul. Tutor., & Leg.* 2. *ff. de Negoc. gest., Escobar. de Ratiocin. cap.*1. *num.* 5., & *cap.*2. *num.* 32. Maxime ubi res sit de administratoribus Hereditatis ad pios usus destinatæ, ut ex *Conc. Trident. Sess.* 22. *cap.* 9. *de Reform.* dixit *Rot. coram Molin. decis.* 672. *num.* 32., & *Sac. hæc Congregatio in Asculana Commutationis Voluntatis* 20. *Januarii* 1776.

At inficiatur Prior Dominici, unquam se hereditaria Bona contrectasse. Administratio, inquit, quæ de Jure non præsumitur ad tradita per *Rot. in Romana Pecuniaria* 9. *Maii* 1757. §. 3. *coram Stadion.*, multo minus præsumi debet in executoribus testamentariis, qui non tenentur ratione officii administrare, *Rot. in Recen. decis.* 349. *num.*1.

num. 1. *part*. 15. Contrariam immo in nostro themate urgere contendit præsumptionem, quod ob delatam Societatibus Hereditatem, administratores potius fuerint Sodales, quorum principaliter intererat piorum operum implementum, *Rot. in Rot. in Recen. decis.* 242. *num*.3., *&* 6. *part*.5 *tom*.1.

Legalibus hisce præsumptionibus opponunt Sodales Facta, Reipsa enim Prior Dominici per retentionem Librorum, exactionem fructuum, solutiones, & similia de plerisque hereditariis Bonis disposuit. Is autem verus dicitur administrator, qui Bona contrectat, *Rot. cor. Lancett. decis*.833. *num*.2., *cor. Molin. decis*.506.*num*.4., *& in Ariminen. Redditionis Rationis* 6. *Junii* 1710. §. 3., *& seqq. cor. Scotto*.

Sedulo præterea advertendum rogant Sodales, nullum unquam ipsis ab Archipresbytero Dominici relictum fuisse administrandi locum, dum perpetuus ille fuit Societatum Prior, seque ipsum ad eum Officium proclamare consuevit = *in tempo della sua Messa* = Justus autem hic administrandi titulus validior in eo erat ob adjunctam executoris testamentarii qualitatem; nam heredis loco quodammodo habetur Pii Operis executor, *Piton. de contr. Patron. allegat*. 14. *num*.5.

Hæc quoad Priorom Dominici. Quo vero ad Priorem Laurenti; aliquantulum, & ipse administrationem negavit coram Episcopo. Sed propriis deinde convictus factis (privative enim hereditarie Loca Montium administraverat, hereditariam egerat litem, pluresque ex hereditariis fructibus solutiones fecerat) his, inquam, convictus factis, quasdam exhibuit dati, & accepti Notulas, legitimamque per eas rationem reddidisse autumabat. Notandum vero ex Jure, quatuor potissimum ad legitimam rationis redditionem requiri; *Libros* scilicet *rationum legitime, & secundum consuetudinem Patriæ confectos edere: calculum ponere: reliqua solvere: moram purgare*. Ita *Escobar de Ratiocin. cap*.2. *sub num*.1., *& Guttier. de Tut.*, *& Cur. part*.3. *cap*.1. *num*.69.

Si ita est, jam reddita non videtur a Priore Laurenti legitima ratio. *Aliud enim est exhibere computa, sine quibus rationum redditio fieri nequit, aliud vero ipsas rationes reddere, ad quem effectum ostensio calculorum est solummodo quid materiale* = ut hisce verbis monet *Rot. in Hildesinen. Præpositurae super Redditione Rationis* 25. *Junii* 1753. §.4. *cor. Amadeo*, & consonat eadem *Rot. in Rec. dec*.586. *num*.4. *pat*.1., *coram Lancett. decis*. 1058. *num*.9.

num.9., & *in Leodien. Redditionem Rationis 5. Junii 1744. §.6. cor. Molino*.

A resolutione primi Dubii pendet resolutio secundi. Si a petita rationis redditione Priores absolvantur, æqua etiam esset ipsorum absolutio a pecuniaria pæna per Episcopum comminata. Justam enim habuissent causam non parendi præcepto, *Polit. de Verbor. oblig. quæst. 10. dissert. 9. num.10. tom.4.*, *& Rot. in rec. dec. 393. n.101. part.4. tom. 2.* Si contrarium vero erit quoad redditionem rationis EE. Vestrarum judicium, tunc decernenda pariter videretur solutio pænæ, quam justa de causa Episcopus decrevit, ut ex Sententia *Divi Thomæ 2. 2. quæst. 62.* docet *Fagnan. in 3. lib. Decretal. de Regular. cap. Si quis num. 52.* Decernenda autem esset a die condemnationis ad *Text. in Leg. Si qua pæna 244. ff. de verb. signif.*, *Guttier. de Tut.*, *& Cur. part. 3. cap. 24. n. 18.*

Dignentur itaque EE. Vestræ declarare.

I. *An constet de administratione exercita per Archipresbyterum Philippum Dominici, ac Priorem Bernardinum Laurenti, ita ut sit locus redditioni rationis in casu &c.*

Et quatenus affirmativè.

II. *An, & a quo tempore substineantur gravatoriæ in casu &c.*

Ad primum = Affirmativè pro Negotiis Confraternitatum ab unoquoque gestis infra terminum ab Episcopo præfiniendum.

Ad secundum = Negativè.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

DERTHONEN. REDUCTIONIS ONERUM. Ex annuis Mediolanensibus Libris 300., seu scutis 50. monetæ Romanæ Cappellaniam instituit anno 1707. Antonius Robbio in Parochiali Ecclesia Oppidi Salarum cum onere quotidiani Sacri, & choralis residentiæ in Divinis, ad quam tamen teneretur solus Cappellanus, *qui non erit de Familia*. Passivum Patronatum reservavit Sacerdotibus, & Clericis de Familia, ac in eorum defectum Sacerdoti, aut Clerico Salarum magis idoneo, & morigerato ad nominationem Heredum.

Aucta in ea Regione ad obulos sexdecim cum dimidio manuali eleemosyna, Sacram hanc Congregationem exorarunt Patroni pro diminutione onerum, eorumque pre-

precibus ita annuendum censuit Derthonensis Episcopus, ut Libellæ duodecim Pedemontanæ, seu scuta fere duo Romana pro chorali assignarentur residentia, ac tot ex reliqua summa celebrarentur Sacra ad manualem. Proposita tamen instantia per Summaria Precum in Congregatione diei 20. Maii elapsi anni, eam EE. Vestræ ad Folium ablegarunt. Iterum ergo sub infrascripto proponitur Dubio.

Potissima reductionis Missarum causa est Redituum imminutio, *Monacell. Form. legal.* 19. *tit.*20. *part.*1. *num* 25., *& Sac. hæc Congregatio in Senogallien. Reductionis* 10. *Maii* 1783. At si juxta præsentem casum adjunctum sit illarum celebrationi servitium Chori, hoc potius, & ante omnia delendum censet *Garz. de Benefic. part.* 7. *cap.* 1. *num.*126. Magis enim Defunctorum Animæ ex Sacris, quam ex aliis piis operibus suffragantur, *Fagnan. in lib.*1. *Decretal. cap. Ex parte de Constit. num.*34.

Accedit ordo testamentariæ Scripturæ, quæ incipit a celebratione Missarum, ac Lex choralis residentiæ in eo tantum casu, quo non adesset Cappellanus de Familia. In his sane terminis præsumpta etiam urget Testatoris voluntas, ut cetera prius onera, quam Missæ reducantur, *Fagnan. loc. cit.*, *Benedict. XIV. de Syn. Diœc. l.* 13. *cap. ult. num.* 23., *& Sac. Congregatio in Regien. Reductionis Servitii Chori*, *& Missarum* proposita *die* 29. *Julii* 1775., ac resoluta *die* 17. *Aprilis sequentis Anni*.

Momentosum contra videri posset judicium Episcopi. Forte enim per modicam duodecim Sacrorum reductionem in singulos annos consultum putavit decori Ecclesiæ, ejusque chorali servitio. Id forte consentaneum censuit voluntati Testatoris, qui per demandatam nominationem Clerici, vel Sacerdotis Oppidi Salarum in defectum illorum de Familia, Parochialis Ecclesiæ splendorem optasse censetur. Rationabilis tamen hæc Episcopi Sententia in eo tantum casu locum habere posset, quo extraneus quærendus esset Cappellanus. Ex aperta namque Fundatoris voluntate immunes sunt Clerici, & Sacerdotes de Familia a Choro.

Definiendum itaque erit ab EE. Vestris.

An, & quomodo sit locus reductioni onerum in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

Seʃʃ. 25. cap. 4. de Reform.

FIRMANA CAPPELLANIÆ. Propoſita hæc Cauſa fuit in Congregatione diei 3. elapſi Martii ſub Dubio = *An ſit ſervanda remotio Canonici Joſephi Canepini a Cappellania ſub invocatione Spiritus Sancti, ſeu potius idem Canonicus Canepini ſit reintegrandus in caſu &c.* = prodiitque Reſcriptum = *Affirmative ad primam partem, negative ad ſecundam* = Celerem hanc repropoſitionem conſtanti animo flagitavit Canonicus Canepini; ſed nova hactenus ejus jura afferre neglexit. Reſumpto igitur Folio diei 3. præcedentis Februarii, reſpondere dignentur EE. Veſtræ.

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

Die Sabbathi 19. *Maij* 1787. *in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

PRiores duæ, quæ sequuntur Causæ, proponi non potuerunt in postrema Congregatione diei 21. elapsi Aprilis. Benigne igitur Emi Patres præcedens consulant Folium, ut eas expediant.

DERTHONEN. REDUCTIONIS ONERUM.
An, & quomodo sit locus reductioni Onerum in casu &c. — *Sess.25. cap.4. de Reform.*

Affirmative deleto servitio Chori, & celebratis Missis ad rationem manualis.

FIRMANA CAPPELLANIÆ.
An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c. — *Sess 25. cap.4. de Reform.*

In Decisis, & amplius.

MACERATEN. DISPENSATIONIS. Proponi non potuit Causa ista ob negotiorum copiam in Congregatione diei 3. elapsi Februarii, & ob suffragiorum discrepantiam indecisa remansit in sequenti diei 3. Martii edito — *Sess.24. cap.7. de Reform.*

Rescripto *iterum proponatur*. Denuo igitur EE. Vestrarum judicio subiicitur originarium Dubium.

Licet faveant Canonico Assortati compatibilitas onerum Rectoratus Immaculatæ Conceptionis cum oneribus Canonicatus Divi Blasii Montis Milonis, tenuitas redituum Canonicatus, observantia fundationis proxima, & judicium Episcopi; ei tamen non obscura adversatur mens Fundatoris; nam generalis illa ratio augendi in Oppido Sacerdotum numerum = *quæ Fundatorem impulit ad statuendam incompatibilitatem, non minus aptatur Capellanis S. Blasii, quam Præposituræ* = ut in simillimo casu dixit Sac. Rotæ Auditorium *in Maceraten. Rectoriæ* 14. *Aprilis* 1738. *cor. Elephantutio*. Potissima autem incompatibilitatis ratio est Fundatoris voluntas, *Sac. Congregatio in Firmana Capellaniæ* 23. *Februarii* 1782.

Iterum ergo quæritur

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu &c.

Negative.

Sess. 21. cap. 7. & Sess. 24 cap. 10. de Reform.

FIRMANA INTERDICTI, ET TRANSLATIONIS.

Duo ad instantiam Francisci Discreti Parochi S. Mariæ de Puteo Oppidi S. Martini proposita fuerunt Dubia in Congregatione diei 17. Julii 1779. = *An scilicet sit locus translationi Parochiæ S. Mariæ de Puteo ad Ecclesiam S. Joannis Montis S. Martini* =, & quatenus affirmative = *An sit locus unioni Beneficii erecti in d. Ecclesia S. Joannis, & omnium Sanctorum Reditibus ejusdem Parochiæ* = prodiitque ad utrumque, contradicente Sacerdote Achille Urbani, Rescriptum = *Negative, & ad D. Secretarium ad mentem; & mens est, quod Vicarius Capitularis curet restaurationem Ecclesiæ ad formam Concilii Tridentini Sess. 21. cap. 7. de Reform., & subinde, ut in eadem Parochiali Ecclesia S. Mariæ de Puteo reponatur SS. Eucharistiæ Sacramentum, & Oleum Sanctum, ita ut in eadem Parochus Sacramenta ministrare possit* =.

Ob neglectam restaurationem, inspectamque Parochialem Ecclesiam *squalidam, & indecentem*, reservavit sibi Firmanus

nus Archiepiscopus in Sac. Visitatione 3. Junii elapsi anni facultatem providendi, eamque deinde per modum provisionis Interdixit, permisitque Parocho translationem munerum Parochialium in alteram Divi Joannis Ecclesiam donec reficeretur. Hac de re eligi jussit Architectum, qui de restauratione, ejusque sumptu, binosque Agrimentores, qui de infructiferis Bonorum Paraeciae arboribus, earumque pretio referrent. Reclamantibus verò ad Sac. Congregationem Parochianis, eorumque nomine Antonio Piroli ab interdicto, & translatione, infrascriptum proponitur Dubium.

Sedulo prae omnibus advertendum rogat Piroli, rem non esse de privilegiato Visitantis Decreto, a quo ex dispositione *Sacrosancti Concilii Tridentini Sess.* 24. *cap.* 10. *de Reform.* non datur appellatio. Ob suprema enim Sac. Congregationis mandata de Parochiali restauranda Ecclesia, ac de exercendis in ea Parochialibus muniis, non aliam Firmanus Antistes gerere poterat figuram, quam simplicis executoris, *Tex. in Leg. Executorem* 8. *Cod. de execut. Rei judic.*, *Ferrar. in Biblioth. verb. Executor num.* 1. Reque vera tamquam executor, ac = *pro effectu executionis supradicti Rescripti* = facultatem sibi reservavit providendi; tanquam executor, & = *inhaerendo Rescripto edito in contradictione Partium a Sac. Congregatione Concilii* = Peritos deputavit, & Parochialem interdixit Ecclesiam.

Licet deinde Episcopi legittima polleant Interdicti ferendi potestate ex *Cap. Ex frequentibus* §. 1., & 2. *de Senten. excomm.*; cui plaudit *Gibert. in Jus Canon. tom.* 3. *tit. de Interdict. pag.* 136., ea tamen gravissimis tantum de causis uti debent quoad Parochialem Ecclesiam, quum ejus interdictio afficiat etiam Parochianos, quos propriae Parochiae Divinis absque culpa prohibere non decet, *Piringh. in Jus Canon. tit.* 39. *n.* 251. *pag.* 509. *tom.* 4. Hoc autem posito, ad memoriam revocat Piroli, eas ipsas squalitudinis, & indecentiae causas, ob quas interdicta est Parochialis Ecclesia S. Mariae, tanti apud EE. Vestras non fuisse in Congregatione diei 17. Julii 1779., ut interdici in ea meruerint parochialia munia.

Ad haec opponit Parochus Discreti defectum legitimi contradictoris, quum unus Piroli, ceteris reluctantibus Parochianis, Judicio sistat. Addit immo retractationes illorum, qui Mandatum Procurae cum eo subscripserant, aliorumque attestationes de translationis necessitate. Opponit insuper relationes Peritorum, qui Parochialis Eccle-

clesiæ statum, arboresque infructiferas de mandato Archiepiscopi recognoverunt, & consentaneum ipsius Archiepiscopi judicium. Alter sane ex Peritis refert, excitandam potius esse fatiscentem Ecclesiam a fundamentis cum impensa scutorum mille; vix reliqui arborum pretium statuunt in scutis biscentum. Archiepiscopus vero ex his concludit, nulla alia esse media, quibus *reædificationi hujusmodi occurri possit* = Maxime, quia Parochialis Ecclesiæ Reditus vix, detractis oneribus, annuam attingunt summam scutorum 26., & ob.64.

Constanti tamen animo sustinet Piroli, permissam sibi uni esse *popularem*, quam pro Ecclesia exercet actionem, *Card. de Luca de Judic. disc.* 12. *num.*6., talem vero non esse exteriorem Parochialis Ecclesiæ aspectum, & interiorem murorum structuram, ut restaurationis curam eludant. Ejus dictum præ ceteris probat Faber murarius, qui ex oculari inspectione affirmat = *che la medesima è nel medesimo stato, in cui era prima* (anno scilicet 1778), *e non ha punto deteriorato, ma forse migliorato per essere stata ripulita* = Alii rursus probant Testes, qui totum Ecclesiæ malum consistere ajunt in uno lateralis muri madore, eique facili negocio occurri posse, si aqua pluvia divertatur. Ac probare tandem videtur Archiepiscopus ipse, dum eodem tempore, quo Ecclesiam interdixit, per Architectum referri jussit = *quomodo fieri possit præfata instauratio, & quomodo occurri possit pro tollenda humiditate in muro laterali* =.

Contendit quoque sub aliorum Peritorum fide, tot cæduas arbores in Bonis Paræciæ esse, ut haberi valeant absque illorum detrimento aurea sexcenta, utilemque immo fore Prædiorum culturæ ampliorem incisionem. Atque hinc injustum dicit interdictum Parochialis Ecclesiæ, quæ commode ex pretio arborum reparari potest, injustam translationem munerum parochialium ad Ecclesiam Sancti Joannis, quæ difficillimo præsertim hyberni tempore frequentari nequit. Neque excusari posse ait Archiepiscopi Decretum ex provisionali ejus qualitate; nam etiamsi Parochialis Ecclesia in eo fuisset statu, ut provisionalem parochialium munerum translationem in aliam Ecclesiam exigeret, fieri tamen debuisset translatio vel ad Matricem Ecclesiam S. Martini, vel ad alteram Divi Augustini viciniorem, juxta præscriptum *Sac. Concilii Tridentini Sess.* 21. *cap.* 7. *de Reform.*

Vestrum igitur, Eminentissimi Patres, erit decernere.

An, & quomodo Decretum latum in Sacra Visitatione an-

ni

ni 1785. quoad Interdictum Ecclesiæ S. Mariæ de Puteo, & translationem munerum parochialium ad Ecclesiam S. Joannis sustineatur, & exequendum sit in casu &c.

Affirmative juxta modum, nempe translationem provisionalem faciendam esse ad Ecclesiam S. Thomæ, & amplius, & scribatur Archiepiscopo juxta mentem.

VITERBIEN. TRANSLATIONIS MISSARUM. *Sess.21. cap. 7. de Reform.*
Suppressit anno 1738. defunctus Præsul Caracciolo tanquam Delegatus Apostolicus Societatem Confalonis Vetrallæ, ejusque Bona univit Sodalitio Misericordiæ ejusdem Civitatis cum onere celebrandi Sacrum Feria sexta cujuslibet hebdomadæ in adimplementum Legati Bracalini, ac solvendi quotannis Expositorum Hospitali scuta 40. Sive tamen, quod imparia ab initio essent oneribus Bona, sive quia per injuriam temporum, aut malam administrationem talia evaserint, sæpe intermissum est Sacrum, nunquam annua scuta 40. soluta fuerunt. Ut Hospitali igitur consuleret, tot clar. mem. Cardinalis Castelli, Apostolicus etiam Delegatus, occupavit Sodalitii Bona, quot annuæ præstationi responderent. Atque hinc evenit, ut crescente illius egestate, creverit quoque hebdomadalis Sacri omissio; pro qua semel & iterum Sodales compositionem a Rev. Fabrica S. Petri implorarunt.

De futuro autem Legati Bracalini implemento soliciti, duo nunc Sodales ipsi ab hac Sac. Congregatione postulant, quæ cum paupertate eorum Sodalitii componi posse arbitrantur. *Unum*, ut satisfacere liceat Legato per Sacrificium, quod singulis diebus Festis celebrat Cappellanus Sodalitii absque ulla obligatione. *Alterum*, ut Sacrificium ipsum, quod Legati vi agendum esset in derelicta Ecclesia S. Petri, ad suppressam olim Confalonis Societatem spectante, impleri valeat in propria Ecclesia. Utrique instantiæ favet Emus Episcopus, & utraque sub infrascripto Dubio continetur.

Religionem, & severitatem, quæ in commutandis voluntatibus adhibetur, vincit necessitas, *Fagnan. in 1. lib. Decretal. cap. Ex parte 12. de Constit. num.23.* De impotentia Sodalitii Misericordiæ testis est experientia ipsa, dum pluries post Bonorum avulsionem adierunt Sodales Rev. Fabricam S. Petri pro compositione, ac testis est Emus

Emus Episcopus, qui ex ore Vicarii Foranei refert = *Quæcumque exposita sunt, adeo veritati consona esse, ut nihil supra* = exposuerant autem Sodales in Precibus = *non esser possibile una tale sodisfazione per la tenuità dell' entrate*.

Levissima insuper videtur mutatio, qua Sacri celebratio ad Festum cujuslibet hebdomadæ diem a Feria sexta traducitur, valdeque interest, Defunctorum voluntatem meliori, quo potest modo impleri, *Rot. cor. Falcon. tit. de Legat. decis.* 14. *num.* 15., & *decis.* 530. *num. pariter* 15.. Accedit, quod legantis Bracalini Tabulæ deficiunt, nullaque diligentia inveniri potuerunt. Expressa ergo latet illius voluntas, quæ si merum Animæ suffragium respexisset, procliviores in translationem esse deceret, *Gratian. discept.* 73. *num.* 5., & *Sac. Congregatio in Interamnen.* 19. *Julii* 1777. Seduloque postremo notandum, quod subrogandæ Missæ a quavis exemptæ sunt applicationis obligatione; nam refert Emus Episcopus = *Sodalitium Misericordiæ nullum habere Statutum, prædictumque Sacrificium celebrari sine applicatione ex simplici devotione, & commoditate Confratrum* =.

Eadem necessitas, quæ mutationem diei, mutationem suadet Ecclesiæ. Sub juramento enim affirmant Testes = *La Chiesa di S. Pietro* (a Legante designata) *è affatto inofficiabile, restando continuamente chiusa, e sprovista di Sacri Arredi, ed inservienti, abbandonata, e derelitta, talmente che non è possibile celebrarvi il Divino Sacrificio, se non nel caso, che il Celebrante porti seco tutto il bisognevole, lo che certamente non è eseguibile, in specie quando dovesse ivi sodisfarsi qualche obbligo fisso, poiche non troverebbe chi volesse assumersi tanto fastidio* =.

Deliberandum itaque erit ab EE. VV.

An, & quomodo sit locus translationi Missarum in casu &c.

Affirmative in omnibus.

Sess. 21. cap. 3. de Reform.

FIRMANA. Quæ in Oppido est Montis Ulmi collegiata Ecclesia, ex duabus coaluit S. Donati, & SS. Petri, & Pauli. Sapientissime autem in explenda unione *SSmus Dominus Noster* decrevit = *quod distributiones quotidianæ pro Capitularibus Ecclesiæ S. Donati sint omnino æguales, & correspondentes distributionibus quotidianis, quæ a Capitulo Collegiatæ Ecclesiæ SS. Petri, & Pauli de præsenti percipiuntur* =.

Duo

Duo hujusce Collegiatæ Præbendati Nicolaus Cepollari, & Nicolaus Vico assuetum studiorum causa a Sac. Congregatione obtinuerunt absentiæ Indultum, alter nempe die 10. Januarii 1784., & alter die 15. Maii 1785., additaque de more fuit clausula = *Amissis distributionibus quotidianis. Quod si omnes fructus ipsis distributionibus consistent, vel si Reditus Præbendæ tertiam partem distributionum non attingant, duas ex tribus partibus distributionum, insimul cumulatarum respective percipiat, amissa tertia, quæ inservientibus accrescat* =.

Præbendati erant Ecclesiæ S. Donati Indultarii, ac secundum minorem ejus taxam ad initium usque elapsi anni tertiam distributionum partem dimiserunt. Ab eo autem tempore contendere cepit Capitulum, dimetiendas esse illorum distributiones juxta majorem alteram Ecclesiæ SS. Petri, & Pauli taxam ad formam Bullæ unionis. Sacram igitur hanc Congregationem rogarunt Indultarii pro declaratione Indulti, calumniæque proximam censuit Firmanus Archiepiscopus contradictionem Capituli, eo quod = *anno elapso retenta tertia parte, reliquos fructus Oratoribus relaxarunt* =.

Subreptitia asserunt Capitulares Indulta ob reticitam ab utroque Oratore legem illam æquandi distributiones Ecclesiæ S. Donati = *distributionibus, quæ a Capitulo Collegiatæ Ecclesiæ SS. Petri, & Pauli de præsenti percipiuntur* = Licet autem hujusce Legis expositio Sac. non retraxisset Congregationem a concedendis Indultis ob expressum favorem *Text. in Cap. Relatum, & Cap. Tua de Cleric. non residen., Cap. Licet de Præben., & Cap. Super specula de Magistr.*, eam tamen ad decernendam distributionum amissionem ad formam Bullæ unionis impulisset. Idque ad inducendam subreptionem satis censet *Laym. in Decret. Gregor. lib. 1. tit. 3. cap. 20. de Rescript. sub num. 4. §. 4.*

Cæterum nec Oratorum Preces, nec Archiepiscopi relatio innuunt, Præbendarum fructus tertiam distributionum partem, respectu etiam ad taxam SS. Petri, & Pauli, attingere; quod plurimum interest scire. Si illam enim attingunt, jam ex lege Indulti universas Beneficiati amittere debent distributiones. Si minores sunt, locus erit ad formam ejusdem Indulti Præbendarum, & distributionum cumulo, ac tertiæ partis dimissioni. Ex ipso tamen Capituli facto argui potest, re ipsa minorem esse, dum ultro ad initium elapsi anni tertiam distributionum partem ad taxam Ecclesiæ S. Donati retinuit.

In ea vero opinione sunt Oratores, in ea Archiepiscopus sententia, ut distributionum aequalitas a *Sanctissimo Domino Nostro* demandata casum non percutiat absentiae studiorum causa. Si haec admittenda esset interpretatio, jam studiorum causa absentes, qui benigna Juris fictione praesentes reputantur, meliores essent conditionis praesentibus, qui distributiones, si Choro non intersunt juxta taxam Ecclesiae SS. Petri, & Pauli dubio procul amittunt, contra id quod notat *Gloss. in Cap. Licet verb. distributiones de Praeben.*, & *Card. de Luc. de Canon.*, & *Capit. disc.* 13. *num.* 9., & *seq.*

Actum hac de re *fuit in Camerinen.* 14. *Februarii* 1625. *in Regestro Decretorum lib.* 12. *pag.* 260. Vigebat in Camerinensi Ecclesia legitima consuetudo, ut Canonici Sacerdotali Ordine non insigniti tertiam dumtaxat distributionum partem consequerentur, licet adeo tenues essent Prebendae, ut quartam distributionem partem non attingerent. Quaesitum fuit, quid dari oporteret Indultario studiorum causa, Sacerdotali Ordine non insignito. Fieri debuisset distributionum, & Praebendae cumulus, ac tertia pars dimitti. Ne plus vero daretur fictioni, quam veritati = *Sacra &c. commisit Episcopo, ut siquidem compererit ex consuetudine legitimè praescripta, Canonicos in Praesbyteratus Ordine non constitutos cum actu inserviunt non lucrari, nisi tertiam distributionum partem, assignari procuret Canonico Oratori studiorum causa absenti duas tertias partes praedictae tertiae una cum fructibus Praebendae, quae adeo sunt tenues, ut quartam distributionem portem non excedant.*

Neque aspera videri deberet taxa Ecclesiae SS. Petri, & Pauli, etiamsi tertiam canonicalium fructuum partem excederet. Statuit porro *Concilium Trideut. Sess.* 21. *cap.* 3. *de Reform.*, ut tertia canonicalium fructuum pars pro distributionibus segregetur, sed non improbat consuetudines, quae pinguiores invexerint distributiones, ut notant *Monet. de Distribut. quotid. part.* 2. *quaest.* 12. *numer.* 43.

Quaeritur ergo ab EE. Vestris.

An, & quomodo sint amittendae distributiones in casu &c.

Dilata, & scribatur Archiepiscopo juxta Instructionem.

APRU-

APRUTINA. Andreas Prosperi, Maceratensis Congregationis Oratorii Sacerdos, hæredem in paternis, & maternis Bonis instituit Joannem ejus fratem. In reliquis vero ab ipso acquisitis usufructuariam scripsit sororem suam Victoriam, proprietarium Sacerdotem Thomam Piccioni. Huic post consolidatum cum proprietate usumfructum injunxit = *che mi dica, o mi faccia dire ogn'anno Messe* 40. = prohibuitque = *che non possa tagliare cosa di fondo, ne vendere, nè impegnare* = eique dispositionem non acceptanti substituit = *la Chiesa di San Francesco di Acquaviva mia Patria con li medesimi onori, pesi, e condizioni* = atque iterum = *quando non volesse anche questa accettare, la Campagnia della morte sempre con li stessi onori, pesi, e condizioni*. *Sess.* 25. *cap.* 4. *de Reform.*

Dispositionem accepit Thomas, & ad obitum usque Sacra, ceterasque conditiones implevit. Tria autem Sacerdos Carolus Piccioni ejus successor a *Sanctissimo Domino Nostro* quæsivit: an scilicet per acceptationem primi heredis evanuerint Locorum piorum substitutiones: an vigeat adhuc, & mediatos heredes afficiat prohibitio cædendi, vendendi, & hypothecandi: & an Missarum Legatum sit progressivum. Re ad Sac. hanc Congregationem ablegata, expiratas censuit Episcopus substitutiones, ac prohibitionem, non item Legatum. De his modo sub congruis agitur Dubiis, ac supremum Orator flagitat EE. Vestrarum judicium, ut incertam adhuc conscientiam componat.

Facillima ex *Cæsareo Jure* est primi Dubii resolutio. Substitutiones enim in casu non aditæ, vel repudiatæ hereditatis *vulgares* sunt, & directæ, ut monet *JUSTINIANUS in* §. 1. *ibique Gloss. verb. potest de vulgar. substit.*, ideoque per simplicem aditionem evanescunt, ad *Text. in Leg.* 5. *Cod. de Impub.*, *& aliis substit.*, *& in Leg. si Mater* §. *Si Filius ff. de vulgar.*, *& pupill. substit.*, quem exornant *Fusar. de substit. quæst.* 456. *sub num.* 10. *Peregrin. de Fideicomm. art.* 15. *num.* 3., *& Rot. coram Priol. decis.* 71. *num.* 1.

Quoad secundum vero advertit Orator, prohibitionem illam cædendi, vendendi, & hypothecandi qualibet omnino destitutam esse perpetuitatis nota. Vix enim interdictum legitur primo heredi = *che non possa tagliare cosa di fondo, ne vendere, nè impegnare* = Ubi autem perpetuum deficit fideicommissum, vel expressa deficit ratio conservationis Bonorum in Familia, ut in nostro schemate, non extenditur alienationis prohibitio ad ul-

teriores heredes), *Mantic. de Conject. ult. volunt. lib.* 6. *tit.* 14. *num.* 23. , *Mascard. de Probat. concl.* 1242. *n.* 77. , & 92. *Valent. de ult. volunt. Vot.* 14. *n.* 33. *part.* 1.

Idque comprobari videtur ex prohibita arborum incisione. Nisi enim hujusmodi prohibitio primum dumtaxat respiceret heredem, absurda in Testatore admittenda esset voluntas prohibendi rectam suorum Bonorum administrationem. Semper porro expedit vetustas, & corruptas incidere arbores, aliasque in earum locum substituere, *Text. in Leg. Æquissimum* §. 1., & *in Leg. Agri ff. de usufruct.*, *Tiraquell. de Retract. convent.* §. 3. *Gloss.* 1,, & *unic. num.* 26., *Redoan. de reb. Ecclef. non alien. quæst.* 79. *cap.* 7. *num.* 13., & *Rot. in Rec. decision.* 553. *num.* 2. *part.* 2., sæpe utilior est Fundo, ejusque culturæ frugiferarum etiam arborum incisio, *Tiraquell. loc. cit. num.* 27. *Cæpoll. de servit. rustic. præd. cap.* 22. *num.* 10., *Rot. in rec. dec.* 553. *num.* 3. *part.* 2.

Posita autem in Oratore vendendi libertate, consulendum videretur pio Legato per assignationem Fundi, quoties illud ab EE. Vestris perpetuum declaretur. Per improvidam enim Bonorum distractionem frustrari posset Missarum celebratio. Vereor tamen, ne in damnum potius Legati assignatio vergeret. Ubi *taxativè* siquidem Missarum Legatum in certo consistit Fundo, locus est ob diminutionem fructuum reductioni; *Amostaz de Caus. piis lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 13., & 18., *Bened. XIV. de Synod. Diœcef. cap. ult. lib.* 13. *num.* 30., & 32., & *Sac. hæc Congregatio in Regien.* 5. *Augusti* 1719., neque hereditas persequi amplius potest.

Tertium Orator Dubium potissime urget, & ex personalibus illis verbis = *mi dica*, *o mi faccia dire ogn' anno Messe* 40. = expiratum fuisse contendit Legatum cum vita primi hæredis, *Menoch. præsumpt.* 108. *num.* 29. *lib.* 4., *Castill. controv. Jur. lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 6.; eademque ratione defectus Fideicommissi, ob quam expirata fortasse censeri debet cedendi, & alienandi prohibitio; nam ubi eadem militat ratio, idem ferendum est judicium, per *Text. in Leg. A Titio ff. de verb. obligat.*

Hæc tamen notari posset inter prohibitionem alienationis, & Legatum differentia. Quæ enim in prohibitione deficiunt perpetuitatis argumenta in Legato concurrere videntur. Primo sane hæredi non acceptanti bina ex ordine substituit Testator Loca pia = *con l'istessi onori pesi*, *e condizioni* = Si perpetuum ergo fuisset Missarum Legatum quoad Loca pia, quæ semper vigent, eadem profe-

cto contemplata censetur perpetuitas in primo herede per indefinitam illam dictionem *ogn'anno* , quasi universi in ejus persona comprehensi fuerint Successores *Text. in Leg. annua* 20. *ff. de ann. Legat.* , *Card. de Luc. de Legat. disc.* 36. *num.* 4., & huc fortasse spectat prohibitio alienandi primo heredi indicta , ne scilicet Bona in præjudicium Legati pii dissiparentur . Ex communi autem Canonistarum Sententia quælibet in Legatis piis sumenda est latissima interpretatio = *ratione pietatis causæ* , *ac favore Divini cultus pro perpetuitate* = ut inquit *Card. de Luc. de Legat. disc.* 19. *num*- 7. , & *Rot. coram Molin. decis.* 35. *num.* 6.

Toties idcircò pro perpetuitate Legati pii respondit Sac. hæc Congregatio , quoties contrariæ deficerent voluntatis argumenta . Ita *in Civitatis Castellanæ* 28. *Augusti* 1723., *in Montis Falisci* 18. *Novembris* 1724. , & *in Cervien. Legatorum* 30 *Julii* 1785. , in qua ad Dubium = *An constet de perpetuitate* , *seu temporaneitate Legatorum Piorum*, *de quibus agitur* , *nempe ad vitam Venturæ Antonii Ranieri hæredis gravati in casu &c.* = responsum fuit = *Affirmative ad primam partem* , *negativè ad secundam* .

Dijudicent ergo Emi Patres .

I. *An substitutiones Piorum Locorum ordinatæ in casu hæreditatis repudiatæ , sustineantur post obitum hæredis acceptantis in casu &c.*

II. *An prohibitio cedendi , vendendi , & hypothecandi primo heredi facta , servanda sit ab ulterioribus hæredibus in casu &c.*

III. *An onus annuæ celebrationis Missarum primo heredi injunctum transeat ad ejus Successores in casu &c.*

Ad I. Negative .
Ad II. , & III. Affirmativè .

ALBINTIMILIEN. VACATIONUM . Inter Statuta Albintimiliensis Capituli , anno 1539. collecta , cautum septimo loco erat = *quod D. Præpositus* , & *cæteri DD. Canonici possint* , & *valeant pro eorum negotiis pera-* *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.*

ragendis, *& aliis sibi necessariis se absentare sine aliqua annotatione fienda per tres menses, dummodo ipsi tres menses non sint continui, & etiam diebus solemnibus exceptis, & diebus quadragesimalibus &c.; & in se absentando per illud tempus respective non continuatum, teneatur talis, qui se absentaverit, dare Presbyterum; seu Religiosum pro Missis celebrandis tantummodo* = Nec quidquam detrimenti passa est statutaria hæc Lex post *Concilium Tridentinum*, quum tolerandas immo dixerint Tridentini Patres *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* consuetudines, & Statuta, trium mensium vacationem concedentia.

Ob diminutum Canonicorum numerum, alia de anno 1623. condita fuerunt Statuta, quibus nedum Episcopalis, sed Pontificia etiam Gregorii XII. accessit auctoritas, eorumque undecimum caput hæc habet = *quia ex præscripto S. Concilii Tridentini permissum est Canonicis non residere per tres menses, ob Canonicorum eorum paucitatem convenerunt inter se, tres tantum Canonicos obesse posse . . . & tunc tanquam præsentes haberi voluerunt*.

Quid prope hujusce secundi Statuti tempora actum fuerit, latet. Hoc tamen constat, bo. mem. Episcopum Justiniani tria anno 1765. de Patronorum, & Capituli consensu in Canonicatus erexisse simplicia Beneficia, auctoque Canonicorum numero in sententia fuisse restituendi antiquam trium mensium vacationem. Cunctandum vero censuit hodiernus Episcopus donec hac de re Sac. Congregatio decerneret, eo quod ex observantia plusquam centenaria = *li Canonici non godevano più di un Mese di vacanza alla riserva del Canonico Procuratore, che ogni anno si muta, il quale ha continuato a godere detti trè Mesi, il che per altro attribuire non posso, se non che al poco numero de' Canonici*. Annui tamen posse arbitratur votis Capituli, cui duodecimum Canonicatum ex altero patronali Beneficio addere decrevit.

Duo hinc EE. Vestrarum subiiciuntur. Primum, an permitti debeat Canonicis regressus ad vacationem trium mensium. Secundum, an, & cum quibus conditionibus liceat Episcopo patronale Beneficium in Canonicatum erigere. In ea autem sententia est Episcopus, ut deleatur ab hoc Beneficio originaria quotidiani Sacri obligatio iis diebus, quibus novus Canonicus conventualem Missam celebrare deberet.

Quoad primum Dubium notandum est, duo *in cap.* 12. *sess.* 24. *Sac. Concilii Tridentini de Reform.* ad rem statui, Unum, quod = *non liceat vigore cujuslibet Statuti, aut con-*

consuetudinis ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse = Et alterum, quod salvæ sint illarum Ecclesiarum Constitutiones = *quæ longius servitii tempus requirunt* = Atque ita etiam temporibus Concilio proximioribus servari jussit Sac. Congregatio *in Mutinen.* 1573. *lib.* 1. *Decret. pag.* 168. = *Sacra &c. censuit, trium mensium absentiam non concedi Canonicis ex Decreto Concilii sess.* 24. *cap.* 12., *si Constitutionibus Ecclesiæ longius servitium totius anni absque ulla intermissione requiritur*.

Si ergo juxta relationem Episcopi pervetusta illa trium mensium vacatio, quam priora invexerant Statuta, obliterata fuit per posteriorem Constitutionem, perpetuamque centum, & ultra annorum observantiam, jam secunda *capituli* 12. pars Canonicorum instantiæ resistit. Quoniam vero secundum Statutum, & quæ ei successit observantia temporaneam habuit infrequentis Capituli causam, hac idcirco cessata, injustus non videtur reditus ad antiquum statum, ut advertit Episcopus ex regula *Text. in Leg. Quod dictum ff. de Pact.*, de qua *Perez. in Lib.* 1. *Cod. tit.* 14. *num.* 22. *de Legib.*, & *Fagnan. in lib.* 5. *Decret. cap. Patentibus num.* 11. *de Privileg.*

Hæc quoad primum. Quo vero ad secundum; nec de consensu Capituli erigere potest Episcopus patronale Beneficium in Canonicatum, ac nova onera illius fundationi adiicere, *Fagnan. in Cap. Conquerentem* 24. *de Cleric. non residen. Barbos. ad Conc. Trident. cap.* 5. *sess.* 25. *de Reform. num.* 7., *Ricc. in Prax. For. Eccles. part.* 4. *resol.* 468. *num.* 2., & *Garz. de Benef. part.* 7. *cap.* 1. *n.* 111. & *seqq.* Distinguendum tamen videtur, si Patronorum accedat consensus. Aut de gentilitio agitur Patronatu, & in hoc casu nil illorum consensus Successorum juribus detrahit. Aut res est de Patronatu hereditario, & quilibet ex Patronis, qui primi Fundatoris instar habetur, novas Beneficio conditiones in præjudicium etiam suorum heredem addere potest ad *Text. in Clement. Plures de Jurepatr. de Luc. eod. tit. disc.* 60. *num.* 2., *Piton. discept. Eccles.* 53. *n.* 20., & *de controv. Patron. allegat.* 92. *num.* 6. & *seqq.*, & *Rot. cor. Molin. dec.* 563. *num.* 7.

Epocham Beneficii, in Canonicatum, si EE. Vestris placet, erigendi, desumit Episcopus ab anno 1399. Injunctum refert Beneficiato onus celebrandi in designata Ecclesia, & Cappella quotidianum Sacrum, aliaque Divina officia, ac suppositum esse Patronatui Beneficium. Cujus tamen naturæ sit Patronatus; quæ designata Ecclesia, qui Beneficii Reditus, silentio præterit. Quoad Patro-

tronatus tamen qualitatem suppleverunt Canonici, exhibita post informationem Episcopi fundationis particula, in qua sic legitur = *Juspatronatus d. Cappellæ spectet, & pertineat ad D. Ginevram, & Luchinam in vita ipsarum: ipsis ambabus mortuis; Juspatronatus spectet, & pertineat ad Marcum Porrum, Georgium Speronum, & Franciscum Speronum, & ipsis mortuis, seu aliquo ipsorum, ad successores ipsorum in stirpes, & non in capita; videlicet ad Primogenitum de stirpe ipsorum.*

Sacri autem omissio diebus illis, quibus celebraturus erit novus Canonicus Missam Conventualem, redempta forsan, grandique cum fænore videri posset a participatione conventualium omnium Missarum, ipsumque assiduum Chorale servitium Divina superaret officia, quæ Beneficii Fundator præscripsit.

Hæc duo igitur quæruntur.

I. *An Canonicis Cathedralis Ecclesiæ Albintlmiliensis sit concedendus regressus ad vacationem trium mensium in casu &c.*

II. *An, & quomodo, & cum quibus conditionibus liceat Episcopo Beneficium, de quo agitur, erigere in Canonicatum in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

Sess. 25. cap. 11. de Reform. SENOGALLIEN. EMPHYTEUSIS. Veniam ab hac Sac. Congregatione impetravit Communitas Barbaræ sub assueta clausula = *affixis Edictis, & transmissis oblationibus* = concedendi in emphyteusim ad tertiam generationem masculinam Prædia nuncupata *S. Bartolo, della Costa, Via piana*, quæ pius Sacerdos Franciscus Maria Mostarda sub ejus administratione reliquit Ecclesiæ Sanctæ Mariæ *dell'Olivo*. Major omnibus fuit oblatio Christophari Ceppetelli in annuis scutis 105.. In ampliorem tamen Ecclesiæ utilitatem denuo affigi mandavit Sacra Congregatio *ad excitandos novos Oblatores* Edicta, rogavitque Emum Episcopum, ut = *audita Communitate tam super qualitate, & utilitate oblationum, quam super idoneis*

neitate oblatorum cum cautionibus ab ipsis præstandis, referat de utilitate Contractus, & persona oblatoris seligenda.

Minorem Ceppetellius in hac secunda licitatione obtulit summam scutorum 95., vixque ejus oblationem in uno scuto superavit Dominicus Ricci. Post tresdecim vero dies a Schedularum aperitione vigesimam addidit, quæ scutorum erat 4.80.; sed ea non obstante deliberatum fuit in publicis Comitiis = *Dominicum Riccium, & alterum Dominicum nuncupatum Barucca, eorumque Filios præferendos fore, ni prælatio jure debeatur Ceppetellio oblatori vigesimæ* = ut hisce verbis refert Emus Episcopus. De prælatione igitur certant modo Ceppetellius, & Riccius sub infrascripto Dubio, neutrique favens, emphyteusis stipulationem urget Communitas ob evidentem Ecclesiæ utilitatem.

Sive una, inquit Communitas, sive altera seligatur oblatio, longe annuam excedit summam scut.65.; quæ a Conductoribus hactenus Prædiorum expensa fuerunt. Additque Emus Episcopus, eo magis utilem esse emphyteusim = *tum quod Reditus a Cæli tempestatibus sunt immunes, tum etiam quia, quæ communiter ministrantur, communiter negligi solent* = Ex pluribus autem legitimis causis, ex quibus Bonorum Ecclesiæ emphyteusis permittitur, potissima est *evidens utilitas de tempore contractus*, ut post *Text. in Cap. Ad aures de reb. Eccles. alienan. vel non*, notat *Fagnan. in cap. Nulli eod. tit. num.*16.

Valde tamen inter se de prælatione contendunt oblatores. Reiiciendam esse censet Riccius Ceppetellii vigesimam, veluti oblatam extra legitimum terminum, post lapsum scilicet ab apertis Schedis decendium, traducitque ad res Ecclesiæ edictalem Legem Sac. Congregationis Boni Regiminis, latam anno 1729. pro Communitatibus Status Ecclesiastici, in qua decendium vigesimariis conceditur, *de Vecch. ad mater. Bon. Regim. tom.*2. *pag.*118. §.3. & 4.. Atque hinc concludit, tribuendam sibi esse prælationem, qui majorem intra Edictorum terminum dedit oblationem, & jus ad emphyteusim ex ea quæsivit, *Rot. in Imolen. Prælationis* 5. *Februarii* 1751. §. 3. *cor. Matthæjo*.

Advertendum præterea rogat, propria Ceppetellium non possidere Bona; in alieno ære solvendo morosissimum esse; ac non æque idoneos fidejussores præstitisse. Sæpe autem personæ qualitas utiliorem reddit contractum, quam major pensio, *Campell. ad Constit. Ducat. Urbin.*

Decret. 33. *num.*91. , *& Rot. in Romana Affictus* 2. *Junii* 1761. §.16. *cor. Herreros* . Qua de causa neglectam fuisse supponit illius oblationem a Generali Communitatis Consilio .

Non immerito fortasse Ceppetellius reponit , eadem esse privilegia Ecclesiæ,ac Fisci,per *Text.in Auth.Hoc jus porrectum Cod. de Sacros. Eccles.,Card.Tusch. concl.Jur. verb. Censualis n.6,tom.*1, ideoque nedum salvum fuisse post expiratum Edictorum terminum jus vigesimæ ex privilegio *addictionis in diem* , ut dixit *Sac. hæc Congregatio in Urbevetana emphyteusis* 6. *Maii eiapsi anni* , sed eo insuper uti licuisse intra vicendium , rerum Fiscalium vigesimariis datum a *fa. mem. Benedicto XIV. in Constit.* 65. §. 3. , *&* 4. *in ejus Bullar. tom.* 1. . Normam vero sumi non debere ait ab Edicto Boni Regiminis , quum solas respiciat Communitates , ac tanquam temporalis Lex afficere nequeat Ecclesias , quarum ampliora sunt privilegia . Ex Catastro tandem , Peritisque probat , proprium & alterum ejus Fdejussoris Patrimonium insignem scutorum *decemmillium* summam excedere .

Non hic tamen Ceppetellius sistit . Nisi ei siquidem deberetur prælatio jure vigesimæ , concedenda forsan esset ex prima oblatione scutorum 105. , quæ vigesimam ipsam superat . Secunda namque Edictorum affixio demandata fuit ad excitandos majores oblatores , qui meliorem facerent Ecclesiæ conditionem ; ideoque priorem oblationem in ejus perniciem non solvit , *Pacion. de Locat. cap.* 14. §.4. *num.*28., *& Cæsar. de Graff. decis.*4. *de Reb. Eccles. non alienan.*

Decernant itaque Emi Patres ..

An , cujus favore , & pro qua summa sit stipulandum Instrumentum emphyteusis in casu &c.

Die

Die Sabbathi 16. Junii 1787. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

BInæ sequentes Causæ in anteacta Congregatione diei 19. Maii indecisæ remanserunt. Resumere igitur dignentur EE. Vestræ præcedens Folium, ut eas definiant.

ALBINTIMILIEN. VACATIONUM. *Sess.24.cap.12. de Reform.*

I. *An Canonicis Cathedralis Ecclesiæ Albintimiliensis sit concedendus regressus ad vacationem trium mensium in casu &c.*

II. *An, & quomodo, & cum quibus conditionibus liceat Episcopo Beneficium, de quo agitur, erigere in Canonicatum in casu &c.*

Ad I. Affirmativè.
Ad II. Dilata, & scribatur Euiscopo juxta mentem.

SENOGALLIEN. EMPHYTEUSIS. *Sess.25.cap.11. de Reform.*

An, cujus favore, & pro qua summa sit stipulandum Instrumentum Emphyteusis in casu &c.

Affimative favore Christophari Ceppetelli pro scut.105., salva vigesima, per Bullas.

Sess. 24. cap. 12. de Reform.

FANEN. PERMUTATIONIS. Relata hæc Causa fuit in Folio diei 29. Julii elapsi anni, & indecisa remansit in sequenti Congregatione diei 19. Augusti per Rescriptum = *Scribatur Episcopo pro meliori informatione* = Defuncto interim Episcopo, mandatis paruit Vicarius Capitularis, & hæc in sua relatione habet. Nedum paratum dicit Lelium Rinalducci ad solutionem scutor. 360., & ob. 3., in quibus valor Prædii *S. Cristina* valorem excedit Prædii *i Pozzetti* = *solitis cum cautionibus*, *& hypothecis favore primæ Cappellaniæ* = sed deliberasse etiam = *liberalitatis gratia in Causam piam scuta non quadraginta*, (ut in cit. Folio) *sed octoginta donationis titulo superaddere*, *nimirum scuta* 40., *ipsi pariter primæ Capellaniæ addicenda pro uberiori fundo*, *ex quo fructus habeantur respondentes annuæ Pensioni scutor.* 14., *& ob.* 80., *quæ a Legato pio in præsentiarum persolvitur*, *reliqua vero scut.* 40. *in tot meliorationibus Fundorum ad dictum pium Legatum pertinentium eroganda* =.

Testatur insuper de consensu Abbatissæ S. Archangeli, & aliorum interesse habentium in permutationem, justumque affirmat Prædiorum pretium, eo quod illud liquidavit = *Peritus ex officio electus*, *qui Peritus judicialis est*, *integræque fidei* =. Atque hinc evidenter Causæ piæ utilem censet illorum permutationem tum ob largitionem *scutorum* 80. *ultra æstimationem*, cum ex separatione Fundorum dotalium utriusque Capellaniæ, atque = *ex proposito*, *in quo firmiter persistit Nobilis Orator*, *erigendi nimirum ipsum Legatum in titulum Ecclesiastici Beneficii* =.

Ac refert postremo = *subsistere molestias usque de anno* 1757. *excitatas*, *illatasque a Simonettis pro condicendis expensis cujusdam litis anteactæ inter ipsos Simonettos*, *& Hipolytam testatricem* = additque, quod licet in hoc casu jussisset Testatrix, quod teneretur Heres = *solamente fare l'assegna per supplire alla detta Messa quotidiana*, *ma non già l' altra per le altre Messe da celebrarsi in perpetuo* = adhuc tamen Lelius Orator per solemnem Transactionem = *prædictarum expensarum refectioni pro rata scutorom biscentum de suis pecuniis concurrere non renuit*, *& juri supprimendi Legati sponte renunciavit* = Et hac de causa concludit = *hodiernæ ejus instantiæ pro permutatione indulgendum esse videtur*, *eoque magis indulgendum*, *quia præmemoratæ jurium renunciationis ratihabitionem solemniorem ab ipso emitti*, *Sac. Congregatione auctorante*, *nunc perutile foret*, *cum renunciatio in præd. Instrumento*

Tran-

Transactionis anni 1757. *exarata, firmissimis solemnitatibus adstipulata non videatur* =.

Resumpto igitur praecedenti Folio respondere dignentur EE. Vestrae.

An, & quomodo sit concedenda facultas permutandi in casu &c.

Affirmative juxta Votum Ordinarii.

BONONIEN. REDUCTIONIS SERVITII CHORI. *Sess.* 25. *cap.* 4. *de Reform.*

Diu neglectam Beneficii erectionem, a Bartholomaeo, & Andrea Mangioli de Barbatiis demandatam, expleverunt anno 1581. Canonicus Ugo, aliique Fratres de Barbatiis illorum successores in Collegiata Ecclesia S. Petronii, cum onere quotidiani Sacri ad Altare S. Michaelis, & servitii Chori. Potestatem Capitulo dederunt multandi Redituum parte Beneficiatum, si in alterutro deficeret, eamque tradendi alteri Sacerdoti, qui omissionem suppleret. Juspatronatus Descendentibus reservarunt. Non multo post sive Rectorum incuria, sive falsa opinione, a tenuitate Redituum orta, utrumque onus negligi cepit. *Alii quidem putabant, se ad illud non teneri, quam ad Missam singulis diebus festis celebrandam, & semel praeterea in qualibet hebdomada; alii autem nullam esse obligationem inserviendi Choro ob Redituum tenuitatem* = ut hisce verbis refert Emus Archiepiscopus. Ab anno tamen 1690. imponi ea onera consueverunt in Litteris institutionis. Hodiernus Beneficii possessor Sacerdos Petrus Cossini illorum postulat reductionem, Choralis praesertim servitii, pro quo, detracta eleemosyna diurni Sacri in scutis 42., aliisque subductis oneribus, vix supersunt scuta 20.

Petitioni favet Emus Archiepiscopus, atque in ea est sententia = *ut firma manente obligatione celebrandi quotidie Missam ad Altare S. Michaelis, Orator ab onere quotidie Choro inserviendi liberetur, sed debeat tamen horis Canonicis interesse, eidemque Choro inservire singulis diebus Festis, ac etiam in hebdomoda majori, & iis adesse Processionibus, quibus accedit Capitulum; firma quoque manente eidem Capitulo potestate, si Orator monitus semel aut iterum negligenter se gerat in dictis muneribus adimplendis, alium subrogandi Sacerdotem cum congrua Redi-*

dituum Beneficii assignatione, prout in ejus Fundatione statutum fuit = Patroni etiam assentiuntur.

Ex amplitudine Civitatis Bononiæ, in qua erectum est Beneficium, impar fortasse videbitur emolumentum scutorum 20. diurno servitio Chori, & idcirco æqua reductio ab Emo Archiepiscopo proposita. Sæpe enim ob tenuitatem Redituum hujusmodi servitium reduxit Sacra Congregatio, ac præsertim *in Romana Reductionis Servitii Chori*, *& Missarum* relata *die* 28. *Martii*, & resoluta *die* 18. *Aprilis* 1722., *& in Vigilien. Decanatus* 23. *Julii* 1729.

Advertendum tamen est, Beneficiatos omnes, qui ab anno 1690. Cossino præcesserunt, diurni servitii onus pro eodem emolumento adimplevisse, idemque Cossinum ipsum fecisse, dum sciens prudens Beneficium cum eo onere accepit, libentique animo ante imploratam reductionem Choro inserviit. Immerito ergo respuere videtur, quod ejus semel Decessoribus, sibique placuit, *Cap. Quod semel* 22. *de Reg. Jur. in sexto*. Maxime, quia ex eodem Beneficio habet, unde vivat. Nedum enim emolumentum habet scutorum 20. pro servitio Chori, sed certam insuper in scutis 42. quotidiani Sacri eleemosynam.

Quæritur itaque

An, & quomodo sit locus reductioni oneris Chori in casu &c.

Negative.

Sess.25. cap. 9. de Reform.

PRÆNESTINA CANONICATUS. Una testamentaria dispositione jusserunt anno 1767. Conjuges Romulus Vitali, & Maria Panci, ut ex integra ipsorum hereditate erigeretur in Parochiali Ecclesia Divi Blasii Oppidi S. Viti Canonicatus, onusque Canonico pro tempore imposuerunt celebrandi pro Animabus purgantibus Sacrum singulis Sabbathis, Dominicis, & Festis; Divinis interessendi ejusdem Ecclesiæ Officiis; matutinam quolibet die celebrandi Missam = *per comodo del Ceto basso, acciò possa andare a fare il lavoro per tempo* = ac residendi in Parochia = *nella Casa di esso Romolo* = In primum Canonicum nominarunt Josephum Ronci = *da detti Testatori ritenuto in Casa, e da medesimi allevato, e ciò*

e ciò per l'affetto, che gli portano, ed anche a titolo di carità = ſub conditione tamen = purche *abbia intenzione di farſi Sacerdote, e di dir Meſſa* = Eo defuncto activum contulerunt Patronatum in maſculinam, & fæmininam Cajetani Panci lineam, ultimoque loco in Societates SS. Sacramenti, & Roſarii eiuſdem Oppidi; paſſivum vero in Clericos primum ipſius Familiæ Panci, & Paræciæ, ac in Presbyteros deinde oppidanos.

Poſt Teſtatorum obitum, Præneſtinum Seminarium petiit Roncius. Multum in eo religione, pietate, moribuſque profecit, nil penitus præ craſſa minerva litteris. Quum nulla ergo ſpes eſſe videretur, ut a minoribus Ordinibus, quibus ob bonos ejus mores initiatus fuit, ad Sacros aſcendere poſſet, iterum atque iterum in virili ætate annorum 28. e Seminario dimiſſus eſt. Hinc *Sanctiſſimo Domino Noſtro* ſupplicavit, ut firmo remanente perſoſonali ſervitio Eccleſiæ, ſibi per alium celebrare liceret Sacra, donec diuturniori ſtudio ad Sacerdotium idoneus evaderet. Precibus autem ad Sacram hanc Congregationem ablegatis in Canonicum nominarunt Fratres Panci, pendente informatione Emi Epiſcopi, Clericum Philippum Caſcioli. Quæ hactenus expoſita ſunt, Emus ipſe confirmat Epiſcopus per organum Vicarii Generalis, ſuamque relationem ita concludit = *cum Fundatores Clericum prælative ad Sacerdotem nominandum eſſe velint, manifeſta videtur optata qualitas Beneficii Clericalis, qua ſtante, nil eſſe crederem, quod Oratoris votis obſtet* = Binis poſt hæc concordatis *Dubiis*, certant modo Roncius, & Caſciolius de erectione Canonicatus, ac reſpectiva ipſorum inſtitutione.

Quoad primum *Dubium*; erigendum eſſe contendit Roncius Canonicatum ex univerſis Fundatorum Bonis, excepto Caſtaneto in Regione *Ponzano*, quod æquis portionibus ſibi, & Jo. Baptiſtæ germano ejus Fratri legarunt, ſi ad Sacerdotium aſcendere nollet, integrumque Jo. Baptiſtæ, ſi aſcenderet. Ita enim fert expreſſa Teſtamenti littera. Fieri autem debere illius erectionem auctoritate Eccleſiaſtica per *Text. in cap. ex frequentibus 3. de Inſtitut.*, & intra terminum ab EE. Veſtris præfiniendum. In id convenit Caſciolius, ſed cæteris oneribus addendum putat illud celebrandi per ſe ipſum, de quo opportunius ſub ſecundo *Dubio*.

Si ad id tamen, quod reſpectu ad erectionem Canonicatus Teſtatores diſpoſuerunt, ſedulo advertatur, tam cito fortaſſe demandari non debet. Eam ſane differendam eſſe voluerunt quouſque idoneus evaderet Roncius ad Sa-

cer-

cerdotium, propriisque neglectis suffragiis, Executori testamentario jusserunt, ut = *seguita la morte di essi Testatori debba mandare al Seminario di Palestrina, Giuseppe, e mantenerlo in detto Seminario con il fruttato de sudetti Beni, e non si debba mai levare da quello per fino che non sarà in stato di cantar Messa* = Licet autem Roncius ob tarditatem ingenii nondum ad Sacerdotium ascenderit, spes tamen est, ut aliquando ascendat. Diu enim noctuque morali studet Theologiæ, & aliquantulum Præceptoris testimonio in ea profecit. Ad Sacerdotium autem obtinendum non eminens, aut mediocris, sed sufficiens requiritur scientia, quæ in notitia Sacrarum Scripturarum consistit *ad Tex. in Cap. Omnes psallentes dist. 8., Pax Jordan. lib. 1. tit. 19. de Doctoratu num. 6.*, & *22.*, *Paris. de Resignat. lib. 5. quæst. 3. num. 94.*; vel etiam = *Præsbytero sufficit, quod sciat Canones pænitentiales communes* = ut inquit *Redoan. de Spol. Eccles. quæst. 9. §. Fiet ergo num. 25.*

Quo vero ad secundum; Institutionem Casciolius postulat ad erigendum Canonicatum ob ineptitudinem Roncii ad Sacerdotium. Illum habitu Sacerdotalem probat ex volita Roncii ascensione ad Sacerdotium, & ex personalibus verbis, quibus imperata fuit Canonico pro tempore Missarum celebratio. Pluries enim edixerunt Fundatores, quod = *il Canonico pro tempore sia tenuto, ed obligato CELEBRARE LE MESSE* = tertioque verbo, quoad Roncium declararunt = *purchè abbia intenzione di farsi Sacerdote, E DIR MESSA* = itemque = *non si debba mai levare da quello* (à Prænestino nempe Seminario) *per fino a tanto che non sarà in stato DI CANTAR MESSA, e per fino a tanto che si tratterrà in Seminario, e non avrà DETTO MESSA, non sia tenuto esso Giuseppe à tenere l'Economo.*

Licet autem magni nominis *Doctores*, & *Sacra hæc Congregatio* in eam sæpe iverint sententiam, ut inducta non censeatur sacerdotalis Beneficii qualitas, nisi per expressum præceptum celebrandi per se ipsum; hoc tamen fallit, ubi ex verbis in personam Beneficiati directis, & *ex aliis argumentis, & demonstrationibus a fundatione resultantibus ÆQUIPOLLENTER conjici possit, Fundatorem voluisse, ut onus celebrationis Missarum per ipsummet Capellanum, & non per alium adimpleri deberet* = ut dixit *Rot. cor. Ratto decis. 150. num. 13.*; docet *Fagnan. in Cap. Ut Abbates de ætat.*, & *æqualit. num. 76.*, *Amostaz. de Caus. piis lib. 3. cap. 5. num. 8. & seqq.*, ac decrevit olim *Sacra Congregatio in Cenomanen. die 20. Julii 1600.*

Quum

Quum enim præsentari deberet Capellanus = *qui serviat in Divinis eidem Cappellæ , & ibidem continue Divina celebret , Missam , & Officia nocturna , & diurna , & residentiam continuam faciat juxta Ecclesiam S. Andreæ , & serviendo d. Cappellæ* = quæsitum fuit = *An Rector ejusdem Cappellæ teneatur residere , & subire onera per se ipsum* = & = *Sacra Congregatio censuit Rectorem teneri residere , & munia hujusmodi explere per se ipsum .*

Plura alia ad rem confirmandam accedunt argumenta . Dubitari siquidem non posse videtur de personali onere interessendi Divinis Officiis , quum personalissima sint verba illa = *detto Canonico pro tempore debba assistere , ed intervenire a tutti li Divini Officj , e Funzioni Sacre sì ordinarie , che straordinarie* = Idque fatetur etiam Roncius, dum personalem hanc pollicetur interessentiam . A pari ergo personale censeri debet præcedens onus celebrandi Sacra iisdem fere verbis conceptum = *il Canonico pro tempore sia tenuto , ed obbligato celebrare le Messe* = veluti ad rem dixit *Rot. cor. Caprar. decis.* 301. *num.* 3. , *& seq.* , *& coram Ratto decis.* 150. *num.* 14.

Ceterisque missis argumentis , ab onere residendi in Parochia , & Canonicali Dignitate desumptis , valde urget illud *a discretiva* . In uno sane absentiæ casu substitutionem permiserunt Testatores alterius Ecclesiastici , qui Canonici vices suppleret , per hæc verba = *in caso fosse fuori del Paese per poco tempo* (Canonicus nempe) *debba sostituire un'altro Ecclesiastico idoneo in sua vece* = Si enim dum voluerunt implementum onerum per alium , expresse dixerunt , in reliquis omnibus casibus , in quibus idem non dixerunt , noluisse censentur , *Card. de Luc. de Benefic. disc.* 62. *num.* 7. , *& Rot. coram Lancett. decis.* 829. *num.* 18. , *& coram Ratto cit. decis.* 150. *num.* 17.

Ex eo tamen Vicarius Generalis Prænestinus clericalem autumat Canonicatum , quod post obitum Roncii præferri voluerint Testatores simplicem Clericum Familiæ Panci , vel Parochiæ Presbytero oppidano . Advertendum vero est , ibi etiam loquutos fuisse Testatores de Clerico , qui ad Sacerdotium ascensurus esset = *sia preferito in detta nomina un Chierico di Casa Panci della linea mascolina , se vi sarà , e non essendovi , della linea feminina , ed essendovi , debba detto Chierico metter l'Economo per la sodisfazione del Legato sudetto per fino a tanto , che il detto Chierico AURA' DETTO MESSA .*

Probat hinc Casciolius crassam Roncii ignorantiam ex Te-

ſtibus, ejuſque invincibilem ineptitudinem ad ſuſcipiendum Sacerdotium ex ipſamet Vicarii Generalis relatione, in qua hæc habet = *Minores ordines plus morum exemplo, quam virtutis merito eſt aſſecutus. Verum ad Sacros ſuſcipiendos Ordines idoneum haud facile dicerem* = Ac tandem concludit, recte Pancios ad ſacerdotalem Canonicatum, quem ille obtinere non poteſt, ſe ipſum nominaſſe, ſibique idcircò uti legitime præſentato, dandam eſſe inſtitutionem per *Text. in cap. Poſtquam de Elect.*

Deſpicienda autem non ſunt contraria Roncii argumenta. Quouſque, inquit, declarata non eſſet ſacerdotalis Canonicatus qualitas, ac ſupremo EE. Veſtrarum judicio non conſtitiſſet, primam Teſtatorum nominationem, ob defectam Sacerdotii conditionem, reſolutam eſſe, hæc utique in implicito erat validitatis ſtatu, nec valide idcircò fieri poterat a Patronis ſecunda nominatio. *Quamdiu enim adeſt nominatus per Teſtatorem, ceſſat nominatio facienda per Patronum; & vocatus per Teſtatorem admittendus, & præferendus eſt ceteris* = ut hiſce verbis monet *Guttier. conſ. 4. num. 24.*, ac poſt *Gloſſ. in cap. ſicut Vobis de Teſt.* dixit *Rot. in Recent. deciſ. 301. n. 15. part. 17.*

Qualitatem præterea urget ſimplicis Beneficii, in quo ſatis eſt Clericatus, & linguæ latinæ cognitio. Sub Præceptorum fide non parum in morali Theologia profeciſſe affirmat. Impenſiſque viribus excludere nititur ſacerdotalem Canonicatus qualitatem tum ob non expreſſum onus celebrandi per ſe ipſum, cum ob prælationem Clericorum Familiæ Panci, & Parochiæ Sacerdotibus oppidanis. Sed poſita etiam ſacerdotali qualitate Canonicatus, ac præſenti ineptitudine Roncii ad Sacerdotium, advertendum tamen cenſeo, expletam fuiſſe ejus nominationem ſub conditione *poteſtativa = purche abbia intenzione di farſi Sacerdote, e di dir Meſſa* = Dum ergo per ipſum non ſtat, quominus ad Sacerdotium aſcendat, ſed vitium eſt tardi ejus ingenii, quod aſſiduo labore, & ſtudio vincere non potuit, jam conditio *de Jure* habetur pro impleta, ac pura remanet nominatio. Ita *Text. in Leg. ſi Titius Statuas, & in Leg. Qui diebus in fin. ff. de condit., & demonſtrat., Donell. comment. Jur. civil. tom. 2. pag. 1081. §. 2., Mantic. de conject. lib. 11. tit. 16. n. 14.*

Præſumpta accedit Teſtatorum voluntas. Joſephum ſane Roncium nominarunt ad Canonicatum = *per l'affetto, che gli portano, ed anche a titolo di carità* = A reſpecti-

vis

vis immo ipsorum Confessariis hortati ad nominandum potius Jo. Baptistam Ronci germanum illius fratrem *di maggior talento*, cum indignatione responderunt = *Che la Roba doveva assolutamente godersela il sudetto Chierico* (Joseph nempe) *e non altri*, *perche per quest' effetto avevano ordinata l'erezione del detto Beneficio*, *o sia Canonicato* = Si impossibilem ergo ex defectu ingenii prævidissent Josephi ascensum ad Sacerdotium, vel conditionem illam fortasse non addidissent = *di farsi Sacerdote*, *e di dir Messa* = vel ei Missarum celebrationem per alium permisissent. Verisimilius enim hoc fecissent, quam eum a Beneficio per impossibilem conditionem repellere, quem uti filium educaverant, ac diligebant, & cujus intuitu = *avevano ordinata l'erezione del detto Beneficio*, *o sia Canonicato* = ut ad rem ponderat *Card. de Luc. de Testam. disc.* 72. *num.* 16.

Et hac fortasse de causa in conditione non posuerunt realem Josephi ascensum, sed simplicem ejus intentionem ascendendi ad Sacerdotium = *purche abbia intenzione di farsi Sacerdote*, *e di dir Messa* = Jam vero litteraliter adimpleta videtur hujusmodi conditio ex constanti, quam habet = *e positiva intenzione di farsi Sacerdote*, *cercando di abilitarsi* = ut inquit Executor testamentarius, probantque minorum Ordinum susceptio, & assiduum studium, quo Theologiæ morali incumbit.

Quæritur ergo ab EE. Patribus:

I. *An*, *&* *quomodo sit locus erectioni Canonicatus in casu &c.*

Et quatenus affirmative:

II. *An*, *&* *cui sit danda institutio in casu &c.*

Ad I. Affirmativè ad formam Testamenti intra terminum arbitrio Emi Episcopi præfiniendum.

Ad II. Institutionem dandam esse Roncio.

RIPANA. Ob imminentem Parochialis Ecclesiæ S. Mariæ Cossinueani ruinam, de ea primo actum est reædificanda, supplicemque *SSmo Domino Nostro* dederunt Libellum illius Præpositus, & Curati, ut propositas Communitatis, Capellaniarum, Confraternitatum, & Nosocomii contributiones probaret. Re autem ad *Sess.* 21. *cap.* 7. *de Reform.*

Sac. hanc Congregationem ablegata, prodiit die 14. Decembris 1782. Rescriptum = *Episcopo pro informatione, & voto auditis &c. prævia jurata æstimatione per Peritum ab ipso eligendum de expensa præcise necessaria, & referat de contributione Parochi, calculatis Reditibus certis, & incertis, & aliorum, qui de Jure tenentur, nec non, & aliorum in subsidium, nec non de consensu Confratrum, & Administratorum quoad Reditus superextantes.*

Ductis contributionum calculis, difficilem novit Episcopus novam fatiscentis Ecclesiæ constructionem (Gravis enim requirebatur impensa scutorum 3000.) animumque cum Clero, & Civibus ad simplicem convertit restaurationem, pro qua Architecti judicio sufficiunt sc. 1498. Nil Ecclesiam habere retulit pro ejus Fabrica destinatum. valdeque tenues esse Præpositi, & Curatorum Reditus; plenum vero reliquos contribuentes præstitisse consensum. Atque ita post hæc conclusit = *Reliquum ergo est, ut ad formam Libelli per Clerum exhibiti Sac. hæc Congregatio approbare dignetur contributiones pro expensis Fabricæ omnium consensione jam obsignatas. Urget necessitas quanto citius restaurandi Ecclesiam, quæ unica Parochialis est, & jamdiu remanet occlusa ob ruinam, quam minatur. Id optant, & enixe quærunt omnes, Clerus, Magistratus, & Populus, cum desit Ecclesia pro Sacris peragendis, & illa SS. Annunciationis, in qua provisionaliter exercentur Sacræ Functiones, angusta sit, incomoda, & parum etiam firma.*

Hæc autem est contributionum summa. Sacras Adventus, & Quadragesimæ conciones in se assumunt pauperes Curati, earumque mercedem Fabricæ concedunt. In dimidiam Missarum reductionem consentiunt tres ejusdem Ecclesiæ Capellani. Confert Communitas, quod pro celebratione Festivitatis S. Georgei, & Organistæ stipendio præstare consuevit. Nosocomium postremo, ac Sodalitia SS. Rosarii, & Suffragii præsentem, & futurum spondent redundantium Redituum cumulum. Præsens cumulus est scutorum 700., futuræ omnes contributiones annuam attingunt summam scutorum 155.

Maximas ad impediendam restaurationem excitarunt turbas Fratres Santucci, qui e conspectu Ecclesiæ Domum habent, nec eos continuit notanda illa Cleri, & Civium deliberatio, de qua testis est Episcopus = *nullimode* scilicet *esse ultra elevandos Ecclesiæ muros, sed eos vel sarciendos, vel quatenus opus renovandos in eo*

tan-

tantum statu, quo reperiuntur = Quid coram R. P. D. Auditore *SSmi*, Sacra Congregatione Boni Regiminis, & hac ipsa Congregatione egerint, non oportet hic commemorare. Satis est referre, quod post editum Rescriptum = *Ponatur in Folio citata Parte* = solliciti fuerunt de concordandis *Dubiis*, quasi formiter cum Præposito, Curatis, & Clero contendere vellent. Pluries tamen moniti, sua hactenus jura non deduxerunt.

Quantum sane ad legitimos contribuentium consensus, eorumque exequutionem, de quibus sub primo quæritur *Dubio*, opponere consueverunt Fratres Santucci, limitatum fuisse Sodalium. & Administratorum consensum ad novam Ecclesiæ constructionem, quam pessimus illius status requirere videbatur, ideoque trahendum non esse ad simplicem restaurationem, *Gratian. discept.* 697. *num.*8., *Rot. in Recen. decis.* 488. *num.* 6. *part.* 14., *&* *cor. Lancett. Decis.*1024. *n.* 5. Facultatem immo Administratoribus Hospitalis impugnabant concedendi Ecclesiæ Parochiali, quod san. mem. Urbanus VIII. in levamen Pauperum destinavit, impensisque viribus approbationi contributionum adversabantur.

Plura tamen ad hæc Præpositus, & Curati. Legitimos ostendunt Communitatis, Confraternitatum, & Administratorum consensus ex solemnibus illorum resolutionibus. Despiciendas vero esse contendunt absque eorum Mandato Santucciorum exceptiones; quum nemini liceat de jure tertii excipere, & aliena jura tueri, *Rot. coram Olivat. decis.* 2. *num.*23., *& in Urbevetana Primogenituræ de Marsciano* 3. *Julii* 1780. §. 11. *coram Mannelli*. Neque adeo stricte accipiendos esse, inquiunt, Sodalium præsertim, & Administratorum consensus, ut ab expressa novæ constructionis causa ad restaurationem traduci nequeat. Qui novum enim voluerunt Ecclesiæ ædificium, quod magis erat, a fortiori quod minus est, veteris nempe restaurationem voluisse censentur, ex *Regula Plus semper* 35. *de Regul. Jur. in sexto*, & *Regul. Non debet* 22. *ff. eod. tit.*. Nil postremo per contributionem redundantium Redituum Nosocomii Pauperibus detrahi concludunt; nam redundantia ipsa probat, satis illis ex reliquis Reditibus consultum esse. Idque confirmant ipsius Nosocomii Custodes, aliique plures Testes, & administrationis Libri.

Quantum vero ad secundum *Dubium*: nulla est quæstio de necessitate vel reædificandi, vel restaurandi Parochialem Ecclesiam. De ea siquidem universi fere Cives, Ar-

chi-

chitectus, Episcopus, ipsique Santucci testantur. Tota igitur controversia est circa modum perficiendi opus, ejusque sumptus. Novum Santuccii optarent Ædificium, ipsorum fortasse Domui accommodatum. At utrumque resistit *Dubium* ad restaurationem limitatum: Episcopi resistit judicium, qui refert = *nec vires suppetere ad novam ædificandam Ecclesiam* = Is autem congruus videtur restaurationis modus, quem proponit Architectus; nam plurimum in id defertur Peritis in arte, per *Text. in Leg.* 3. *Cod. de Fin. regun.*, *Rot. cor. Olivat. decis.* 283. *num.* 8.

Major erat Santucciorum contradictio quoad sumptus. Injustam enim affirmabant subsidiariam Locorum piorum contributionem in levamen Præpositi, & Curatorum = *che godono l'annua Rendita di sc.* 600. = contra expressam dispositionem *Sac. Concilii Tridentini sess.* 21. *cap.* 7. *de Reform.* At contrarium testatur Episcopus, qui hæc in sua relatione habet = *Tenues sunt Præpositi Reditus, congruam Conciliarem non attingentes, & tenuiores illi ad duos ejusdem Ecclesiæ Curatos pertinent* = Contrarium probant Testes, & Inventarium Parochiale, ex quibus liquet, vix annuos Curatorum Reditus, ducto per decennium calculo, annuam attingere summam scutorum 38. pro quolibet, illos vero Præpositi duplum = *levati i pesi* = Et contrarium probat novissimum generale Catastrum, in quo universa Præpositurae, & Curarum Prædia æstimata sunt in scutis 2838. 13.

Hoc posito, locus fortasse erit ex ipsamet *Conciliari dispositione* subsidiariis contributionibus. Æqua dubio procul est illa Curatorum, dum Sacrorum Oratorum supplent vices, ut statuta illorum merces in Fabricam cedat. Æqua pariter altera Communitatis, quum in simplici consistat commutatione subsidii a Sacra pompa ad Sacrum, magisque privilegiatum opus restaurationis Ecclesiæ. Quo vero ad contributionem Capellanorum, sæpe æquam censuit Sac. hæc Congregatio pro Fabrica Ecclesiæ Parochialis nedum dimidiam Missarum reductionem, sed integram etiam illarum suspensionem modo ad sexennium, modo ad decennium, ut *in Auximana* 11. *Januarii* 1766., *in Interamnen.* 29. *Novemb.* 1777., *in Nucerina Paganorum* 5. *Septembris* 1778., *ac novissime in Maceraten.* 24. *elapsi Martii*. Eademque æquitate suspensionem quandoque indulsit subsidiorum dotalium, quod est quid majus redundantibus Nosocomii Reditibus, ut *in Romana Subsidiorum Dotalium* 9. *Julii* 1746., *in*

Ame-

Amerina 15. *Decembris* 1764., & *in Aquilana* 17. *Junii* 1780. His accedunt quoad Nosocomium exempla. Pluries enim consentiente Episcopo, cui subest, erogati fuerunt superantes illius Reditus in Sacra ejusdem Parochialis Ecclesiæ Supellectilia, aliarumque Ecclesiarum restaurationes.

Respondere igitur dignetur EE. Vestræ.

I. *An pro expensis necessariæ restaurationis Ecclesiæ Parochialis constet de legitimis consensibus, & quibus, ita ut ii sint exequendi in casu &c.*

Et quatenus negative.

II. *An, quomodo, & cujus sumptibus d. Ecclesia sit restauranda in casu &c.*

Ad I. Affirmativè.

Ad II. Provisum in primo, & scribatur Episcopo juxta mentem.

PRIVERNEN. EMPHYTEUSIS. Rector Parochialis Ecclesiæ S. Benedicti Civitatis Priverni concessit anno 1729. Fratribus Martellucci ad tertiam generationem masculinam pro annuo canone scutorum quatuor, & quadrantium septem Prædiolum in vocabulo *Pendola* sub reservatione Beneplaciti Apostolici, quod nunquam impetravit. Qui ei, ac primis emphyteutis successerunt, bona fide ad annum usque 1784. in eodem contractu permanserunt, ejusque tandem noverunt vitium occasione novi aquæductus, quem Privernensis Communitas ex auctoritate Sac. Congregationis Boni Regim., ac Supremo *Sanctissimi Domini Nostri* oraculo construere debebat. *Sess. 25. cap. 11. de Reform.*

Inter cætera Prædiorum segmenta, quæ ad opus perficiendum requirebantur, frustulum erat d. Prædioli *Pendola*, Prævia igitur Periti agrimensoris æstimatione, utile illius dominium emit Communitas ab hodiernis emphyteutis prætio scutorum viginti, deindeque de perpetua egit emphyteusi cum Parocho, aucta Canonis rata a liquidata summa scuti unius, & ob. 32. ad annuum scutum unum, & ob. 60. Precibus autem Sacræ huic Congregationi pro facultate stipulandi Instrumentum a Parocho porrectis, censuit in sua relatione Episcopus, nedum ad statuendum canonem habendam esse rationem directi dominii a Pe-

Perito æstimati in scutis 41., sed etiam utilis in summa scutorum 20., quum post tertiam Martellucciorum masculinam lineam devolvi deberent ad Ecclesiam melioramenta; ideoque conclusit = *posse indulgeri Oratori licentiam præfatum contractum perpetuæ emphyteusis cum Communitate ineundi, quatenus tamen augeatur canon annuus ad scuta duo, & ob. 44., qui sane respondebit valori intrinseco Fundi ad rationem saltem quatuor pro centenario* = Quoniam vero addidit = *quoad portionem Terreni, quæ retinenda superest a Fratribus Martellucci, compellendos Juris remediis eos esse una cum Curato ad impetrandum Beneplacitum Apostolicum* = præ omnibus idcirco Sacra Congregatio rescripsit die 11. Septembris 1784. = *Orator supplicet una cum Fratribus Martellucci pro absolutione, & sanatione præcedentis emphyteusis.*

De hac igitur absolutione, & sanatione per errorem agi cepit in Sac. Congregatione Episcoporum, & Regularium. Præventione tamen cognita, remissæ fuerant Preces cum nova Episcopi informatione ad Sac. hanc Congregationem, prodiitque Rescriptum = *Ponatur in Folio, citatis omnibus interesse habentibus, & interim per Communitatem nihil innovetur* = Jam opus Communitas inceperat, plurimumque intererat, ne intermitteretur. Venia hinc ab EE. Vestris impetrata, institit coram Eminentissimo Carandini jam Sacræ Congregationis a Secretis pro facultate = *prosequendi, & complendi dd. laboreria Aquæductus* = obtinuitque sub die 9. Septembris 1785. sequens Decretum = *Facta per Communitatem instantem obligatione in forma juris valida, approbanda per Sac. Congregationem Boni Regiminis de stando juri, & judicatum solvendo in omnibus prout Sac. Congregatio Concilii mandabit, obtinuit ut supra* = Hoc adimpleto Decreto, absolutoque aquæductu, supplicant modo Martelluccii, & Parochus pro absolutione, & sanatione emphyteusis anni 1729.; iterumque Parochus, & Communitas pro facultate stipulandi Instrumentum emphyteusis perpetuæ.

Absolutionem postulant, qui nullam in contractu anni 1729. habuerunt partem. Jam enim qui stipulati sunt emphyteusim, decesserunt. In ea autem Oratores fuerunt opinione, quod servata essent solemnia *cap. 1. de reb. Eccles. non alien. in sexto, & extrav. Ambitiosæ eod. tit.*, ideoque ad cautelam potius consulendum videretur *Sanctissimo* pro absolutione, quum ob bonam fidem vacent culpa, *Fagnan. in lib. 5. Decretal. cap. super eo de crimin. fals. num. 15.* Quoad sanationem vero, inquirenda po-
til-

tissimum esset aequitas canonis : sed antiqua deficiente aestimatione Praedii , ejusque Reditus notitia , difficile admodum est post quinquaginta fere annos de illa decernere . Praesumptio tamen est pro justitia contractus , *Fagnan. in lib.* 5. *Decretal. cap. Naviganti de usur. num.*68. eique notanda accedit circumstantia , quod de parvo agitur Praedio , ac tertia tantum superest generatio , ut emphyteusis absolvatur .

Annuendum pariter videretur pro perpetua emphyteusi cum Communitate . Publica enim urget jam perfecti aquaeductus causa , ex qua , veluti necessaria,Ecclesiastici Praedii distractio permittitur , *Clement.* 1. *de reb. Eccles. non alienan.* , *Fagnan. in lib.* 3. *Decretal. cap. Nulli de reb. Eccles. non alien. num.* 8. , & 27. Curanda tamen est in statuendo canone utilitas Ecclesiae , quam in ejus emphyteusi requirit *Text in cap. Ad aures de reb. Eccles. alien. vel non.* Metiendus porro videtur ab integro valore directi , & utilis dominii , qui scutorum est 61. , quum melioramenta *Solo cedere debuerant , saltem devoluta emphyteusi cum Martelluccis post tertiam generationem* = ut non immerito inquit Episcopus .

Tenuis autem est liquidatio Periti agrimensoris, qui respectu ad valorem directi dominii , seu ad scuta 41. , canonem a Communitate persolvendum statuit in scuto uno , & ob. 32 , ad rationem scilicet scutorum 3. , & ob. 22. pro quolibet centenario . Tenuis pariter canon juliorum sexdecim , quem pro eodem directo dominio offertCommunitas , quum vix attingat scuta 3.90.in singula centum. Ac tenuis fortasse etiam summa scutorum 2. , & ob.44., quam pro integro directi , & utilis dominii valore proponit Episcopus ad rationem scutorum 4. pro centenario. Quandoquidem justus rusticorum Praediorum Ecclesiae canon vicesima est intrinseci valoris pars , vel assueta illorum pensio , detracta sexta ; *Auth. de non alienan.aut permut. reb. Eccles. immob.* §. *Quia vero Leonis* , & *Sac. haec Congregatio in Pistorien.* , *seu Praten.Emphyteusis* 21. *Nov.* 1761.

Haec igitur EE. Patrum judicio subjiciuntur .

I. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione , & sanatione in casu &c.*

II. *An , & pro qua summa sit locus emphyteusi perpetuae in casu &c.*

Ad I. Consulendum Sanctissimo pro sanatione , & absolutione ad cautelam .

Ad II. Affirmative juxta votum Episcopi , & ad D. Secretarium cum Sanctissimo .

Seff. 22. cap. 6. de Reform.

BONONIEN. ; Moriens Junipera Magagnoli in convictu Bononiensis Monasterii B. M. Virginis sine labe conceptæ, fiduciarium nuncupavit heredem Sacerdotem Constantinum Cacciari ejusdem Monasterii æconomum, jussitque, ut alieno dimisso ære, solutisque Legatis, reliquorum Bonorum pretio Prædia, Census, aut Loca MM. compararet = *li frutti del quale Investimento debbanò servire al mantenimento della Lampada accesa tutte le sere d'avanti l'Immagine della B. V. della SS. Concezione &c. in passare ogni mese alle RR. MM. si professe, che novizie, e converse pro tempore di d. Monastero un bajocco per cadauna all'occasione di recitarmi &c. ed in farmi celebrare una Messa ogni settimana* = Superantes vero fructus investiri pariter voluit ad erigendam cum onere quotidiani Sacri perpetuam Capellaniam, qua erectione sequuta, hebdomadale Sacrum cessare deberet.

Sacram hanc Congregationem rogarunt fiduciarius heres, & Moniales, ut Multiplici loco, menstruæque distributionis obuli, quam illæ præ gravi fortasse correspectivo onere respuunt, convertere liceret præsentes Reditus in annuam tot Sacrorum celebrationem ad taxam perpetuæ, comprehensis Utensilibus; firma tamen manente Lampadis accensione. Instantiæ favet Eminentissimus Archiepiscopus tum ob tenuitatem hereditarii Census, ob quam diu expectanda esset Cappellaniæ erectio, cum ob enixam Testatricis voluntatem, ut quanto citius erigeretur. Hæc sunt ejus verba = *Solutis Legatis, & expensis compertum est, integram hereditatem vix attingere summam scut. 860., eorumque fructus scut. 39. 40., a quibus deducta expensa saltem scutorum 3. ad comparandum Oleum Lampadis, deductisque scutis 8. 50. pro eleemosyna Missæ cujuslibet hebdomadæ, quod superest cumulandum pro emptione Fundi ad celebrationem Missæ quotidianæ, non excedit summam scutorum 28. &c. Inito autem calculo a Perito ratiocinatore temporis, quod necessarium sit ad conficiendum cumulum, qui satis sit ad emenda Loca MM., quæ reddant annua scuta 60. pro fundatione Cappellaniæ sub onere Missæ quotidianæ, ipse non minori quam 25. annorum tempore id fieri posse retulit. Proinde prorsus verisimile est, quod si prævidisset Testatrix, tanti temporis decursum necessarium futurum, minime solicita fuisset de fundatione Cappellaniæ cum onere Missæ quotidianæ.*

Justæ fortasse videri possunt adductæ commutationis causæ. Utilius namque est Animæ Testatricis, ut minor statim in ejus expiationem celebretur Sacrorum numerus, quam post viginti quinque annos augeatur, *Pasqualig. de Miss. Defunctor. quæst. 291. num. 1.* Accedit erronea ipsius Testa-

ſtatricis opinio de ampliori, quam reipſa eſt, hereditate, ejuſque votum de erectione Capellaniæ = *il più presto ſi potrà* = De hac ſane ſollicita forſan non fuiſſet, ſi præ Redituum tenuitate adeo remotam noviſſet, ejuſque idcircò præſumptæ voluntati conſentanea videtur multiplici commutatio, *Lotter. de Re Benefic. lib.* 7. *quæſt.* 43. *num.* 67. *Card. de Luc. de Miſcell. diſc.* 33. *num.* 18., & *de Teſtam. diſc.* 72. *num.* 15. & 16.

Notandum vero eſt, non ex qualibet opinabili ratione, ſed ex juſta dumtaxat, & neceſſaria cauſa commutandas eſſe Defunctorum voluntates, ex diſpoſitione *Sac. Concilii Tridentini ſeſſ.* 22. *cap.* 6. *de Reform.*, ſive ut graves *Doctores* addunt, ex cauſa etiam publica *Fagnan. in Cap. Nimis ſub num.* 6. *de Fil. Presbyt.*, *Monet. de commut. ult. volunt. cap.* 6. *num.* 75., & *cap.* 9. *num.* 676., & 695., *Piton. de controv. Patron. alleg.* 50. *num.* 7., & *Sperell. deciſ.* 109. *num.* 25. Si tales ſint Oratorum cauſæ, EE. Veſtræ dijudicabunt. Adverti tamen poſſet, de duplici ſibi, ſuiſque ſuffragio Teſtatricem conſuluiſſe; de præſenti ſcilicet per hebdomadale Sacrum, ac de futuro per erectionem Capellaniæ poſt completum multiplicum. Ejus igitur menti adverſari videtur repræſentare, quod futurum voluit. Ex hoc ipſo autem, quod multiplicum imperavit, remotam Capellaniæ erectionem contemplaſſe cenſetur, neque ad eam inſtituendam immodicus eſt viginti quinque annorum cumulus. Qua de re non abſolute juſſit, ut cito, ſed quanto citius fieri poſſet, erigeretur = *il piu preſto SI POTRA'*.

Nil de accenſione Lampadis addendum, dum eam Oratores in caſu etiam commutationis multiplici firmam relinquere profitentur. Quoad diſtributionem vero menſtrui oboli, niſi ſolemniter ei præſentes Moniales renuntient, ſuo a futuris jure peti poſſet; quum relicta ſit Monialibus *pro tempore*.

Deliberandum igitur erit:

An, & quomodo Oratorum precibus ſit annuendum in caſu &c.

Non propoſita cum ſequenti.

Seſſ. 14. *cap.* 7. *de Reform.*

BURGI S. SEPULCRI. Quæſitum fuit in Congregatione diei 18. Junii 1785. an Sacerdos Philippus Maggiorani Parochus S. Martini in Valle Aſtæ diſpenſandus eſſet ab irregularitate, in quam ob accidentalem ſiniſtri brachi jacturam incidit, prodiitque reſponſum = *Negativè* = Iterum modo infelix Parochus EE. Veſtrarum clementiam implorat, ceteriſque rationibus in Folio diei 28. Maii præd. anni deductis ſupplices addit Parochianorum preces = *Che venga accordata al Curato D. Filippo Maggiorani la facoltà di poter celebrare il S. Sacrificio della Meſſa per rimediare a i ſopra deſcritti diſordini, non parendo coſa giuſta, che dal medeſimo ſi rinunzii al peſo Paſtorale dopo tanti privati diſpendii, bonificamenti alla Parochia, aſſiſtenza, ſervizio, e aſſiduità alle indigenze del Popolo, tanto avanti, che dopo la ſofferta diſgrazia, conteſtandoſi generalmente, che il medeſimo poſſa adempire anche al Santo Sacrificio della Meſſa; il che non ſarebbe di noſtra ammirazione, o ſcandalo quantunque nello ſtato preſente.*

Ponderari ſiquidem ab Eminentiſſimis Patribus poſſet, denegatam ſæpe fuiſſe ſimilem diſpenſationem, juxta Reſolutiones in præcedenti Folio citatas, ſed quandoque etiam ad enixas Epiſcopi, & Parochianornm preces, nulloque concurrente ſcandalo, aut periculo, pauperibus Parochis conceſſam. *In Conſentina diei* 13. *Junii* 1725. remiſit arbitrio Ordinarii diſpenſationem Sacerdotis Bernardini Lopes ab irregularitate, licet paſſus eſſet = *ex caſu quodam accidentali talem in brachio dextero læſionem, ut in eo flexibilitatis uſum amiſerit* = Et *in Placentina* 1. *Februarii* 1766. relata inter ſupplices Libellos, conceſſa pariter fuit diſpenſatio Sacerdoti, qui eodem vulnerato brachio dextero = *nec Sac. Hoſtiam elevare, nec Calicem pro Sanguinis conſumatione ori appropinquare, & dicendo = Domine non ſum dignus = pectus percutere nequeat* = *ut in lib.* 116. *Decretorum pag.* 50.

Dubium eſt:

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

Die Sabbathi 7. Julii 1787. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

BONONIEN.. Cauſa hæc cum ſequenti proponi non potuerunt in præcedenti Congregatione diei 16. elapſi Junii. Reſumere igitur dignentur EE. Veſtræ Folium tunc diſtributum, ut eas aſſueta maturitate definiant. *Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.*

An, & quomodo Oratorum precibus ſit annuendum in caſu &c.

Negative in omnibus.

BURGI S. SEPULCRI.

An ſit ſtandum, vel recedendum a decisis in caſu &c. *Seſſ. 14. cap. 7. de Reform.*

Ad Secretarium cum Sanctiſſimo juxta mentem.

Seſſ. 25. cap. 4. de Reform.

ÆSINA. Laicalem poſſidens Capellaniam Sacerdos Joſeph Carotti cum onere quotidiani Sacri, & ſervitii Chori in Eccleſia Cathedrali Æſina, Sacrorum poſtulavit reductionem ob imminutos illius Reditus. At propoſito in Congregatione diei 20. Maii elapſi anni Du-

Dubio = *An, & quomodo sit providendum in casu &c.* = EE. Vestræ rescripserunt = *esse providendum reductione servitii Choralis ad dies Festos de præcepto, & ad Feriam IV. V. VI., & Sabbathum Majoris Hebdomadæ* = Urget nunc Æsinum Capitulum, ut reducantur potius Missæ, duplicemque affert rationem, alteram nempe quod plurimæ aliæ in Cathedrali Ecclesia, exterorum etiam Sacerdotum ministerio, celebrantur Missæ; & alteram, quod eodem voluntatis fervore respexerit Fundator Capellaniæ ad celebrationem Missarum, & servitium Chori. Neutra autem suadere videtur recessum a Regula, quod reliqua prius onera, quam Sacra reduci debeant, *Fagnan. in Cap. Ex parte num. 34. de Constitut.*, *Monacell. Formul. legal. formul. 19. tit. 10. part. 1. num. 15.*, *& seqq.*, & Sacra hæc Congregatio *in Nepesina Reductionis Onerum 3. Julii 1734.*

Missæ siquidem, quibus Cathedralis abundat Ecclesia, pro aliis celebrantur, nullumque propterea suffragium afferunt Fundatori Capellaniæ, qui quotidianum demandavit Sacrum non ad commodum Ecclesiæ, sed = *per suffragio dell'Anima mia, de'miei Antenati, Successori, e Discendenti della Famiglia Moriconi* = Quod æque vero respexerit Fundator ad celebrationem Missarum, & servitium Chori, ab ipso excluditur Scripturæ ordine. Prius enim consultum voluit Capellano pro celebratione, quam pro Chorali servitio per hæc verba = *I frutti di essi* (Capitalium nempe) *dovranno assegnarsi a quel Cappellano, che verrà nominato, ed eletto dal detto Reverendissimo Capitolo, cioè scudi trentasei per la Messa quotidiana, che sarà tenuto celebrare, scudi trè per l'Utensili della Sagrestia, ed il rimanente per il Coro, che dovrà il detto Cappellano esercitare, come gl'altri Cappellani.*

Resumpto igitur præcedenti Folio respondere dignentur Emi Patres.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

ROMANA SUSPENSIONIS DOTIUM. Alexander Bonaventura heredes instituit anno 1722. Philippum, & Camillum ex Fratre Nepotes, ac in defectum eorum Lineæ masculinæ substituit = *nelli Beni, Crediti,*

diti, ed Effetti di Regno a lui spettanti, ed altri di Roma acquistati, e sopralucrati da lui con i suoi avanzi, ed industria = Archiconfraternitatem B. M. Virginis Suffragii Urbis cum onere distribuendi in singulos annos quatuor pauperibus Puellis dotalia Subsidia scutorum viginti quinque pro qualibet ad nominationem Descendentium Lineæ fæmininæ Bonaventura, ac erogandi reliquos fructus in tot Sacra.

Hac purificata substitutione, delata fuit hereditas ad Archiconfraternitatem, quæ ex auctoritate Sacræ hujus Congregationis per Transactionem convenit anno 1770. cum Monialibus S. Theresiæ ad quatuor Fontes, & Marchionissa Capranica Grillo hodiernis Patronis, ut æqua inter ipsas esset Dotium nominatio, singulis scilicet una, & quarta per turnum; utque deberet Archiconfraternitas = *procurare la ricupera degli altri Capitali, e Beni ereditarj &c. Ed occorrendo fare delle liti, siccome sarà cosa utile al Legato, così per le spese, che occorreranno farsi tanto giudiziali, che estragiudiziali, dovranno detrarsi DAL FRUTTATO de i Capitali medesimi, che sono amministrati dalla Ven. Archiconfraternita, col richiedere bisognando il Beneplacito Apostolico, anche per la SOSPENSIONE della collazione delle Doti fin che siasi rimborsata delle spese fatte.*

In exequutionem hujusce Transactionis nonnullas Archiconfraternitas egit lites adversus hereditariorum Bonorum detentores cum gravi sumptu scutorum 435. 43., rogatque EE. Vestras, ut impensæ summæ reintegrationem permittant ex dotalibus Subsidiis, quæ a tribus annis desponsa sunt, ac suspendere insuper dignentur futuras nominationes quousque integre de ea summa, aliisque expensis in posterum faciendis satisfiat. Eminentissimus Albanus vigilantissimus ejus Protector refert, rem utilem hereditati per actas lites Archiconfraternitatem gessisse = *Quamvis enim, inquit, nullum hactenus e controversis hereditariis Bonis recuperatum fuerit, quod EE. Vestræ a me declaratum volebant; constat tamen ex Peritia Curiali coram Judice exhibita, quod valor Bonorum, quæ ad præd. hereditatem pertinere hactenus probatum est, summam conficit circiter scutorum* 4700.

Sub fide insuper Ratiocinatoris Archiconfraternitatis refert, reipsa præteritos litium sumptus ad summam ascendere scutorum 435. 43., cumulumque ex suspensis solutionibus promissorum Subsidiorum existere scutorum 240., quibus additis sc. 3. 74., quæ ex annuis Reditibus

tibus redundant, reficienda superesset Archiconfraternitati summa scutorum 191. 69. Haud ab interesse habentibus inficiari, ait, expensarum reintegrationem Archiconfraternitati, sed opportunius ipsis videri, ut duo, vel tria hereditaria LL. MM. in eam causam distrahantur, quam ut Dotes suspendantur. Pluribusque in hac confutanda propositione expositis rationibus, ita demum concludit = *Censerem itaque, petitam Dotalium Subsidiorum suspensionem eatenus concedi posse, quatenus oratrix Archiconfraternitas expensas sibi refecerit, quas in vindicandis ab illegitimis Possessoribus hereditariis Bonis bon. mem. Alexandri Bonaventuræ conferri oportebit.*

Expensarum reintegrationem, quam coram Emo Protectore admittebant *in genere*, impugnant modo Moniales, & Marchionissa *in genere*, & *specie*. In genere deferendum non esse ajunt simplici Ratiocinatoris assertioni. In specie vero unam præ ceteris partitis notant. Ultra summam scutorum 163. 50., quæ Archiconfraternitatis nomine soluta fuerunt Perito Curiali, alia per eam expensa afferuntur scuta 81. 25. = *per la porzione della Perizia sudetta dovuta dal Signor Marchese Massimi, con animo di rivalersi* = Nullam ergo habendam esse contendunt rationem de hac secunda partita, quam alieno Archiconfraternitas nomine solvit, facilique negotio a Debitore consequi potest.

Quæcumqne vero sit expensarum summa, concedunt potius Compatronæ, ut pro intranti illarum quantitate tot vendantur Loca MM., quam ut suspendatur Subsidiorum Dotalium distributio. Per tenuem enim Capitalis distractionem, (quæ brevi fortasse per recuperationem aliorum Bonorum hereditariorum abunde reparabitur); minores erunt Dotes, per suspensionem nullæ. Idque consentaneum dicunt Transactioni, in qua cautum est, ut imminutis Bonorum fructibus = *la somma delle Doti debba diminuirsi a proporzione, senza però MAI restringersi il numero di esse* = Enixe tandem Eminentissimos Patres rogant, ut Legem imponant Archiconfraternitati eas certiorandi de principio, & fine Litium, quum opportuna subministrare valeant jura, ac æquum sit, ut sciant, quid Archiconfraternitas in re communi agat.

Reintegranda Dubio procul est Archiconfraternitas de præteritis, & futuris litium sumptibus. Præter utilem enim negotiorum gestorum actionem, expressa urget Transactionis stipulatio. Recta *in genere* videtur illorum probatio ex attestatione Ratiocinatoris. Partitas namque

que extraxit ex legalibus Archiconfraternitatis Libris, quibus adhiberi solet fides, *Text. in Cap. Ad audientiam Extrav. de Præscription.*, *Rot. decis.* 3. *num.* 16. *post Dissert.* 12. *Paulutii*. Non immerito quidem notatur *in specie* partita scutorum 81. 25. solut. Perito Curiali pro Marchione Massimi, quia non tenetur pium Opus ad alienos sumptus. Sed notandum est, quod integram Archiconfraternitas solvit Periti Curialis mercedem = *in conformità delli Decreti emanati* = nec portionem idcircò Marchionis Massimi vindicare poterit, quam in fine litis.

Tenuissima summa scutorum 3. 74., quæ ex annuis hereditatis fructibus redundat, æternam quodammodo redderet Archiconfraternitatis reintegrationem; ideoque necessaria videtur vel LL. MM. distractio, vel Dotium suspensio. Alienationi expressa resistit Transactionis littera, ut litium nempe sumptus detrahantur potius = *da l fruttato*. Suspensioni non adversatur, quum eam in casu necessitatis permittat verbis illis = *col richiedere, bisognando, il Beneplacito Apostolico anche per la SOSPENSIONE della collazione delle Doti sin che siasi rimborsata delle spese fatte* = Transactionis autem Leges servandas esse docet *Text. in cap. Constitutus de Procurator.*, *& in Leg. Quamvis Cod. de Transact.*

Reque vera perpetua ampliorum Dotium utilitas præferenda est temporaneo, privatoque quarumdam Puellarum emolumento, quæ Dotes per alienationem LL. MM. diminutas ad reintegrationem usque Archiconfraternitatis consequi deberent. Ita Sacra hæc observat Congregatio *in Neapolitana Subsidiorum Dotalium* 29. *Aprilis* 1698. *Lib. Decret.* 48. *pag.* 134., *& in Lucana Suspensionis Legati* 13. *Augusti* 1707., *&* 1. *Decembris* 1708. *lib.* 58. *Decret. pag.*612. Maxime, quia ea est Sacræ hujus Congregationis praxis, ut quævis alia semper præferat remedia distractioni Fundorum Pii Operis, ac ipsam potius Sacrorum suspensionem concedere soleat, ut *in Taurinen.* 30. *Martii* 1776., *ac in Nucerina Reductionis Missarum* 6. *Septembris* 1778.

Quatenus vero EE. Vestris suspensionem Dotium decernere placeat, extendi fortasse non debet indulgentia ad Dotes promissas, & hactenus suspensas, ne illis contra publicam fidem fraudentur pauperes Puellæ, quibus desponsæ sunt. Poterat quidem Archiconfraternitas, juxta datum in Transactione arbitrium, suspensionem Dotium ante illarum collationem implorare, sibique id-

circò imputet, si non fecit. *In conditione enim potestativa non habet locum retrotractio; propterea quod habet Contrahens, in cujus potestate fuit vel bene, vel male rem gerere, quod sibi imputet. Ideo rationabilius est, quod attendatur tempus conditionis absque ulla retrotractione* = ut inquit *Costa de Retrotract. cap.8. conj.31. num.6.*

Quantum denique ad certiorationem Monialium, & Marchionissæ de principio, & fine agendarum litium, advertendum est, liberum dd. litium arbitrium datum esse per Transactionem Archiconfraternitati, de cujus diligentia, & honestate in illis agendis dubitari non debet.

Hoc igitur proponitur Dubium.

An sit locus suspensioni nominationis ad Subsidia Dotalia pro reintegratione expensarum factarum, & faciendarum pro vindicatione Bonorum Alexandri Bonaventura, vel potius sint alienanda Loca Montium ab eadem hæreditate provenientia, & quomodo sit providendum in futurum in casu &c.

Affirmative ad primam partem pro futuris nominationibus, & pro summa liquidanda, ita tamen ut ex fructibus Bonorum recuperandorum omnia dotalia Subsidia suspensa redintegrentur; in reliquis negative.

Sess.25. cap. 9. de Reform.

ALATRINA. Causa hæc, relata in Folio diei 9. Aprilis 1785., proposita fuit die 7. sequentis Maii quatuor sub dubiis. I. *An favore Familiæ Rossi constet de Patronatu Cappellæ S. Bartholomæi existen. in Ecclesia Archipresbyterali Terræ Varceni.* II. *An liceat dictæ Familiæ retinere infra ambitum d. Cappellæ scamna, & sedilia, ita ut sit standum, vel recedendum a decisis sub die 24. Novembris 1781.* (decisum enim fuerat, non licere) *quoad d. Familiam Rossi tantum.* III. *An liceat Archipresbytero, seu Rectori ejusdem Ecclesiæ, seu cuilibet alteri suprad. scamna, & sedilia amovere, & respective in ea apponere, & retinere Confessionarium, vel aliud quodcumque impedimentum, inaudito, & invito Patrono.* IV. *An, & contra quos constet de attentatis, & quomodo sint illa purganda in casu &c.* =.

Ad primum EE. Vestræ responderunt = *Affirmative* = Ad secundum = *Affirmative, dummodo Divinis non præstet impedimentum, & juxta hunc modum recedendum a decisis* = Ad tertium = *Negative* = Ad quartum = *Dilata* = In-

le-

secunda vero propositione diei 26. Novembris ejusdem anni recesserunt in omnibus *a decisis*, & ad quartum non resolutum Dubium rescripserunt = *Negative in omnibus* = Redierunt tandem die 2. Decembris elapsi anni in sententiam diei 7. Maii 1785. quoad tria priora Dubia, steteruntque quoad quartum *in decisis*. Iterum modo de secundo agitur Dubio. Reliquas enim Sacræ Congregationis resolutiones Collitigantes exceperunt.

Urgent rursus Archipresbyter, & Beneficiati Ecclesiæ S. Nicolai Varceni dispositionem *Juris*, ex qua retinere prohibentur Patroni in eorum Cappellis sedilia; & scamna, quæ impedimento sint Divinis, *Fusc. de Visit.*, & *reg. Eccles. lib.* 1. *cap.* 27. *num.* 1., & *seqq.*, *Nicol. in Flosc. verbo Ecclesia num.* 11., *Ferrar. in Biblioth. Canon. vers. Sedilia art.* 5. *num.* 7. Potissimum vero conditionem illam urgent = *dummodo Divinis non præstet impedimentum* = sub qua resolutum fuit secundum Dubium. Novæ, inquiunt, litis initium est hujusmodi conditio, quum inquiri debeat, num scamna, & sedilia illorum de Rubeis præstent, nec ne impedimentum Divinis, quæ in eorum Cappella celebrantur, expeditque, ut ab ipsis EE. Vestris, quæ rem degustarunt, in complementum acti Judicii definiatur.

Denuo ad suadendum Divinorum impedimentum Testimonium proferunt hodierni Episcopi, ejusque Decessoris *Gagliardi*. Jam expensas regerunt Testium depositiones, adduntque relationem Periti Architecti, qui asserit = *essere il sito, dove si pretende indurre servitù di banco ANGUSTISSIMO, e di soli palmi tre, e dieci oncie fra il Muro laterale, e Pradella di esso Altare, motivo per cui ponendovisi il banco APPORTA IMPEDIMENTO ALLI DIVINI OFFICJ, somma distrazione al Celebrante &c. incomodo al Serviente per non potervi liberamente agire, e dovendo ivi sedere d. Famiglia, necessariamente per il rispetto, e venerazione del Sagrificio deve genuflettersi, ed allora per l'angustia del sito non puole fare a meno porre le ginocchia prossime alla Pradella, o sopra della medesima, e commettere irriverenza al medesimo gran Sagrificio* =.

Antiquam opponit Patronus consuetudinem, ex qua scamnum in Cappella retinuit absque Divinorum impedimento - Plurimos alios opponit Testes, ac Publicos ipsos Varceni Repræsentantes, de sufficienti amplitudine Loci deponentes; illudque animadversione dignum notat, quod in eodem retinebatur Loco Confessionarium, quod

est quid amplius scamno, Quatenus vero assumere velint EE. Vestrae cognitionem prætensi impedimenti, necessaria videretur judicialis Loci recognitio. Quæ enim hinc inde extrajudicialiter deducuntur, ad rectam controversiæ definitionem non sufficiunt.

Quæritur itaque,

An sit standum in primo, & tertio, seu potius in secundo, & quarto loco decisis in casu &c.

In secundo, & quaato loco decisis, & amplius.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

FOROLIVIEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Hæredem instituit Lancellottus de Lancellottis anno 1716. Virginiam Valentini Uxorem suam sub lege servandi viduitatem, eique ad secundas nuptias transeunti substituit Vincentium Antonium Valentini, ac utrique Societatem Suffragii Forolivii = *caso mai, che non facessero soddisfare intieramente a questa mia disposizione* = Præ ceteris autem quotidianum in Ecclesia Societatis, hebdomadalia tria in Ecclesia per hæredes eligenda mandavit Sacra, jussitque, ut mitti deberet = *sempre ogn' anno una Persona al Perdon d'Assisi con darli paoli* 15., *ed un giulio per la celebrazione di una Messa colà per l'Anima mia, e de' miei Defonti* =.
Omnia ad hæc tempora adimpleta fuerunt. Missarum vero reductionem postulat hodiernus hæreditatis possessor Jo. Baptista Valentini tum ob diminutos Bonorum Reditus, cum ob gravem ejus paupertatem, numerosamque Familiam. Utramque reductionis causam probat Episcopus. Ex decennali enim calculo annuos statuit Reditus in scutis 113. 62. 7., exitum in scutis 79. 23. 3. = *in adimplemento* scilicet *piorum Legatorum a Testatore demandatorum; in persolutione Collectarum, Impositionum, & expensarum in reparandis aquis Fluminis, quod dicitur* = *Montone* = *cui maxima in parte adjacent Bona, de quibus agitur* = ideoque superesse concludit hæredi scuta 42. 33. 4., additque sub Peritorum fide, adeo Bona illa ex annuis alluvionibus = *in deterius vergere, ut notabiliter minores fructus pluribus abhinc annis reddant, sintque minores in posterum reddditura, præcipue quod successivis temporibus ad arcendas aquas terram corrodentes, majores impensæ occurrent* =.

De-

De notoria praeterea testatur Oratoris paupertate ; magnoque Filiorum ejus numero = *pro quibus alendis , & educandis , in civico gradu jamdiu locatis , impar certe est summa , quam a paterna hæreditate facto calculo per decennium , retrahit in scutis annuis* 101. 19. 9. , *quæ deductis certis oneribus , remanent in scutis* 36. 89. 8. , *ita ut , superaddita summa proveniente ab hæreditate Lancellotti , Familia Jo. Baptistæ Valentini annuum Reditum liberum ab omni onere habeat scutor.* 79. 23. *in maxima caritate eorum , quæ ad vitam necessaria sunt in hac Civitate* = Atque ex his annuendum censet pro reductione Missæ quotidianæ ad hebdomadales duas , aliarumque trium hebdomadalium ad unam tantum Missam quolibet die Dominico ; ita tamen , ut si quando Familia Valentini in meliorem venerit fortunam , integrum adimplere teneatur Legatum . *Neque* , inquit , *Confratres Societatis Suffragii per me auditi obstant* . Annuum vero Assisiensis missionis onus silentio præterit .

Perpetua ob imminutos Reditus concedi solet Missarum reductio , ut *in Senogallien. Reductionis* 10. *Maii* 1783. , & *in Viterbien. Reductionis Onerum* 8. *Maii* 1784. Ob paupertatem vero hæredis temporaria celebrationis suspensio , ut *in Taurinen* 30. *Martii* 1776., *in Messanen. Reductionis Missarum* 24. *Januarii* , & *in Nucerina Reductionis Missarum* 6. *Septembris* 1778. Quæ enim pro Patrono inope scripta est Canonica æquitas , trahi posse videtur ad hæredem Fundatoris , qui ei assimilatur , ut alimenta scilicet ex fructibus Beneficii , aut pii Operis consequatur . Ita *in Toletano Concilio* IV. *can.* 38. relato *in can. Quicumque* 16. *quæst.*7., quem Clemens III. restituit *in cap. Nobis de Jurepatron.* . Ideoque EE. Patrum indulgentia dignus censeri posset Orator , qui ex prædilecta Familia Valentini pauper hæres est Lancellotti de Lancellottis . Maxime , quia non agitur de omnibus intermittendis Sacris , sed de temporaria illorum imminutione quousque Orator in meliorem venerit fortunam .

Sedulo tamen advertendum est , adeo enixe demandatum Missarum numerum Testatorem voluisse , ut caducitatis pœnam indixerit hæredibus = *caso mai , che non facessero soddisfare INTIERAMENTE a questa mia disposizione* = Huic sane derogandum esset voluntati non ex necessaria , aut publica causa , quam in id requirunt *Fagnan. in cap. Nimis sub num.* 6. *de Fil. Presbyt.* , *Monet. de commut. ult. volunt. cap.* 6. *num.*75. , & *cap.*9. *num.* 676. , & *Piton. de controv. Patron. allegat.*50. *num.* 7. ; sed ex simplici

plici Oratoris paupertate, quæ privatum respicit incommodum, & ab omnibus fere, qui piis Operibus gravati sunt, allegari potest. Æquitas praetereaCanonis *Quicumque* Patrono favet, qui honorificum tantum habet jus præsentandi, nilque ex Beneficio percipit; non item ei, qui universa Fundatoris Bona cum certo pii Operis onere possidet. Hic enim quousque suppetunt hæreditatis vires, demandatum opus explere tenetur. Nedum autem Reditus hæreditatis Lancellotti ad integram Missarum celebrationem, aliorumque onerum adimplementum suppetunt, sed annua etiam favore Oratoris supersunt scuta 42. 33. 4., licet ejus inopiæ imparia. Quod vero ob inundationes Fluminis *Montone* minores reddi-tura sint fructus hæreditaria Bona, Justa fortasse erit reductionis Missarum causa, cum casus evenerit.

Quæritur ergo ab EE. Patribus.

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.

Negative.

Sess.25. cap.4. de Reform.

DERTHONEN. ABSOLUTIONIS, ET REDUCTIONIS MISSARUM. Ad servandam nobilis suæ Familiæ splendorem. explendamque Hierosolymitani Equitis Alberti Rati prædefuncti fratris voluntatem, Primogenituram Codicillis instituit anno 1638. Hieronymus Rati, eique addixit *Coloniam* nuncupatam = *la Casina Rossa* =, quam appellari deinceps voluit = *la Casina Ratta = cum omnibus Ædificiis, ac Bonis stabilibus cujuscumque qualitatis, & quantitatis eidem Capsinæ adiacentibus* = amplam rursus habitationis suæ Domum; & = *Curtem cum Columbario, Viridario, Capsina, & Torculari* = prope Viam publicam *il Riale*. Onus autem singulis Primogenitis imposuit quotidianæ Missæ = *in Sacello Sanctissimi Rosarii erecto, & ædificato sumptibus, & expensis suprad. qu. Equitis Alberti Rati in Ecclesia Parochiali S.Mariæ de Portio; quam tamen Missam possit etiam Capellanus celebrare in Oratorio Divi Bernardi posito in loco Turris Ratorum, & alibi, prout commodius fuerit visum Condominis descendentibus* = mandavitque, ut = *præfati Primogeniti teneantur, & obligati sint observare in omnibus, & per omnia ordines, & conditiones jussu,*

& vo-

& voluntate præfati Domini Equitis Alberti ſcriptos, & ſcriptas in Libro d. Sacelli SSmi Roſarii.

Valde Codicillans de hac Miſſarum celebratione ſollicitus fuit. Caducitatis enim pœnam Primogenitis indixit, ſi eam per annum prætermiſiſſent. Num primo ſaltem tempore expleta fuerit, ignoratur. Hoc tamen ex relatione Epiſcopi conſtat, quod ob amiſſum Librum Sacelli SSmi Roſarii = *fere ſemper ab Oratoris Prædeceſſoribus, conditionum, de quibus ſupra, ignaris, omiſſa fuerit Miſſarum celebratio* = Rem in antiquis perluſtrandis Scripturis novit Aloyſius Rati hodiernus primogenitus, ac modo integre, modo aliqua in parte Miſſas celebrari curavit. Abſolutionem nunc poſtulat pro Miſſis non celebratis, earumque reductionem in futurum ad dies tantum Feſtos tum ob imminutos Hæreditatis Reditus, cum ob aucta Regia vectigalia.

Præteritam omiſſionem, ut dixi, tribuit Epiſcopus ignorantiæ conditionum, quæ in amiſſo erant Libro. Quo ad futuram vero Miſſarum reductionem obſervat, quod licet = *la Caſina Roſſa* = annuas reddat Pedemontanas libras 446. 12. 6., quæ pro celebratione quotidianæ Miſſæ redundant, quum tamen = *memorata Capſina relicta ſit a Teſtatore pro conſervatione, & ſplendore propriæ Familiæ, & Primogenitorum, haud dubium eſt, quin major pars fructuum abſque ullo onere ipſius Primogeniti, Legato gravati, favore cedere debeat* = Atque hinc cenſet, benigne EE. Veſtras = *cum Oratore agere poſſe, ipſum nempe ab omiſſionibus anteactis miſericorditer abſolvendo, impoſito deinceps onere celebrationis Miſſæ ſingulis diebus Feſtis de præcepto, juxta Fundatoris mentem quoad Locum celebrandæ* =.

Quoad reductionem Miſſarum, de qua in primo Dubio, notandum eſt, non unam ab Oratore Coloniam *la Caſina Roſſa*, de qua tantum loquitur Epiſcopus, ſed amplam quoque habitationis Domum, & *Curtem cum Columbario, Viridario, Capſina, & Torculari* Primogeniture titulo poſſidere. Si Reditus ergo Coloniæ *la Caſina Roſſa* pro integra Miſſarum celebratione redundant, jam ex ſuperantibus Reditibus, aliiſque amplæ Domus, & Curtis tantum fortaſſe Orator habet, ut Familiæ etiam ſplendorem conſervet. Ubi Reditus autem omnibus ſufficiunt oneribus, denegari ſolet ab hac Sac. Congregatione Miſſarum reductio, ut *in Oſtunen. Reductionis Miſſarum* 4. *Decembris* 1734.

Quo vero ad illarum ſupplementum pro præteritis omiſſioni-

nibus, & absolutionem, de quibus in secundo Dubio, distinguendum arbitror inter celebrationem a Majoribus Oratoris, & ab ipsomet Oratore ante compertum Legatum omissam, & posteriorem celebrationem integri ab eodem Oratore non expletam. Locum pro anterior tempore non esse videtur Missarum supplemento, quia causam ab illis non habet Orator, qui Missas ante delatam sibi Primogenituram neglexerunt, bonaque fide ante cognitum Legatum fructus consumpsit. Haud ita tamen pro posteriori. A die enim, quo Missarum onus novit, a voluntaria illarum omissione excusari non potest. Sub hac igitur distinctione consulendum esse videtur *Sanctissimo* pro absolutione a Missis dumtaxat ante cognitum Legatum non celebratis; quum pro his bona Oratoris fides indulgentiam mereatur, ut dixit Sacra Congregatio *in Ecclesien. Onerum, & Distributionum* 9. *Septembris elapsi anni ad primum Dubium*, & novissime *in Reatina Reductionis Missarum* 24. *elapsi Martii ad secundum Dubium.*

Respondere igirur Dignentur EE. Vestræ.

I. *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

II. *An, & a quo tempore teneatur Orator ad supplementum Missarum: & quatenus affirmative, an sit consulendum Sanctissimo pro absolutione in casu &c.*

Ad I. Negative. ad II. Affirmative ad primam partem a die obitus Testatoris; & quoad secundam partem affirmative juxta modum, nempe usque ad diem cognitii oneris.

Sess. 22. cap. 6. & sess. 25. cap. 4. de Reform.

PARMEN. BENEFICII. Rogabat Joseph Antonius Maccarini Executor Testamentarius Hieronymi Pezzani, ut ad formam potius ejus Testamenti, quam anterioris Dispositionis Horatii Pezzani illius patrui exigeretur Beneficium ad Altare B. V. Rosarii in Parochiali Ecclesia Villæ Gramignatis. Minor erat juxta posteriorem illam Dispositionem Beneficii Dos, ob nonnulla Horatii Bona per Hieronymum distracta: diversæ activi, & passivi Jurispatronatus leges. At proposito in Congregatione diei 29. Julii elapsi anni Dubio = *An, & quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu &c.* = EE. Vestræ rescripserunt = *Beneficium esse erigendum juxta fundationem*

Sa-

Sacerdotis Horatii, *& Missas celebrandas pro rata Redituum pro nunc actu existentium ad taxam perpetuæ*, *&* *scribatur Episcopo juxta mentem* = Mens autem fuit, ut præcise referret Episcopus de causa impediente vindicationem Bonorum Horatii a tertiis Possessoribus.

Iterum nunc supplicat Executor testamentarius, ut prævio recessu *a decisis*, demandare dignentur EE. Vestræ erectionem Beneficii juxta Dispositionem Hieronymi, amplissimeque ejus instantiæ in secunda etiam relatione favet Episcopus. Quæ causa Bonorum vindicationem impediat, opportunius Eminentissimi Patres ex originali relatione intelligent. Talis autem est, ut inutilem reddat actionem *pro recuperandis Bonis alienatis*, impossibilem quodammodo erectionem Beneficii *super Bonis*, *quæ adhuc supersunt ad tramites Testamenti memorati Sacerdotis Horatii*. Qua de re concludit Episcopus, quod = *Nisi exigatur Beneficium*, *prout statuitur a d. Hieronymo*, *tam istius dispositio*, *quam altera Sacerdotis Horatii frustratæ quidem*, *ac omnino inanes certo certius evadent* = Ea igitur concurrere videtur justa, & necessaria causa, ex qua *Sac. Concilium Tridentinum Sess.22. cap. 6. de Reform.* ultimarum voluntatum commutationes permittit. Exemplo est Sacræ Congregationis resolutio *in Interamnen. Commutationis Voluntatis* 8. *Maii* 1756.

Maxime, quia iu id consentiunt interesse habentes, Parochus scilicet Gramignatis, & qui vocati sunt in Testamento Horatii ad Patronatum. Hæc in prima sua relatione habet Episcopus = *Optimum duxi Parochum tantummodo audire*, *qui nedum adprobat*, *verum etiam quam maxime exoptat, ut erigatur Beneficium ad tramites secundi Testamenti*; *prout etiam certum mihi est*, *id quoque exoptari ab illis*, *qui vocati fuere ad Juspatronatum in priori Testamento*, *utpote dignoscentes*, *in eo disposita minime exequi posse*. Quatenus vero recedere placeat *a decisis*, reducendus esset Missarum numerus juxta Reditus Bonorum, quæ erigendo Beneficio Hieronymus assignavit, & ad annuam ascendunt summam scutorum viginti.

Quæritur itaque.

An, & *quomodo sit standum*, *vel recedendum a decisis in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

Seff.25. cap. 4. de Reform.

CASALEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Hæredem instituit Catharina Borcone anno 1737. Vincentium Bernardinum Bazzano ejus Virum, eique in suffragium Animæ suæ perpetuum imposuit duorum hebdomadalium Sacrorum onus, pro cujus implemento Prædiolum assignavit modiorum quinque, tributa eidem facultate subrogandi pro arbitrio alium Fundum. Hac utens facultate, reipsa in locum Prædii subrogavit Vincentius Domum, aucto in Codicillis anni 1754. tertii hebdomadalis Sacri onere, propriumque Legatum, ut de alio etiam disposuerat Uxor, ab Ordinaria jurisdictione exemptum voluit.

Sub fidejussione Vincentii, & approbatione Innocentii Bottacco, ac Joannis Baptistæ Nicola conduxit sequenti anno 1755. Franciscus Nicolaus Bazzano illius filius Regia Montiferrati Vectigalia pro annua responsione scutorum 7393. 10. monetæ Romanæ. Patre defuncto, perniciosum conductionis effectum sensit Filius. Pene universum sane ejus Patrimonium, cum Domo subrogata pro Sacrorum implemento, adjudicatum fuit per Regium Computorum Tribunal Approbatoribus, qui promissam responsionem Regio Ærario solvere debuerant. Ut alteram vero ex hisce Approbatoribus, Innocentium nempe Bottacco levaret ab onere Missarum, quo gravata erat Domus, coactus etiam fuit Franciscus Nicolaus Bazzano subrogare modia octodecim Terræ trans Flumen Eridani, quæ in Patrimonio supererant, sub promissione obtinendi a quo opus esset hujusce subrogationis approbationem intra biennium. Quoad vixit tamen hujusmodi approbationem neglexit.

Quæ a Mense Februario 1755. ad totum currentis anni Aprilem celebrari debuissent Missæ, ad numerum ascendunt 5031. Quæ celebratæ sunt, non excedunt numerum 1732. Ideoque supersunt celebrandæ 3299. Inopia pressæ, EE. Vestras rogant Laura Catharina, & Jacobina Bazzano Francisci Nicolai filiæ pro reductione Missarum in futurum, & absolutione quoad præteritum, impenseque eis favet Episcopus per hæc verba = *Oratrices Laura Catharina, & Jacobina Sorores Bazzano filiæ sunt orphanæ, sunt valetudinariæ, & nihil aliud possident, nisi quædam Prædia, ultra Eridani Flumen posita, quorum Reditus ad congruam earum sustentationem non sufficiunt; quapropter ex earum labore, & industria tam alimenta, tam indumenta, ceteraque necessaria petere coguntur. Patris hæredes dici nequeunt, nam paternum Patrimonium, ut supra*

pra, adjudicatum fuit ad favorem Approbatorum suscepti oneris per earum Patrem, & parva Prædia, quæ super Finibus hujus Civitatis trans Eridani Flumen tenent Oratrices, proveniunt a juribus qu. earum Amitæ = Atque his de causis in sententia est = *Oratrices ipsas ab onere implementi Legati hujusmodi trium Missarum qualibet hebdomada, prout ab obligatione celebrare faciendi Missas decursas, & non celebratas in numero 3299. ; stante earum impotentia prorsus absolvendas esse, dummodo (quoad vixerint) celebrare faciant intuitu hujus Legati Missam unam quolibet mense.*

Quoad primam reductionis Missarum instantiam. Licet non constet de annuo Reditu Prædiorum trans Eridanum, in genere tamen refert Episcopus = *modia prædicta 18. Terræ ultimo loco subrogata, non sufficere oneri d. perpetui Legati* = Æqua idcirco videri posset petita Missarum reductio. Ubi enim assignati Fundi Reditus impares sunt oneri, nilque aliunde hæredes habent, & suppleant, tunc sive assignatio fuerit *demonstrativa*, sive *taxativa*, qualis ex relatione Episcopi videtur illa, de qua agitur, rescribere consuevit Sacra Congregatio pro reductione, ut *in Isernien. 26. Novembris* 1723., *in S. Severinæ* 13. *Junii* 1725., *& in Tranen. 22. Novembris* 1738.

Præsumpta accedit Testatorum voluntas. Præ omnibus consultum voluit Catharina Borcone per universalem institutionem Viro, & communibus Descendentibus, deindeque hebdomadalia Sacra demandavit. Hoc ipsum fecit Vincentius Bazzano, dum tertio insuper gravavit Sacro Franciscum Nicolaum ejus filium, cui pinguem relinquebat hæreditatem. Si uterque autem prævidisset, fore ut integrum Patrimonium absque ulla eorum Neptum culpa disperderetur, aut pium non reliquissent Legatum, aut minorem Missarum numerum demandassent. Quanti autem facienda sit præsumpta hæc Testatorum voluntas, ut Missarum onus ad vitam pauperum hæredum minuatur, in simillimis terminis probat *Card. de Luc. de Testam. disc.* 72. *num.* 15. & *seq.* Maxime, quia Prædia ultimo loco in Fundum pii Legati subrogata, non hæreditario Patris jure possident Oratrices, sed = *proveniunt a juribus qu. earum Amitæ.*

Advertendum tamen est, novissimam dd. Prædiorum subrogationem a nemine probatam fuisse, nec probari forsan posse. Affecta enim sunt Prædia illa contermini Possessoris prætensioni, ob quam = *Supplicantium Pater nunquam approbationem subrogationis hujusmodi petiit..*

sciens ad se non pertinere d. Modia = ut hisce verbis refert Episcopus. Si certum igitur Legato pio non præstant Fundum, & impares sunt illorum Reditus oneri, consulendum potius videretur perpetuæ Missarum celebrationi ex Domo per primum hæredem subrogata, quæ dubio procul cum illarum onere in hodiernum possessorem transiit. Hæc potius, quam illa attendi debet subrogatio, quum facultas subrogandi data fuerit primo hæredi personalibus verbis. Ita Episcopus = *facultate concessa EJUS MARITO Vincentio Bernardino Bazzano Fundum alterum ad ejus libitum substituendi*.

Quo vero ad absolutionem a Missis non celebratis, EE. Vestrarum indulgentiam mereri videntur Oratrices ob gravem earum paupertatem, de qua luculentissimum testimonium perhibet Episcopus. Frustra enim ad celebrationem damnarentur Missarum, quam impossibilem fere reddit inopia. Neque damnari ad eam posse videtur Possessor Domus, dum illam bona novissimæ subrogationis fide prætermisit.

Dubia sunt.

I. *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 28. Julii 1787. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

INdecisæ remanserunt in superiori Congregatione diei 7. labentis Julii binæ sequentes Causæ.

PARMEN. BENEFICII. *Sess 22. cap 6., & Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

An, & quomodo sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Attentis peculiaribus facti circumstantiis, prævio recessu a decisis, Beneficium esse erigendum juxta fundationem Hieronymi.

CASALEN. REDUCTIONIS MISSARUM. *Sess 25. cap. 4. de Reform.*

I. *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione in casu &c.*

Dilata, & scribatur Episcopo juxta mentem.

TUDERTINA REDDITIONIS RATIONIS. Duo in hac Causa proposita fuerunt *Dubia* in Congregatione diei 21. elapsi Aprilis, primum = *An constet de administratione exercita per Archipresbyterum Philippum Dominici, ac Priorem Bernardinum Laurenti, ita ut sit locus redditioni rationis in casu &c.* = & secundum = *An, & a quo tempore sustineantur gravatoriæ in casu &c.* = Horum alterum resolutum fuit per Rescriptum = *Affirma-* *Sess. 22. cap. 9. de Reform.*

mative pro Negotiis Confraternitatum ab unoquoque gestis infra terminum ab Episcopo præfiniendum = & alterum per Rescriptum = *Negative* = De viribus modo utriusque Rescripti quæritur sub respectivo Dubio =

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Ad primum in decisis, & amplius.
Ad secundum in decisis, & amplius.

Sess. 14. cap. 7. de Reform.

SABINEN. IRREGULARITATIS. Post quinquennalem contumaciam dispensationem postulavit Sacerdos Franciscus Serafini ab irregularitate, in quam ob patratum homicidium inciderat. Sed proposito in Congregatione diei 17. Junii elapsi anni Dubio = *An sit consulendum Sanctissimo pro gratia dispensationis in casu &c.* = EE. Vestræ rescripserunt = *Negative, & expectet* = Pro eadem nunc supplicat gratia, eique impense Emus Episcopus favet. Refert sane, quod Orator = *duplici postquam fuit vulnere confossus, fere ad propriam defensionem sanguinem sui aggressoris effudit* = quodque = *peractis Exercitiis spiritualibus per mensem, veniam tandem obtinuerit.. & interim, universo Moriconis Populo attestante, morum præstantiæ laudabile specimen dedit, quam modo etiam pari constantia servat* = Atque hinc concludit = *Huic igitur Presbytero, qui novus factus est homo, & quem paupertas, ac fere egestas summopere urget, dispensationem ab irregularitate elargiendum esse censerem; præsertim cum septem jam effluxerint anni a die patrati criminis.*

Qui per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab Altari avelli debet. Ita *Sac. Concilium Tridentinum Sess.* 14. *cap.* 7. *de Reform.* Dedecet enim, ut Sacratissimum Christi Sanguinem contrectet, qui alienum ex proposito effudit. Quoties tamen de Sacerdote agitur homicida, cui aliqua sit vel propriæ defensionis, vel fortuiti casus excusatio, dispensare solet Sacra hæc Congregatio post justam moram, & constantem vitæ emendationem ab irregularitate, ut *in Nullius Provinciæ Compostellanæ* 2. *Octobris* 1723., *in Montis Falisci Irregularitatis* 28. *Januarii* 1741., *& in Murana Irregularitatis* 12. *Martii* 1763.. Eamdemque indulgentiam cum pro-

promovendo ad Sacros Ordines quandoque adhibuit, ut *in Aversana Irregularitatis* 2. *Augusti* 1755.

Justæ autem in præsenti casu concurrere videntur dispensandi causæ. Homicidium Seraphinus patravit = *fere ad propriam defensionem* = Vitam emendavit, ac *novus factus est homo* = Fiscum composuit. Septem elapsi sunt anni a die patrati criminis. Et per integrum annum gratiam expectavit. Moriconis autem Populus rogat, ut ei etiam celebrare liceat in Loco commissi delicti. Non abundat enim Oppidum Sacerdotibus.

Quæritur itaque.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis.

APRUTINA. Tria ab EE. Patribus in Congregatione diei 19. elapsi Maii quæsita fuerunt, I. *An substitutiones Piorum Locorum ordinatæ in casu hereditatis repudiatæ, sustineantur post obitum heredis acceptantis in casu &c.* = II. *An prohibitio cædendi, vendendi, & hypothecandi primo heredi facta, servanda sit ab ulterioribus heredibus in casu &c.* = III. *An onus annuæ celebrationis Missarum primo heredi injunctum, transeat ad ejus Successores in casu &c.* = Ad primum responderunt = *Negative* = Ad secundum, & tertium = *Affirmative* = De una queritur Sacerdos Carolus Piccioni secundi Dubii resolutione, ac EE. Vestras pro illius declaratione exorat. *Sess.25. cap. 4. de Reform.*

Perpetua, inquit, prohibitio sit vendendi, & hypothecandi; non item *indistincte* prohibitio cædendi. Heredi siquidem interdixit Testator = *che non possa tagliare cosa di fondo* = seu, quod idem est, arbores fructiferas, quæ pars sunt, & accessiones Fundi, *Text. in Leg. Fundi* 8. *ff. Quib. mod. ususfr.*, *Niger. de subhast. cap.* 15. §. 1. *num.* 12., *Polit. de nov. oper. nunciat. quæst.*8. *num.* 1., *& seqq. tom.*5. Sub hac ergo prohibitione non veniunt arbores corruptæ, & cæduæ. Aliæ enim ex his in ipsis Benefici Bonis cædi valent, ut novæ substituantur, *Redoan. de reb. Eccles. non alien. quæst.* 79. *cap* 7. *num.* 13., *Corbul. de caus. privat. ob rei deter. num* 28. *vers. ideo quod supra dictum est*. Aliæ quum = *sint in fructu, ut scilicet quæ soleant excidi ad usum quempiam, lignandi,*

vel

vel ædificandi gratia, ideo ii, ad quos fructus pertinent; vel integre, vel pro parte poterunt excidere in usum, in quem solent impendi = ut per hæc verba monet *Tiraquell. de Retract. convent. §.3. gloss. unic. num.25.*. Idque licet etiam Beneficiato, qui reliquis antecellit usufructuariis, ac potiora habet jura, *Lotter de Re Benefic. lib.1. quæst.3. num.13., & seq.*. Cujus tamen qualitatis sint arbores in hereditariis Andreæ Prosperi Bonis existentes, ignoratur.

Quæritur ergo;

An, & quomodo sit standum, vel recedendum a decisis quoad secundum Dubium in casu &c.

Ad Secretarium ad mentem.

Sess. 22. cap. 9. de Reform.

FOROLIVIEN. Ex viginti hujus Causæ *Dubiis*, jam a Sacra Congregatione resolutis, ad novum dumtaxat examen redit *primum*, quod ita erat in origine conceptum = *An claves aperientes Ribaltas exterius claudentes Urnam, in qua Sacrum Divi Peregrini Latiosi Corpus asservatur in Ecclesia Patrum Servorum B. M. Virginis Forolivii, retinendæ sint ab iisdem Patribus, seu potius Communitati competat jus retinendi alteram ex illis in casu &c.* = Responsum ad hoc *Dubium* fuit die 11. Septembris 1784. = *Negative ad primam portem; affirmative ad secundam* = Quærentibus deinde PP. Servitis in secunda propositione diei 7. Maii sequentis anni 1785. = *An sit standum, vel recedendum a decisis* = res in ancipiti remansit per Rescriptum = *iterum proponatur* = At die 21. Januarii elapsi anni revocatoria prodiit resolutio = *recedendum a decisis* = Acri nunc utriusque Partis contentione redintegratur certamen.

Vindicare nititur Foroliviensis Communitas jus retinendi alteram ex clavibus aperientibus Ribaltas exteriores Urnæ, in qua Sacrum Divi Peregrini Corpus servatur, tum ex Patronatu Sacelli eidem Sancto dicati, cum ex consuetudine. Hæc sunt prætensi Jurispatronatus probationes. Iterata ipsius Communitatis enunciativa de ædificato propriis sumptibus Sacello, in duplici emissa supplici Libello, quem Sacræ Rituum Congregationi, & san. mem. Benedicto XIII. porrexit: Ædificandi mandatum;

tum, dimenſiones, & ſumptus in ejus Libris relati: Expenſæ canonizationis Divi Peregrini: Onus manutentionis Sacelli per Adminiſtratores Capitalium canonizationis aſſumptum: Publici Stemmatis exiſtentia in ſplendidiori illius loco: Sacrarum Functionum directio, & oblationum adminiſtratio: Ac licentia tandem data Viviano Bonaccorſi de nova conſtruenda Urna procuratorio nomine Communitatis.

Ex his omnibus Patronatum deſumit Communitas ex *fundatione, & dotatione*, deindeque concludit, nedum ei = *in ſequelam Juriſpatronatus deberi retentionem clavium Eccleſiæ Patronalis* = ſed clavium etiam = *SS. Reliquiarum, Imaginum, Oblationum, & Eleemoſynarum, quæ ipſis Imaginibus fiunt* = ut inquit *Fargn. de Jurepatr. part.* 1. *can.*4. *caſ.* 6. *num.*6. Canonicæ enim non vetant Leges, quin unam, vel plures SS. Reliquiarum claves Patroni laici retineant, *Monacell. Form. legal. part.* 1. *form.* 5. *num.*39., *Roſſ. de Sodalit. quæſt.* 20. *num.* 2., *Torr. de pact. futur. ſucceſſ. lib.*3. *cap.* 1, *num.*318., & *Barboſ. in Summ. Apoſt. Dec. collect.* 646. *num.*9.

Plura hinc addit de conſuetudine, ex qua jus etiam Patronis laicis quæritur retinendi SS. Reliquiarum claves; ut notat *Folium diei* 11. *Septembris* 1784., ac tradunt *Pax Jordan. elucubrat. div. lib.* 7. *tit.*1. *num.*129. *tom.*2. *Scarphant. ad Ceccoper. Elucubr. Can. lib.*3. *tit.* 12., & *Card. de Luc. in Miſcell. diſc.*35. *num.* 10. Maxime ſi de Reliquiis agatur Patroni Civitatis, ut eſt Divus Peregrinus, *Pax Jordan. loc. cit. verſ. ſed in his*. *Boſſ. de Sodalit. d. quæſt.*20. *num.*2.. Primum conſuetudinis argumentum eſt enunciativa ipſius Communitatis. In Comitiis enim anni 1645. conqueſti fuerunt Conſiliarii de tentata eorum clavis uſurpatione. Facultas accedit, data Medico Antonio Laziofi, retinendi eam clavem nomine Communitatis. Bini rurſus canonizationis, aliique accedunt Teſtes, de perpetua illius exiſtentia apud Communitatem deponentes. Sacræ item annorum 1607., & 1713. Viſitationes, in quibus clavem illam adhibuerunt Epiſcopi. Ac ſimilis tandem caſus anni 1671., quo clar. mem. Cardinalis Radius Æmiliæ Legatus ad inviſendum S. Peregrini Corpus eamdem a Communitate poſtulavit clavem = *per non pregiudicare al poſſeſſo, in cui ſi trova il Pubblico di far aprire, e ſerrar la Ferrata* = Ad hanc autem confirmandam obſervantiam, plura memorat Communitas aliarum Civitatum Status Eccleſiaſtici exempla.

Tangit quidem hujusmodi observantia clavem, quae ferream antiquae Urnae cratem reserabat; sed Testibus probat Communitas, eodem loco esse ligneas novae Urnae Ribaltas, ac erat ferrea crates, aeque scilicet per eas exteriorem Urnae partem custodiri. Si enim Communitatis clavis ad interiorem pertinuisset partem, in qua Sacra Divi Peregrini Lipsana servantur, jam inutile fuisset ferrum; quum perpetuo occlusus, sigillisque munitus sit Sarcophagus. Verisimillimum ergo, inquit Communitas, quod exteriorem ad invisendam interiorem referaret Custodiam. Atque hinc concludit, permittendam sibi esse clavem, quae diversa sit ab illa, quam habet PP. Servitae, idonea tamen ad utramque referandam interiorem, & exteriorem Ribaltam.

Despicienda autem non sunt, quae alia ex parte deducuntur. Expressa Communitati adversatur Sacrae Congregationis Episcoporum, & Regularium Lex, quam refert *Pignatell. consult.* 50. *num.* 7. *tom.* 1., quod nempe = *Claves Reliquiarum, quae sunt in Ecclesiis Regularium, non debent remanere apud Seculares, licet Dominos Cappellarum, ubi custodinntur* = Una huic Legi est limitatio, si = *Laici ex consuetudine Claves retinerent per modum simplicis custodiae, & assistentiae* = ut per haec verba notat *Scarphant. ad Ceccoper. elucubr. Can. lib.* 3. *tit.* 12. Praetensum ergo Cappellae S. Peregrini Juspatronatus nullum Communitati tribuere valet jus retinendi illius Sarcophagi claves, quae Laicis omnibus Cappellarum dominis indefinite prohibentur; sed una ei prodesse posset legitima consuetudo, quae exteriores respiceret Ribaltas.

Pluribus tamen PP. Servitae & Patronarum, & consuetudinem excludunt. Ex duplici, ut diximus, titulo Patronatum Cappellae S. Peregrini desumit Communitas, ex *fundatione* scilicet, & *dotatione*. Valde adversus priorem *fundationis* titulum urget, quod constructa fuerit Cappella ex liberalibus Forolivienfium Civium eleemosynis, ut Communitas ipsa fatetur. Quaeri profecto non potuit Communitati ex alienis largitionibus Juspatronatus, quod nec ipsis Largitoribus Jura permittunt; *Vivian. de Jurepatr. art.* 1. *lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 58., *Panimoll. decis.* 9. *num.* 12. *& seqq.*, *& Rot. in Æsina Manutentionis super bono jure* 11. *Junii* 1781. §. 4. *coram R. P. D. Flangini*, quae in simillimo casu definivit = *Nullum Communitati (Mosciani) quaesitum esse Ædiculae Juspatronatus: Nam qui Ecclesiam, seu Cappellam aedificat piis oblationibus non suis, sed alienis, is de Ecclesiastica pecu-*

culio ædificat , proptereaque ex ea constructione in illa Ecclesia , in illa Cappella nullum prorsus Juspatronatus eidem acquiritur .

Facile hinc intelligitur , quo se referant mandatum ædificandi , dimensiones , sumptus , Sacrarum Functionum directio , oblationum administratio , quæ in signum Jurispatronatus Communitas extollit; simplicem scilicet innuunt eleemosynarum curam pro recta illarum erogatione . Supplicum vero Libellorum enunciativæ de constructa Communitatis sumptibus Cappella , & licentia data Viviano Bonaccorsi de construenda ipsius Communitatis nomine nova Urna , probare nequeunt Juspatronatus ex fundatione favore ejusdem Communitatis , a qua proficiscuntur *Surd. decis.* 104. *num.* 2. & 3. , & *Rot. cor. Ansald. decis.* 262. *num.* 31.

Traduci item non posse videntur ad *dotationem* Sacelli onus ejus manutentionis per Administratores Capitalium canonizationis assumptum , ac ipsius canonizationis expensæ . Nil enim horum tribui valet Communitati , sed piis Fidelium eleemosynis,ex quibus Capitalia illa , & expensæ expletæ fuerunt . Si quid vero Communitas rependit pro canonizatione , non acquirendi Juspatronatus animo , sed ex mera erga Sanctum Peregrinum devotione contribuisse censetur . Publici tandem Stemmatis existentia in Sacello ad simplicem potius referri debet Communitatis honorem , quam ad ejus Patronatum , de quo aliunde neque *ex fundatione* ,neque *ex dotatione* constat , *Rot. in cit. Æsina Manutentionis §.* 4. *coram Flangini* .

Post prætensum Communitatis Patronatum transeunt PP. Servitæ ad consuetudinem , quæ una ex limitatione Decreti Sacræ Congregationis Episcoporum , & Regularium ei prodesse posset . Ultro siquidem fatetur Communitas , controversam non habuisse clavem ab anno 1744.,quo nova constructa fuit Urna,ad annum 1774. quo instituta fuit lis . Novissima igitur hæc *triginta* annorum consuetudo PP. Servitis favet . Quoad antiquiora vero tempora non parum quoque eis favent Acta translationis Sacri Corporis a veteri ad novum Sacellum , aliaque solemnis ejus recognitionis expletæ anno 1755., nam solæ in utroque actu adhibitæ fuerunt illorum claves ad exteriorem referandam Urnam . Solemnis quoque urget depositio alterius ex Testibus canonizationis qui hoc ipsum de visu deposuit ; aliorumque urgent Testium dicta .

Singula tandem expendunt Patres contrariae consuetudinis argumenta, atque ex ipsis Communitatis juribus demonstrant, permissam ei dumtaxat fuisse alteram ex clavibus interioris Urnae, ut cum aliis etiam Devotis servatum fuit, numquam vero alteram exterioris Custodiae, quam vocant *Ribalta*; quum absurdum esset, ut in frequentibus ejus relerationis actibus quaeritari deberet illius clavis.

Resumpto igitur Folio diei 11. Semptembris 1784., respondere dignentur EE. Vestrae.

An sit standum in primo, vel secundo loco decisis quoad primum Dubium in casu &c.

In secundo loco decisis, & amplius.

Sess. 22. cap. 6. & Sess. 25. cap. 4. de Reform.

BONONIEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS, ET TRANSACTIONIS. Ad primum hujus Causae Dubium = *An sit locus commutationi voluntatis, ita ut sit confirmanda Transactio in casu &c.* = responderunt EE. Vestrae sub die 17. Junii superioris anni = *Affirmative, dempta suppressione tertiae Mansionariae* = Ad secundum vero = *An, quomodo, & a quibus subeundae sint expensae pro conficienda Transactione, ac obtinenda voluntatis commutatione usque ad plenam illius executionem in casu &c.* = rescripserunt = *expensas omnes subeundas ex fructibus decursis, & deinde a Beneficiis erigendis prout de Jure* = Ab utroque nunc Transigentes provocant Rescripto.

Quoad primum, extenuare student annuos Canonicatus, & Mansionariarum Reditus aritmetica demonstratione. Dos, inquiunt, Canonicatus librarum est 11000., seu scutorum 2200., & consistit in Praedio valoris librarum 2039., ac pro reliqua summa in tot Domibus. Ducto autem respectu Praedii calculo ad taxam legalem scutorum quatuor in singula centum, & scutorum duorum quoad Domos, annuus emergit Reditus scut. 51. 24., ex quibus detracta Missarum eleemosyna, aliisque oneribus, vix reliqua sunt Canonico scuta 13., & obol. 76. Eademque calculandi ratione annuum cujusque Mansionariae Reditum statuunt in scutis triginta, seu detractis oneribus, in scutis 14. 40.

Atque hinc concludunt, quòd attenta hujusmodi Redituum insufficientia pro decenti Mansionariorum, & Canonici manutentione, necessaria sit tertiae Mansionariae suppressio ad formam Transactionis, ita ut justa concurrat com-

commutandæ voluntatis causa, *Barbos. de Offic.*, *& potest. Episc.*, *part.* 3. *alleg.* 66. *num.* 15. *Farg. de Jurepatr. part.* 5. *can.* 9. *cas.* 1. *num.* 19., *Ceccoper. elucubrat. Can. lib.* 3. *tit.* 3. *num.* 65., *Amostaz. de Caus. Piis cap.* 14. *num.* 32., & *Sac. hæc Congregatio in Clusina Commutationis Beneficii* 31. *Julii* 1751. Neque supplendum esse, ajunt, ex reliquis hereditariis Bonis, propterea quod Dotes Canonicatus, & Mansionariarum assignatæ sunt *taxative*, in certa scilicet summa librarum 11000. pro Canonicatu, & librarum 5000. pro qualibet Mansionaria, *Benedict. XIV. de Synod. Diœces. lib.* 13. *cap. ult. num.* 32., *& Sac. Congregatio in Nepesina Reductionis Missarum* 15. *Februarii* 1772..

Quo vero ad secundum Rescriptum, reiicere conantur Oratores in erigenda Beneficia onus expensarum Transactionis ad levandam benemeritam Testatoris Viduam. Quanti autem facienda sint, quæ fusiori calamo dicturi erunt, assueta maturitate Eminentissimi Patres dijudicabunt. Prætereundum tamen non est, quod posita etiam asserta Redituum tenuitate, præmatura forsan censeri debet tertiæ Mansionariæ suppressio donec non constiterit, nullos esse Sacerdotes, qui tenues optent Præbendas, quodque agit Vidua de lucro captando, dum expensarum Transactionis onus recusat.

Respondere igitur dignentur Eminentissimi Patres ad primum, & secundum Dubium =

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

ALEXANDRINA. Sacerdos Stephanus Joseph Chiodi hæredem instituit anno 1749. Animam suam, mandavitque erectionem simplicis Beneficii in Parochiali Ecclesia S. Laurentii Oppidi Gamalerii, quod sua primum nominatione detulit Bernardino Rescia ejus ex Sorore nepoti, deindeque a reliquis Sororum Descendentibus masculis, & fæminis ex ordine conferri voluit. Hæc autem Beneficiato imposuit onera. Quotidianum Sacrum cum manuali eleemosyna solidorum 13., & denariorum 4. monetæ Pedemontanæ, seu *julii unius cum triente* monetæ Romanæ. Constructio Sacelli sub invocatione Sancti Stephani, ejusque dotatio. Ac tot ex reliquis Reditibus Defunctorum Officia, in quibus solemnem canere deberet Missam Archipresbyter Loci cum solita eleemosyna; *Sess.* 25. *cap.* 4. *de Reform.*

na; ceterique interessentes Presbyteri Sacrum cum manuali.

Post diuturnam hujusce voluntatis executionem duo nunc Sacerdos Rescia postulat, mercedem nempe laborum, quos tot annorum spatio in recta Bonorum Beneficii administratione, & in aedificatione Cappellae impendit, ac reductionem Missarum ad taxam perpetuae. Utrique Instantiae favet Episcopus. Oratoris diligentiam in curandis Beneficii Bonis commendat, ac aequitati consonum censet, aliquam ei = *pro laboribns, incommodis, & impensis factis compensationem tribuere, Fundatoris avunculi mentem benigne interpretando, qui si futuros eventus praevidere potuisset, pie credendum est, aequius Beneficiario Nepoti, eique vel maxime fortunae Bonis parum instructo fuisse consulturum* = Quid in hanc causam decerni posset, exemplo ostendit Villici. cui in ea Regione annua praestantur Frumenti modia duodecim, quae valorem scutorum quatuor attingunt; sed minorem arbitratur taxandam esse summam = *quia tot annorum decursu Orator ejusmodi compensationem, ut ut aequam pro multiplicatis Fundatoris Animae, cura & labore suo, suffagiis, sibi assignari nusquam antea petiit* =.

Quo vero ad reductionem Missarum, aequum pariter dicit = *Beneficiarium, aliis gravatum oneribus, nec nisi cum impendio in Beneficii possessionem immissum, aliquid amplius ex ejusdem Beneficii fructibus sibi sumere, quam simplicem, seu manualem Missae stipem, qualem alter quivis Sacerdos vel ex Legato, vel ex Fidelium oblatione perciperet* = Similes fecisse affirmat Missarum reductiones ad taxam perpetuae juliorum duorum ex quinquennali Indulto San. Mem. Clementis XIII., ac liquidata Redituum Beneficii summa, realibus detractis oneribus in annuis libris 329., seu scutis 65., & ob. 80., concludit, quod = *posita moderatione, quam Orator postulat, superessent Missae* 329. *circiter quotannis pro Fundatoris Anima celebrandae* =.

Petitae laborum compensationi exploratissima resistit *Juris* dispositio. Comparatur enim Beneficiatus usufructuario, *Cap. Praesenti* 9. *de Offic. Ordinar.*, & *Cap. Si quis* 6. *de Pecul. Cleric.*, ejusque instar administrare tenetur Beneficii Bona absque mercede, *Lotter. de Re Benefic. lib.* 1. *quaest.* 3. *num.* 12. Si proprii ergo Beneficii Bona Sacerdos Rescia curavit, suo quidem muneri satisfecit, nec quicquam pro impensis laboribus consequi debet.

Neque Oratoris cura, & solicitudo pro constructione Sacelli,

li, ejusque instructione, & dotatione compensationem merentur. Hæc namque onera infixa fuerunt Beneficio, ejusque partem ex voluntate Testatoris constituebant. Dum ea igitur per acceptationem Beneficii assumpsit Orator, jam ex ipsa Beneficii possessione congruam habuit compensationem, nec aliam pro illorum adimplemento consequi debet mercedem, *Rot. post Zacch. de Salar. dec.* 1. *num.* 16., *& seq.* Maxime, quia suæ forsan obligationis conscius, diuturno *triginta* annorum spatio tacuit, nilque unquam pro administratione postulavit. Quanti siquidem facienda sit hujusmodi observantia dispositioni Juris consentanea, opportune docent *Abb. in Cap. Auditis num.* 15. *de Præscript.*, *Gratian. discept.* 546. *num.* 48., *Valent. de Re Eccles. discept.* 2. *num.* 53.

Missarum quoque reductioni expressa adversatur Testatoris voluntas. Illarum enim numerum, ac eleemosynam statuit; neque imminuti sunt Beneficii fructus, unde justa de causa reducantur, *Monacell. Formul. legal.* 19. *tit.* 20. *part.* 1. *num.* 25., *& Sac. hæc Congregatio in Senogallien. Reductionis* 10. *Maii* 1783. Perpetuitas Legati eleemosynam exigeret ad taxam perpetuæ juxta notissima Urbani VIII., & Innocentii XII. Decreta, & Concilium Romanum Benedicti XIII., sed ejus obstat acceptatio, & longæva *triginta* annorum executio, *Sac. Congregatio in Anagnina Reductionis Missarum* 9. *Aprilis* 1783.

Recte tamen Episcopus monet, nullos pene esse Sacerdotes, qui Sacrum pro simplici manuali celebrare, ac Defunctorum Officium recitare velint: Hæc sunt ejus verba = *Ex eo, quod superfuit, curavit* (Orator) *ab aliis Sacerdotibus Missas celebrari, & a Parocho Officia, Missasque de Requiem decantari, quibus ipse quidem interfuit cum quibusdam Laicis, ut plurimum pueris, ipsius hortatu convenientibus, raro tamen Loci Presbyteri, quos frustra Testator sibi blanditus est, sola proposita Missæ stipe ad hujusmodi supererogationis opus pro Festis diebus explendum properaturos* =.

Duo igitur ab EE. Vestris queruntur,

I. *An, a quo tempore, & in qua summa sit locus compensationi in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

PLACENTINA JUBILATIONIS. Post exactum quadragenarium servitium Chori, jubilationis indultum postulat Comes Christopharus Nicelli Placentinæ Cathedra- *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.*

dra-

dralis Canonicus annorum 70. Continuum affirmat Episcopus diurnum ejus servitium, non ita tamen nocturnum. Ducto enim punctaturarum calculo, ad trigesimum quartum ascendunt numerum in singulos annos. His non obstantibus fallentiis, libenter petitæ jubilationi assentitur Capitulum, ingenueque fatetur Episcopus = *Gratiæ largitionem admodum gratam, & mihi futuram. Nam præterquamquod Orator ante annum* 1746. *huic Ecclesiæ tanquam Coadjutor per quinquennium absque ulla fallentia laudabiliter deservivit diu noctuque, Vir est optimis moribus præditus, veraque pietate, religione, atque integritate præfulgens* =.

Etsi *Sac. Concilium Tridentinum Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reformat.* improbare videatur Canonicorum exemptiones a Chorali servitio, eas tamen tolerandas esse rescripsit Gregorius XIII. in Causa *Compostellana* post servitium quadragenarium, juxta *Cap. unic. de Cleric. non residentibus in sexto*, ab eoque tempore Sac. hæc Congregatio jubilationis indultum concedere consuevit, ut *in Civitatis Castellanæ* 20. *Septembris* 1766. At continuo deficiente servitio, non negavit modo, sed concessum etiam indultum rescidit, ut *in Constantien.* 4. *Maii* 1737.

Juxta constantem hanc Sac. Congregationis praxim, concedenda non esset jubilatio Oratori, qui sæpe in nocturno servitio defecit. Ex pluribus tamen EE. Vestrarum indulgentiam mereri videtur. Nocturnæ siquidem ejus fallentiæ a quinquennali compensantur servitio, quod diu noctuque ante annum 1746. tanquam Coadjutor præstitit. Non raro enim Sac. hæc Congregatio jubilationis indultum per conjunctionem temporum concessit. Ita *in Bergomen. Jubilationis proposita die* 4. *Julii*, & *resoluta die* 8. *Augusti* 1716. *lib. Decretorum* 66., & *in Asten. Jubilationis* 26. *Augusti* 1780. Consensus accedit Capituli, qui proniorem reddidit Sac. Congregationem ad concedendam jubilationis gratiam *in Civitatis Plebis Jubilationis* 23. *Novembris* 1782. Senilis insuper Oratoris ætas, optimique ejus mores. Ac enixa tandem Episcopi vota, quæ plurimi Sac. Congregatio in gravioribus etiam negotiis facere consuevit, ac præsertim *in Panormitana* relata *in Folio diei* 23. *Martii*, ac resoluta *die* 27. *Aprilis* 1765.

Dubium est

An sit concedendum indultum jubilationis in casu &c.

Die

Die Sabbathi 18. Augusti 1787. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

PRiores tres sequentes Causæ ex præcedenti superfuerunt Folio. *Sess.22. cap. 6. Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

BONONIEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Ad I., & II. In Decisis.

ALEXANDRINA. *Sess. 25. cap.4. de Reform.*

I. *An, a quo tempore, & in qua summa sit locus compensationi in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Ad I. Negativè in omnibus.

Ad II. Affirmativè ad Taxam perpetuæ.

PLACENTINA JUBILATIONIS. *Sess.24.cap.12. de Reform.*

An sit concedendum Indultum jubilationis in casu &c.

Affirmativè.

Sess. 14. *cap.* 2., & 7. *Sess.* 21. *cap.* 2. *Sess.* 23. *cap.* 14. *de Ref.*

VISEN. DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE. Relata fuit Causa ista in Folio diei 11. Septembris 1784. sub Dubio = *An sit locus dispensationi in casu &c.* = prodiitque in sequenti Congregatione Rescriptum = *Negative* = Triennio elapso, Romam Orator venit, iterumque EE. Vestras rogat pro dispensatione. Tres sunt irregularitatis, & suspensionis, de quibus agitur, causae. Pugnavit Orator in bello: Sacerdotium per saltum, omisso Subdiaconatu, & Diaconatu, ementitisque sui Ordinarii Litteris suscepit: Idque absque Patrimonio Sacro. Quid de tribus hisce criminibus Canonica disponant Jura, fuse lateque refert Folium 11. Septembris 1784. Constanti tamen animo in novissimis Precibus sub promissione solemnis juramenti affirmat Orator, nunquam se Sacrum celebrasse, quod absque inexcusabili obreptionis vitio asserere non posset, Sacroque Patrimonio provisum esse, de quo testatur etiam Episcopus.

Ex prima dumtaxat causa inducta est irregularitas, quum inverisimile sit, pugnantem in bello neminem occidisse, vel mutilasse: ex reliquis suspensio. In simplicem profecto suspensionem incidit promotus ad Sacros Ordines per saltum, dummodo non celebraverit Sacra, ut nunquam celebrasse asserit Orator, *Sacrum Concil. Triden. Sess.* 23. *cap.* 14. *de Reform.* In suspensionem ordinatus cum falsis Ordinari Litteris, *Sess.* 14. *cap.* 2. In suspensionem ordinatus absque Patrimonio Sacro, *Sess.* 21. *cap.* 2. Missis igitur, quae respectu ad suspensionem in praeterito Folio notantur. benignè EE. Vestrae quoad irregularitatem advertere dignentur, novem ab assumpto Sacerdotio elapsos esse annos: non dubia resipiscentiae signa Oratorem dedisse: Sanctuaria Urbis peregrinatum esse; ipsumque pro eo Episcopum in tertiis Testimonialibus in haec verba orare = *super qua* (dispensatione) *Nos etiam Sacram hanc Concilii Congregationem oramus, & enixe supplicamus* = Similem aliis, qui bella gesserunt, dispensationem indulsit Sacra Congregatio *in Zagabrien. Dispensationis super irregularitate* 7. *Novembris* 1685. *lib.* 35. *Decretor. pag.* 451. & *in Salisburgen. Irregularitatis* 14. *Maii* 1689. *lib.* 39. *Decret. pag.* 161. Eamdemque indulgentiam in diversis irregularitatibus post diuturnam poenitentiam adhibuit *in Senogallien. Irregularitatis* 18. *Junii* 1785., ad effusas praesertim Episcopi preces, ut *in Consentina Irregularitatis* 20. *Martii elapsi anni*. Re-

Resumpto igitur Folio 11. Septembris 1784., dignentur Emi Patres decernere
An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Expectet.

FIRMANA ERECTIONIS. Ad praecidendas lites, quae diu multumque inter Collegiatas Ecclesias S. Donati, ac SS. Petri, & Pauli Montis Ulmi, earumque Parochos maximo cum scandalo fuerant, de uno alteri uniendo Capitulo deliberarunt Capitulares, initamque *Sanctissimus Dominus Noster* Concordiam labente anno 1778. *Motu proprio* confirmavit. Hae autem praecipuae fuerunt unionis leges. Qui Parochus, seu Archipresbyter erat S. Donati, factus est Praepositus, ac prima Dignitas Sanctorum Petri, & Pauli cum integra Animarum cura, & onere retinendi = *ultra proprios Coadjutores, quos pro exercitio Curae hujusmodi de praesenti habet, alium Prebsyterum, Vicarium nuncupandum, ab Ordinario Loci prius examinandum, & ad hujusmodi Curam exercendam approbandum* = eique hac de causa addicta fuit = = *la Casa, o Case Parochiali de' SS. Pietro, e Paolo con Orto, ed altri Comunali annessi* = nec non = *annua scuta viginti supra alios Beneficiatos* = ac tandem = = *le Decime tutte, Funerali, ed altri soliti incerti appartenenti alla Chiesa, e Capitolo de' SS. Pietro, e Paolo* = Parochus vero SS. Petri, & Pauli, qui Praeposituram obtinuerat, secundam Archidiaconatus Dignitatem sine Cura occupavit. Proprii utrique relicti fuerunt Reditus per haec verba = = *Il Signor Preposto Rioli da denominarsi Arcidiacono debba rimanere nel suo pieno possesso di quanto gli viene assegnato nelle Bolle di erezione, e Coadjutoria, e lo stesso s'intenda de i Beni spettanti al Signor Arciprete* =. *Sess. 21. cap. 4. & Sess. 24. cap. 15. de Reform.*

In exequutionem igitur Pontificii *Motus proprii* omnia Archiepiscopus per decretum Sacrae Visitationis delevit Parochialia signa, omnesque Parochiales functiones in Ecclesia S. Donati interdixit, jamque optata pax sub uno Parocho restituta videbatur. Quum primùm vero ad Praeposituram ascendit Sacerdos Nicolaus Barba, queri apud EE. Vestras ceperunt Oppidani, quod Coadjutorum numerum in *Motu proprio* praefinitum non retineret, vixque unius quandoque, & alterius Canonici opera uteretur. Contrarium tamen Firmanus retulit Antistes di-

die 7. Septembris elapsi anni, conclusitque = *nihil esse, quod rectam Animarum curam dedeceat, quodque idcirco ullam provisionem reposcat* = Proponi debuisset Causa in hoc Sacro Consessu ex Rescripto diei 9. ejusdem mensis = *Ponatur in Folio, ac disputetur Dubium* = *An Coadjutores Præpositi possint esse Canonici Chori servitio addicti* = Sed ea usque adhuc suspensa, gravior cum Præposito orta est controversia.

Ad deponendum Coadjutorum onus, *Sanctissimum* rogavit, ut binas erigere dignaretur perpetuas Vicarias, alteram per suppressionem Canonicatus de suo Jurepatronatu in Ecclesia Sancti Donati, & alteram in Ecclesia Sancti Augustini per suppressionem Capellaniæ erectæ in suburbana Ecclesia Sanctæ Mariæ *del Paradiso* de Jurepatronatu Communitatis. Instantiam, audito Archiepiscopo, ad Sacram hanc Congregationem remisit Emus Pro-Datarius *pro voto*. Hæc vero Archiepiscopus, inauditis contra mandata interesse habentibus, post mensem ab altera Informatione, ad Sac. Congregationem data, die scilicet 26. Octobris, ad Emum Pro-Datarium retulerat. Advertisse, ajebat, in Sacra Visitatione = *con mio rincrescimento, che per gli accennati motivi non erano le Anime assistite a sufficienza* = neque per erectionem suburbanæ Parochiæ in Ecclesia S. Mariæ *di Pagigliano* amotum fuisse = *il preciso bisogno, che tutt' ora vi è di maggiori provvedimenti* = Valde idcirco Vicariarum erectionem commendabat, nullique per suppressionem Canonicatus, & Capellaniæ præjudicium irrogari arbitrabatur. Alter enim ad ipsum pertinet Oratorem = *e non si fa alcun danno al Capitolo colla soppressione di questo Canonicato; poiche vi rimangono ventisette Soggetti al servizio del Coro* =, & altera cum majori Communitatis decore in perpetuam erigeretur Vicariam = *giacche la nomina ad una Vicaria Curata è più valutabile di quella di una semplice Cappellania* =.

Pro erigenda Vicaria S. Donati sufficientes dicebat Reditus Canonicatus in annua summa scutorum 150. = *uniti agli emolumenti minori di Stola* = levique immutatione adimpleri per Vicarium posse, quæ Canonico incumbunt. Audire tenetur Canonicus Sacramentales Confessiones, ac hebdomadales celebrare Missas quinque, comprehensis diebus Festis, Sanctorum præsertim Philippi Nerii, & Donati, cum anniversario Fundatoris die. Quoad celebrationem igitur Missarum proponebat = *o sostituire*

die-

[diebus Festis] *la Messa Parochiale, o differirne la celebrazione ad altro giorno susseguente* =. Reliqua enim onera commode etiam Vicarius adimplere potest. Quo vero ad Vicariam S. Augustini, satis pro Congrua Vicarii esse autumabat Capellaniae fructus in annuis scutis 70.; cum aliis scutis 30. a Praeposito oblatis = *e ciò, che può risultare dagli emolumenti della Stola* = nullamque esse, si celebrationis locum excipias, immutationem onerum. Ad bina Cappellanus tenetur hebdomadalia Sacra, alterum Feria tertia, & alterum die Sabbathi. Haec Vicarius quoque S. Augustini celebrare posset; quum diebus tantum Festis offerre debeat Parochus Missam pro Populo. Atque hinc concludebat Archiepiscopus = *assicuro in Domino l' E. V., che non v'è altro mezzo, e rimedio per riparare al disordine spirituale di quelle Anime, se non se la progettata erezione delle due Vicariæ* = Pro praetensa itaque Vicariarum erectione certat Praepositus, acriterque ei obsistunt Communitas, & Capitulum Montis Ulmi, licet nondum eorum alterum jura sua deduxerit.

Quemadmodum uniri valent Parochiae ex necessitate, *Cap. Exposuisti de Præben.*, ita ex eadem causa dissolvi, ut aliae erigantur, *Cap. Ad audientiam* .3 *de Eccles. ædifican.* Potissima autem erectionis Vicariarum ratio in angustia constituitur Ecclesiae SS. Petri, & Pauli, in qua Periti Geometrae judicio vix ex quatuor mille Parochianis stare possunt recti 1890., ac genibus innixi nongenti. Cogitatum quidem fuit de ea amplianda; sed prae gravi scutorum septem millium sumptu, de quo accuratè retulit Architectus Capituli, neglectum est Opus. Aliter ergo spirituali Parochianorum bono ex sententia Archiepiscopi consuli nequit, quam per erectionem Vicariarum. Eam autem faciendam esse contendit Praepositus per suppressionem Canonicatus, & Capellaniae, nec quicquam aliud ultra annuam summam scutorum 30. detrahi posse ex fructibus Praepositurae, qui testimonio Archiepiscopi, tum certi, cum incerti, annua non excedunt scuta 197.

Maximam rei difficultatem ingerit interesse habentium dissensus. Ad eam igitur solvendam haec Praepositus habet. Nulli, inquit, per suppressionem Canonicatus infertur praejudicium, quum de suo sit Jurepatronatu, & ad quinquennium vacet ex Rescripto *Sanctissimi*, ut ejus fructus pro aedificio Ecclesiae cumulentur. Decrescit quidem Canonicorum numerus; sed reliqui sunt pro Chorali servitio viginti septem: Intacta vero erunt illius onera = *non so-*

solo per rapporto all' obbligo di confessare, cui di ragione saranno tenuti li Vicarj, ma ache in ordine alli pesi di cinque Messe per Settimana, che il Testatore prescrisse = ut per hæc verba monet Archiepiscopus.

Neque per suppressionem Capellaniæ detrimentum ullum Communitati. Honorificentius enim habebit Juspatronatus perpetuæ Vicariæ, cui ampliores etiam erunt Reditus. Levis autem onerum immutatio, quam proponit Archiepiscopus. Si utriusque ergo Beneficii suppressio nullum affert interesse habentibus damnum, ac utilis contra est universo Populo, jam in sensu Præpositi irrationabilis est illorum contradictio, eorumque consensus ab EE. VV. suppleri potest, *Cap. Ad audientiam in fin. de Eccles. ædifican.*, *Barbos. de Potest. Episc. part.* 3. *allegat.*83. *num.*6., *Lotter. de Re Benefic. lib.*1. *quæst.*28. *numer.*10. Maxime, quia præsumpta accedit Fundatorum voluntas. Facile enim, si viverent, necessariæ eorum voluntatis commutationi in præmissis circumstantiis assentirentur, *Cap. Pervenit de Jurepatr.*, & *Clement. Quia contingit de Religios. Domib.*, *Amost. de Caus. Piis lib.* 1. *cap.*14. *num.*12. Plura tandem addit Præpositus de suorum Redituum tenuitate, ut ampliandæ Ecclesiæ onus a se abiiciat.

Animadversione tamen digna sunt, quæ ad impediendam Vicariarum erectionem Communitas deducit, ac deducere potest Capitulum. Præ omnibus miratur Communitas, quod eadem ipsa SS. Petri, & Pauli Ecclesia, quam utrique Parochi, & Capitulares transigentes ad universum excipiendum Populum idoneam censuerunt, talis amplius non sit post paucos annos a Paræciarum unione. Reque vera nil Archiepiscopus de illius angustia ad Sacram hanc Congregationem retulit die 7. Septembris elapsi anni, licet opportuna esset occasio, expressisque verbis testatus fuit = *nihil esse, quod rectam Animarum curam dedeceat, quodque idcirco ullam povisionem reposcat* = Non immerito insuper advertit, unam e duabus, ad removendam litium, dissentionum, & scandali causam, constitutam fuisse Parochiam; non duas modo, sed tres, & si altera addatur S. Mariæ *di Pacigliano*, quatuor vix pacatis animis constitui velle.

Talis de cetero non est angustia Ecclesiæ SS. Petri, & Pauli, ut petitam Vicariarum erectionem suadeat. Commode siquidem in ea, Geometræ judicio, stare possunt = *in ginocchio Persone novecento circa* = Angusta autem di-

sì

el nequit Ecclesia, quæ quartam fere capit Populi partem, quum non omnes ibi eodem tempore conveniant. Aliæ profectò in Oppido Montis Ulmi frequentantur Ecclesiæ, ac illa præsertim S. Donati, in qua, ut plures deponunt Testes = *ogni giorno festivo da due Sacerdoti ivi addetti si tiene occupato il Popolo per buona parte della mattina in molte opere di pietà, e segnatamente nella spiegazione del Vangelo* = Et hac de causa Ecclesia SS. Petri, & Pauli in qualibet etiam extraordinaria solemnitate dimidio vacua esse consuevit, ut aliorum testimonio probat Communitas. At posita etiam illius angustia, haud inde tamen sequitur, quod dividenda sit Parochia, quum= *per novam ædificationem, aut ampliationem Ecclesiæ possit his difficultatibus occurri* = ut monet *Lotter. de Re Benefic. lib.* 1. *quæst.* 28. *num.* 29. *& seqq.*

Facillima autem esset d. Ecclesiæ ampliatio, si fieret, juxta Populi vota, in eadem Area, ut referunt Periti Architecti, & ichnographica pandit eorum descriptio, neque opus esset, ut publica etiam ad mentem Præpositi occuparetur Platea. Nec multum fortasse, si credendum est assertioni Communitatis, laborandum pro necessario sumptu. Existit vacui Canonicatus cumulus. Scuta 300. offert Jacobus Costa: Redundantes ejus Reditus per annos quindecim despondit Societas SS. Sacramenti, & scuta quingenta Societas SS. Salvatoris, pluraque ex conventione inita cum ejus Decessore habet Præpositus Cæmenta, ultra summam scutorum 160.ª, quam consequutus per concordiam fuit anno 1780. ab ejus hæreditate.

Licet vero justa concurreret erigendarum Vicariorum causa, fieri tamen deberet erectio, non per suppressionem Canonicatus, & Capellaniæ, sed ex fructibus Præposituræ, ut disponit *Alexander III. in Cap. Ad audientiam de Eccles. ædifican.*, & *Sac. Concilium Tridentin. Sess.* 21. *cap.* 4. *de Reform.* Reipsa enim fructus isti annuam attingunt summam scutorum 700. Num vero utriusque Parœciæ S. Donati, & SS. Petri, & Pauli Bona in uno coaluerint Præposito, exploratum non est. Juxta unionis Bullam assumere debuissent Parochi primas Capituli Dignitates cum respectivis eorum Reditibus. Periti autem, qui de Præposituræ fructibus retulerunt, Bonorum unionem supponunt.

Ex his concludit Communitas, vel nullam esse erectionis Vicariarum necessitatem, vel eam ex fructibus Præposi-

tu-

turæ fieri debere. Ab omni præterea Jure alienam dicit Canonicatus, & Capellaniæ suppressionem absque consensu, immo cum aperto interesse habentium dissensu. Statim quoad Canonicatum pro legitimo haberi non debet consensus Præpositi. Derivant Canonicatus unitæ Ecclesiæ S. Donati a Capellaniis in ea erectis a Donato Orsetti, quarum collatio pertinebat ad illius Plebanum, cujus jura translata sunt in Præpositum, reservato Concapellanis, nunc Canonicis jure collativo, quatenus intra mensem non nominasset. Pro hoc igitur Concanonicorum interesse, ipsorum etiam requireretur consensus *Laurenn. in Jus Canon. quæst.* 922., & 954. *tom.* 3.

Valdeque urget universi Capituli dissensus; nam expresse prohibet *Sacrum Concilium Tridentinum Sess.* 24. *cap.* 15. *de Reform.*, ne fiant in Capitulo absque ejus consensu suppressiones, *Leurenn. in Jus Canon. quæst.* 970. *num.* 1. *tom.* 3. Nec sine ratione dissentit. Quo major enim est Canonicorum numerus, eo levius est singulorum servitium. Potissimum, quia jus ad integrum Canonicorum numerum quæsivit ex contractu, auctoritate Apostolica confirmato, qui absque ejus consensu dissolvi non potest *Text. in Leg. Sicut Cod. de Act. & obligat.*

Quo vero ad Capellaniam de Jurepatronatu Communitatis, exploratissimum Communitas deducit Canonici Juris interdictum, ne Beneficia de Jurepatronatu Laicorum, iis dissentientibus supprimantur, *Sac. Conc. Trident. Sess.* 24. *cap.* 15., *Rigant. ad Regul. Cancell.* 22. *num.* 49. *tom.* 2., & *Piton. de controv. Patron. allegat.* 47. *n.* 45. Ac duplicem præ ceteris affert proprii dissensus rationem, alteram scilicet, quod per suppressionem Capellaniæ decresceret contra intentionem Fundatoris cultus B. M. Virginis *del Paradiso*, & alteram, quod per erectionem perpetuæ Vicariæ Curatæ libertatem amitteret nominandi simplices Clericos, ut pauperioribus succurrat Familiis. Eligi namque deberet Vicarius per examen, *Barbos. de Episcop. allegat.* 60. *num.* 19. *part.* 3.

Quatenus tamen erectionem Vicariarum demandare placeat, ex se ipsis decernere poterunt Eminentissimi Patres, num modus ab Archiepiscopo propositus moderationem aliquam mereatur. Præ cæteris tamen permittenda potius videretur Vicario S. Donati ferialibus diebus Sacrorum celebratio, quæ ex fundatione Canonicatus fieri debet diebus Festis, quam Missæ Parochialis applicatio. Nimis enim

enim sollicita est Ecclesia de festivo Parochi Sacrificio pro Populo.

Quaeritur itaque.

An sit consulendum Sanctissimo pro Gratia suppressionis vacantis Canonicatus, & Capellaniae, & respectivae erectionis duarum Vicariarum in casu &c.

Negativè in omnibus, & amplius; nec non ad mentem. Mens est, quod Archiepiscopus cogat Praepositum Barba ad redditionem rationis cum interventu Deputatorum interesse habentium.

DERTHONEN. TRANSACTIONIS. Ob scissa EE. Patrum suffragia resolutum non fuit in Congregatione diei 10. Septembris 1785. originarium hujus Causae Dubium = *An sit sustinenda Transactio, seu conventio inita de anno* 1769. *in casu &c.* = Sed in repropositione diei 20. Maii elapsi anni prodiit Rescriptum = *Affirmativè* = Iterum nunc ad instantiam Sacerdotis Bartholomaei Cavalli Archipresbyteri S. Caloceri examini sublicitur Causa.

Sess. 6. cap. 4. de Reform. sess. 25. cap. 13. de Regular., & *cap. 6. de Reform.*

Impensis hic viribus Transactionem impugnat ex defectu consensus, utilitatis, & causae. Defecisse ait consensum Cleri, idque satis esse ad irritandum contractum Parochi, *Clement. 6. de Reb. Eccles. alienan. vel non*, & *Cap. Tua de his, quae fiunt a Praelat.*, *Leurenn. Jus Canon. lib.* 3. *tit.* 10. *tom.* 3. *eodem tit.*. Laesam insuper autumat Ecclesiam S. Caloceri, eo quod praeter facultatem benedicendi Fontem die Sabbathi Pentecostes, & administrandi Sacramenta secularibus Regularium Famulis, reliqua omnia Parochialia jura, & Functiones privative addictae fuerunt Sacerdoti Petro Antonio Robotti Archipresbytero S. Joannis Baptistae. Laesiva enim est Transactio, per quam plus uni, quam alteri tribuitur, *Card. de Luc. de Paroch. discurs.* 26. *n.* 4., *& seqq.*.

Enixe demum suadere nititur, transigendi causam erroneam fuisse. Observantia siquidem, ex qua universa sibi Parochialia vindicabat jura, supposita fuit corruptela, utpote contraria Provincialibus, ac Dioecesanis Legibus, quae potissima jura benedicendi Fontem, distribuendi Oleum Sacrum, & antepulsandi Campanas in Sabbato Majoris Hebdomadae, addicunt Matrici, qualis est Ecclesia S. Joannis Baptistae. Hoc, inquit, suppositum erroneum

est; quum Ecclesia illa impropria polleat matricitate, ac memoratae Leges, quae inter impropriam, & propriam non distingunt Matricem, intelligendae sint de propria, cui dumtaxat competit illorum jurium privativa, ut de benedictione Fontis est. *Gloss. in Clement.* 1. *vers. Deputati de Baptism.*; *Ursaya discept.* 13. *num.* 14. *tom.* 5. *part.* 2., *Franc. de Eccles. Cathedral. cap.* 15. *num.* 168. Impropria enim Matricitas subjectionem non inducit, *Pignatell. consult.* 109. *nu.* 2. *tom.* 9., & *Rot. in Cassanen. Jurium Parochialium*, & *Praeeminentiarum* 6. *Junii* 1707. §. *Et licet coram Caffarellio*. Plures hinc annosos producit Testes, qui de auditu etiam ab eorum Majoribus affirmant, universas semper Parochiales Functiones in Ecclesia S. Caloceri factas fuisse, ac sub ipsorum fide immemorabilem jactat, legitimamque observantiam, qua posita, finalis corruit Transactionis causa.

Sedulo autem ponderanda sunt, quae summatim Archipresbyter Robotti ex praeteritis suis scriptis innuit. Res porro est de Concordia ad supprimendas lites inita, ac per Decretum Episcopi confirmata. De Concordia rursus, cui pacifica triennalis observantia, ac duplex Bobiensis Delegati, & Metropolitani Sententia majorem vim addiderunt. Ac de Concordia tandem, quae justae causae innixa est, minimeque dubiam praeseferre videtur aequitatem. Ambo siquidem Archipresbyteri litigantes fassi fuerant in Synodis, Visitationibus, & Regestris, jus distribuendi Sacrum Oleum, benedicendi Fontem, & antepulsandi Campanas competere Ecclesiae S. Joannis. Hujus tamen Ecclesiae Archipresbyter cessit alteri S. Caloceri nedum facultatem benedicendi Fontem in Sabbatho Pentecostes, & administrandi Sacramenta Famulis Regularium, sed alteram etiam induendi Pluvialem in Congregationibus Synodalibus.

Singillatim deinde probat Robottus privativam distribuendi Sacrum Oleum ex circularibus Episcopi Litteris; nec non benedicendi Fontem in utroque Sabbatho Sancto ex Plebana Ecclesiae S. Joannis Baptistae qualitate, Conciliisque Provincialibus; antepulsandi Campanas ex majori ipsius Ecclesiae Dignitate, seu impropria matricitate. Negat postremo, finalem Concordiae causam fuisse illegitimam Archipresbyteri Cavalli observantiam, quum principalis illius finis fuerit gliscentium litium compositio. Satis de cetero non videntur ad probandam Immemorabilem observantiam extrajudiciales Testes ab Archipresbytero Cavalli producti, in concursu praesertim Sy-

Synodi, Visitationum, & circularium Litterarum Episcopi, ex quibus contrarium liquet.
Respondere igitur dignentur EE. Vestræ.
An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In Decisis, & amplius.

FAVENTINA EMPHYTEUSIS. Balthassar Carnevali, tanquam Rector Beneficii erecti ad Altare S. Antonii de Padua in Parochiali Ecclesia S. Joannis Baptistæ Terræ Fusignani, concessit anno 1675. ad tertiam generationem masculinam, & fæmininam Ioanni Albani pro annuo canone scutorum sex Prædium nuncupatum *il Predazzo* tornaturarum sexdecim, quod præ sterilitate, ac inundantibus vicini Lacus aquis, vix erat valoris scutorum centum, annuosque reddebat fructus trium scutorum, aut quatuor. Concessionem probavit san. mem. Clemens X. sub lege = *ut finita, & quomodolibet deficiente tertia generatione hujusmodi, prædictum Terræ petium cum suis membris, juribus, & pertinentiis universis, nec non melioramentis, desuper pro tempore quomodolibet factis, ad d. Altare, seu Beneficium pleno jure, atque omnino libere revertatur, illique cedat absque eo quod renovatio concessionis hujusmodi a quoquam sub quovis prætextu, seu ex quacumque causa peti, vel prætendi possit.* *Sess.25 cap.11. de Reform.*

Extincta anno 1707. Descendentia Joannis Albani, investituram sine Beneplacito Apostolico renovavit Rector Bartholomeus Randi favore Josephi Rasponi pro annuo canone scutorum novem, eamque nuper sub reservatione Beneplaciti Apostolici in perpetuam immutavit anno 1783. hodiernus Rector Jo. Gajani favore Raphaelis, & Obitii Rasponi pro annuo canone scutorum quindecim. At pænitentia ductus, nullam apud EE. Vestras utramque investituram dixit, ejusque instantiæ Faventinus favet Episcopus per hæc verba = *Agit, ut mihi videtur, solidis adeo rationibus, ut pro rescissione, & nullitate investituræ anni* 1707., *& Instrumenti* 1783. *ex hactenus hinc inde deductis, & attentis Juris, factique particularibus circumstantiis luculentissime ab Oratore expositis*

stitis, *standum esse*, & *a Principis Sacratissimi providentia*, *atque EE. VV. benignitate summa*, *Oratoris etiam conscientiæ consulendum esse juxta petita minime dubitem* = Sub primo igitur ex infrascriptis *Dubiis* quæritur de nullitate investituræ anni 1707., ac fructuum restitutione. De approbatione perpetuæ investituræ anni 1783 in secundo.

Ad protuendam investituram anni 1707., expressam urgent Rasponii limitationem *Extravagantis Ambitiosæ de Reb. Eccl. non alienan.*, in qua universæ Bonorum Ecclesiæ alienationes sine Beneplacito Apostolico prohibentur = *præterquam de Rebus*, *& Bonis in Emphyteusim ab antiquo concedi solitis* = quam limitationem exornant *Piton. discept. Ecclesiast.* 131. *num.*23., & *Fulgin. de Contract. emphyteut. quæst.*9. *num.*1. Solitum autem concedendi Prædium *il Predazzo* in emphyteusim ad tertiam generationem desumit ex solemni investitura anni 1675. favore Joannis Albani. Quamvis enim ad constituendum hujusmodi solitum duæ saltem requirantur emphyteuticæ concessiones per quadraginta annos observatæ, *Petra ad Constit. Ambitiosæ sect.*2. *num.*52., *&* 53. *tom.* 5., hoc tamen procedit in minus solemnibus investituris; Nam una omnino sufficit, si cum Beneplacito Apostolico expleta fuerit, *Card. de Luc. de Emphyt. disc.* 53. *sub num.* 7. §. *Hinc proinde*, *Fulgin. de Contr. emphyt. quæst.* 9. *num.*2., *Piton. discept. Eccles.*153. *num.*2.

Admittunt Rasponii nullitatem secundæ investituræ, quæ Beneplacito careat Apostolico, & a prima in substantialibus discrepet, juxta receptissimam sententiam *Petræ in cit. sect.*2. *num.*54., *Turricell. de Reb. Eccles. non alien. cap.*15. *num.* 18., & *seqq.*, *& Rot. in Romana Manutentionis* 22. *Martii* 1776. §. 9. *in fin. coram Emo Hertzan*. Si quæ tamen in secunda ipsorum investitura anni 1707. immutatio fuit primæ, favorem, inquiunt, respicit Beneficii, ut augmentum canonis a scutis sex ad novem, & assumptio communitativorum onerum, magisque contractus validitatem confirmat, *Fulgin. de Contract. emphyt. quæst.*9. *num.*5., *Mascard. de Probat. concl.*75. *num.*9. Neque eos turbat amplissima illa Clementis X. prohibitio renovandi primævam investituram. Octogenariam enim opponunt observantiam, aliudque ex ea Apostolicum Beneplacitum præsumunt.

Transeunt post hæc ad secundam primi Dubii partem, nullamque sibi esse contendunt obligationem restituendi fructus, tum quia bona possederunt fide Prædium in emphy-

emphyteusim concedi solitum, *Text. in Leg. Bonæ* 48. *ff. de acquir. rer. domin.*; tum quia eos fere omnes ex propriis perceperunt meliorarnentis, *Monoch. de recuperan. possess. Remed.* 15. *num.* 610., & *seq.*, *Molin. de Contract. disp.* 455. *in fin.*, At posita etiam restituendi obligatione, non immerito forsan *ex Jure* addunt, dimetiendam esse hujusmodi restitutionem, non ab anno 1707., quo expleta fuit investitura, sed ab anno 1760., quo Rector Gajani actor Beneficium obtinuit, ad effectum tamen compensandi cum melioramentis; *Ricc. in Prax. Archiep. tit. de Reb. Eccles. non alien. dec.* 18., *Fulgin. de Contr. Emphyt. quæst.* 22. *num.* 4.

Quoad secundum *Dubium* vero, permissam dicunt Rasponii perpetuam Bonorum Ecclesiæ emphyteusim *in §. Licentiam Auth. de alienat.*, *& Emphyteut.*, justoque canone expletam fuisse illam anni 1783., quum annua summa scutorum 15. medietatem excedat ejus, quod ob illorum melioramenta additum est antiquo Prædii Reditui, ut sequendo normam *§. Licentiam*, per comparationem antiqui, & moderni Prædii demonstrant. *Clementinam* autem Legem devolutionis melioramentorum ad Beneficium, de parvis tantum, non de insignibus intelligunt melioramentis, ad tradita per *Pacion. de Locat. cap.* 34. *§.* 2. *num.* 15., & *seq. Card. de Luc. de Emphyt. disc.* 31. *num.* 4., *& Rot. in Bononien. Devolutionis* 28. *Junii* 1776. *§. fin. cor. R.mo Origo.*, pluribusque insignia controversi Prædii melioramenta demonstrant.

His omnibus Rector Gajani urgentissima opponit argumenta. Nullam dicit investituram anni 1707. ob substantialem primævæ investituræ immutationem. Data siquidem fuit investitura anni 1675. = *Joanni Albani ad tertiam generationem* = illa vero anno 1707. = *Josepho de Rasponibus*, *ejusque Filiis &c. usque ad IPSIUS tertiam generationem* = Una ergo ampliata fuit generatio, quum juxta distinctionem *Bartol. in Auth. Si quas ruinas Cod. de Sacros. Eccles.*, generationes incipiunt a primo Acquirente, ubi indefinitis adjectæ sunt verbis; ab ejus Filiis vero, si a relativa illa pendeant dictione = *ipsius* = Ita *Fulgin. de Contract. Emphyt. quest.* 2. *num.* 1., *Ferrar. Biblioth. Canon. verb. Emphyteusis art.* 1. *num.* 54. & *seq.*, & *Rot. in Melevitana Associationis* 12. *Martii currentis Anni §.* 7. *cor. Despuig.*

Hujusmodi autem generationum ampliatio substantiam tangit Contractus, ejusque nullitatem inducit, *Fulgin. de var. caducit. quæst.* 1. *num.* 48., *Pacion. de Locat. cap.* 14.

§. 4.

§. 4. num. 18. Neque sustineri posse videtur investitura anni 1707. ad utilem usque generationem Nepotum primi Acquirentis, rejecta inutili. Regula siquidem = *utile per inutile non vitiatur* = locum non habet in emphyteusi cum substantiali pactorum immutatione renovata. Hæc namque, ut tradit *Petra ad Constit. Ambitiosæ sect.* 1. *num.* 55., *& seq. tom.* 5., in totum corrumpitur, & vitiatur. Quin prodesse Rasponibus valeat præsumptum Apostolicum Beneplacitum. Ad hanc enim inducendam præsumptionem completissima requiritur centenaria, *Petra ad Const. S. Leonis Magni incipien. Occasio sect.* 1. *num.* 58. *tom.* 1. Plura hinc addit Rector de restitutione fructuum. Sed in casu etiam nullitatis investituræ anni 1707. fortasse in id EE. VV. indulgentiam merentur Rasponii ob bonam fidem, qua investituram Prædii locari soliti absque Beneplacito Apostolico acceperunt. Facile eam porro validam credere potuerunt, dum formali opus est articuli discussione, ut rescindatur.

Præ ceteris tandem notandum est quoad secundum *Dubium*, quod Prædium *il Predazzo* non nudum, & sterile, ut in prima concessione, sed erat anno 1783. = *arativo, vitato* = & in hoc statu, quicquid dicant Rasponii, ex amplissima *Clementina Lege* ad Beneficium reverti debuisset. Nec valide ergo in perpetuam concedi poterat emphyteusim, nec ulla esse videtur ratio, cur talis approbetur Contractus. Nunquam enim perpetua Bonorum Ecclesiæ emphyteusis conceditur, nisi de re agatur sterili, vel facilis diminutionis fructuum, & magna sit illius utilitas, ut monet *Petra ad Constit. Ambitiosæ sect.* 1. *num.* 20. *tom.* 5.

Hæc duo igitur ab EE. Vestris quæruntur.

I. *An constet de nullitate investituræ anni* 1707., *ita ut sint restituendi fructus ab eodem anno in casu &c.*

II. *An sit concedendum Beneplacitum Apostolicum pro approbatione perpetuæ investituræ in casu &c.*

Ad I. Neminem esse molestandum pro Investitura Anni 1707. jam expirata in tertia generatione.

Ad II. Negativè, & amplius.

BRI-

BRICTINORIEN. Actum primum sub tribus *Dubiis* de hac Causa fuit in Congregatione *diei* 14. *Decembris* 1782., sed indecisa remansit per Rescriptum = *Dilata*, *& ad mentem* = & mens fuit, ut plura Episcopo Ariminensi disquirenda committerentur *juxta Votum R.P.D. Secretarii*. Quarto deinde addito *Dubio*, quaesitum fuit in Congregatione *diei* 26. *Novembris* 1785., I. *An sustineantur Litterae Apostolicae* = II. *An, & in qua summa sit assignanda Congrua Archipresbitero* = III. *An, & cujus sumptibus faciendae sint reaptationes, nec non Sacrae supellectiles in Parochiali Ecclesia S. Donati, tam de tempore praesenti, quam de futuro* = IV. *An sit locus approbationi Concordiae inter Mensam Episcopalem Brictinorii, & Parochianos Polentae in Casu &c.* = iterumque dilatum fuit judicium ad sequentem Congregationem diei 10. Decembris, in qua haec prodierunt Rescripta. Ad I. *Affirmativè*. Ad II. *Affirmativè in annuis scutis* 17. *ab Episcopo praestandis*. Ad III. *Quoad restaurationem Ecclesiae pro tempore praeterito spectare ad Episcopum, quo vero ad futurum, ordinarias spectare ad Parochum, extraordinarias ad Episcopum; Et quoad Sacras supellectiles, tam pro tempore praeterito, quam pro futuro spectare ad Parochum*. Ad IV. *Negativè*, *& amplius*. Huic non acquiescens judicio Promotor Fiscalis Curiae Brictinorii, super tribus prioribus novum tentat suorum Jurium experimentum. *Sess. 7. cap. 7., & Sess. 24. cap. 23. de Reform.*

Frustra quaerit Promotor Fiscalis = *An sit standum, vel recedendum à Decisis quoad primum Dubium*, juxta ejus vota resolutum, dum resolutioni Archipresbiter Calandri acquiescit. Quo verò ad *secundum*, contra relationem Episcopi Ariminensis consuetudinem impugnat taxandi Fructus quorumcumque Bonorum in universa Provincia Romandiola ad rationem scutorum trium, cumulatisque plena manu *Sacrae Rotae Decisionibus*, diversam in ea Provincia probat consuetudinem juxta Taxam legalem. Observari tamen decet, quod Ariminensis Antistes de priori testatur consuetudine = *demptis expensis*, *& parte Colonica* = de quibus cum nulla habeatur ratio in allegatis *Decisionibus*, inapplicabilis fortasse erit earum auctoritas. Urget rursus, in Congruam conferri etiam debere Incerta Stolae, & Altaris ex notissima *Constitut. ad Exequendam S. Pii V.* Ultra tamen ea, quae in id prostant *in Foliis* 14. *Decembris* 1782., & 26. *Novembris* 1785., Curiae Episcopali communis *Doctorum*, & *Sacrae hujus Congregationis*

obstat

obstat distinctio, quod scilicet in Congruam imputentur incerta Emolumenta, quæ moralem habent certitudinem, non autem eventualia, quæ a Sacramentorum administratione obveniunt, quæque dependent à labore personali, ut sunt eleemosynæ Altaris, & Funerum, *Benedict. XIV. quæst. Canon.*255. *§. Fundamenta vers. finem, Barbosa Jur. Ecclesiast. lib.*3. *cap.*6. *num.*43., *Piringh. in Jus Canonic. tit.* 5. *de præben. sect.* 1. *num.*44. *tom.*3., *& Sac. hæc Congregatio in Assisien. Congruæ* 9. *Septembris* 1786., *resoluta die* 3. *Februarii currentis Anni.*

Ad tertium quod attinet, animadvertit Promotor Fiscalis, Ædificiorum restaurationes tùm præteritas, cùm futuras, tam ordinarias, quam extraordinarias Archipresbitero Milandri incumbere. Quoad præteritas enim, quum putaverit Ariminensis Antistes, processisse damna eorum culpa = *qui postremis hisce Annis manutentionis onus ferentes, illudque negligentes passi sunt, deteriorationes in dies magis augeri* = hinc desumit, Archipresbiterum Milandri alterum ex Rectoribus fuisse, *qui postremis hisce Annis*, & Paræciam retinuit, & restaurationem neglexit. Quo vero ad futuras, hujusmodi onere Rectores, Bonorum Ecclesiæ Reditus percipientes, gravari sustinet *ex reg. Text. in cap.* 1., *&* 4. *de Eccles. Ædifican.*, *& S. Concil. Tridentin. Sess.* 21. *cap.* 7. *de Reformat.* Sedulo tamen notandum erit, quod in generica Episcopi Ariminensis relatione nulla fit mentio de Archipresbitero Milandri; ita ut culpa neglectæ restaurationis, quin ad precedentes potius Rectores, ad eum necessario sit referenda. Utrum verò futuris, & extraordinariis etiam restaurationibus Rector Milandri, qui excepta Congrua, nil aliud consequitur ex Ecclesiæ Reditibus, gravari debeat, resumptis præcitatis *Foliis diei* 14. *Decembris* 1782., & 26. *Novembris* 1785., assueta EE. Vestræ maturitate judicabunt.

Dubium est. *An sit standum, vel recedendum à Decisis sub die* 10. *Decembris quoad primum, secundum, & tertium Dubium in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

PAR-

PARMEN. JUBILATIONIS. Antonius Boscoli Parmensis Cathedralis Canonicus annorum 60., quadragenario expleto servitio, jubilationis indultum ab hac Sacra Congregatione postulavit. Instantiam in sua Relatione Episcopus, in eorum animadversionibus Canonici reprobarunt, prodiitque die 9. Septembris elapsi anni 1786 Rescriptum = *Ponatur in Folio, præfixo termino Capitulo ad deducendum jura sua in Sac. Congregatione, præsertim super qualitate, & modo præstandi chorale servitium* = A judiciali tamen abhorrens contentione, declaravit Capitulum = *d'eseguire quanto dalla Sagra Congregatione verrà sù tale affare stabilito, e decretato* = ideoque necesse est, ut Causa ex officio proponatur. *Sess. 24. cap. 12. de Reform.*

Hæc Episcopus, cui adhærebant Canonici, retulerat; chorale scilicet Parmensis Cathedralis servitium nullius esse laboris = *immo jucundissime absolvi* = Vix enim Canonici = *nudam, & simplicem corporalem præsentiam exhibent Missæ Conventuali, & Vesperis* = quarum alia est quotidiana, aliæ Festivæ; idque præstant = *quod agi, & præstari salet a quolibet simplici Fideli, qui se confert quotidie ad Ecclesiam, ut Missam audiat, & diebus Festis ad horas quoque vesperas intervenit* = Canonicos rursus = *si infirmitate quadam laborent, aut senectutis morbo Domi detineantur, iisdem emolumentis, & prærogativis perfrui, ac si personnaliter interessent* = ac nullum tandem esse exemplum = *alicui Canonico Parmensis Ecclesiæ unquam jubilationis beneficium concessum fuisse*.

Licet *Gregorius XIII.* rigorem temperaverit *Sacri Concilii Tridentini Sess. 24. cap. 12. de Reform.*, ac jubilationis indultum post quadragenarium Chori servitium permiserit, nunquam tamen Sacra hæc Congregatio Gratiam concessit, nisi assiduum, laboriosumque servitium, & grandæva concurreret ætas, ut *in Asten. Jubilationis 26. Augusti* 1780. Nedum vero, ex rationibus per Episcopum adductis, leve fuit quadragenarium Canonici Boscoli servitium, sed *jucundissimum*; ac tanta non est sexagenaria ejus ætas, ut immunis fiat a nuda, & simplici corporali præsentia Missæ Conventuali, & Vesperis, & ab iis pietatis actibus, qui *a quolibet simplici Fideli* fieri solent.

Negativa accedit Parmensis Capituli consuetudo de nunquam concesso alicui Canonico jubilationis indulto. In his sane terminis Gratiam denegavit Sacra Congregatio *die* 17. *Aprilis* 1666. Canonico Cathedralis Ecclesiæ Ci-

vitatis Castelli; *ut in lib. Decretor.* 25. *pag.* 107. Eam quidem concessit non obstante defectu consuetudinis, & consensus Capituli *in Acernen. Distributionum quotidianarum, & Jubilationis* 11. *Aprilis* 1739. In responsione *ad II. Dubium*; sed res erat de Canonico septuagenario ægroto, cui pravo animi affectu Capitulum contradicebat.

Quæritur ergo:

An sit concedendum Indultum jubilationis in casu &c.

Die Sabbathi 15. Septembris 1787. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

BRICTINORIEN.

An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 10. Decembris quoad primum, secundum, & tertium Dubium in casu &c.

Sess. 7. cap. 7., & Sess. 24. cap. 13. de Reform.

Ad I. II., & III. In decisis, & amplius.

PARMEN. JUBILATIONIS.

An sit concedendum Indultum jubilationis in casu &c.

Sess. 24. cap. 12. de Reform.

Affirmativè.

FERRARIEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM. Duo in Testamento, tria in Codicillis anni 1632. dotalia subsidia scutorum 18., & ob 18. pro quolibet in singulos annos reliquit Canonicus Marcus Antonius Freguglia. Quatuor a Testatore descendentes, & hodierno Collatori conjunctæ Puellæ Sac. huic Congregationi supplica-

Sess. 22 cap. 6. de Reform.

runt pro Dotium cumulo. Actum hac de re die 26. Januarii 1782. sub Dubio = *An, & in qua summa sit locus præstationi Subsidiorum Dotalium* = prodiitque Rescriptum = *Affirmative, quoad Theresiam nempe, Mariannam, & Barbaram pro scutis tercentum pro unaquaque; Elisabeth vero supplicet suis loco, & tempore* = Potissima hujus diversitatis ratio fuit, quod priores tres Puellae grandiores essent ætate. Ad justam igitur Elisabeth perventa ætatem induendi religiosum Habitum inter Benedictinas Moniales S. Silvestri Ferrariæ, iterum EE. Vestrarum clementiam implorat pro cumulo scutorum 513., & ob. 63., scutorum nempe 363. 63. pro spirituali Dote, & scutorum 150. pro fundo Livelli.

Confirmat Emus Archiepiscopus quantitatem Dotis, & Livelli: Testatori conjunctam refert Oratricem in quinto gradu, eique Collatorem Dotium, cui proximior est, gratiam optare: Uno huic gratiæ impedimento esse tres alios demandatos cumulos, qui non prius, quam anno 1798. confecti erunt: Assentiri Moniales solutioni Dotis, & Livelli post eum annum, quatenus in id EE. Vestræ dispensationem indulgeant. Atque ex his concludit quod = *Cum Monasterium abundet Reditibus, & careat æquo Monialium numero, iniquum non videretur petitam gratiam concedere, addita quoad Livellum ea lege, quam EE. Vestræ humaniorem reputabunt pro indigentiis ejusdem Elisabeth Oratricis, cui interim consultum sit oportet, ab ipso Monasterio, antequam perveniat annus* 1798.

Subsidiorum Dotalium cumulum suadere videntur Oratricis paupertas; geminata ejus Testatori, & Collatori conjunctio; justa ad assumendum religiosum Habitum ætas; exemplum Aloysiæ Freguglia, cui Sa. Me. Clemens XIII. cumulum scutorum 600. ex iisdem dotalibus subsidiis concessit; ac recentior aliarum trium Consanguinearum exemplum. Sæpe enim Sacra hæc Congregatio hujusmodi cumulos ob præsumptam Testatoris voluntatem indulsit. Ita præ ceteris *in Ferrarien. Reductionis, & Subsidiorum Dotalium diei* 19. *Junii* 1717., in qua ad Dubium = *An, & pro qua summa Oratricibus sint assignanda Subsidia Dotalia, de quibus agitur, in casu &c.* = rescriptum fuit favore quatuor Puellarum de agnatione Testatoris pro decem annuis subsidiis pro qualibet, ut *ex lib. 67. Decretor. pag.* 249. Neque Ora-

tri-

trici forsan obest, quod dotalia subsidia, tribus illis Consanguineis novissime concessa, non excesserint summam scutorum 300. pro qualibet, longeque minora fuerint subsidio scutorum 513., quod pro spirituali Dote, & Livello Oratrix postulat. Hæc namque inter utrumque casum notari posset differentia, quod res esset in uno de tribus temporalibus Dotibus, de una in altero agitur spirituali Dote, quæ majorem semper indulgentiam promeruit.

Plurimi insuper facienda sunt enixa Collatoris vota. Facultatem enim habet a Testatore distribuendi pro ejus arbitrio annua hæc subsidia uni, vel pluribus Puellis. Qui hac sane pollet erga extraneas Puellas facultate, EE. Vestrarum indulgentiam pro Consanguinea mereri videtur. Præjudicio quidem est flagitatus cumulus extraneis Puellis a Testatore contemplatis; sed non raro Consanguinearum favore neglectum fuit incertum illarum interesse, ut in citatis Sacræ Congregationis Resolutionibus. Dubitari posset, num in eo Oratrix constituta sit consanguinitatis gradu, ut negligi ejus favore valeant extraneæ. In quinto enim est a Testatore. Hæc *in Veliterna Subsidiorum Dotalium* 8. *Junii* 1771. proponebatur distinctio. Vel de expressa agitur, vel de tacita Consanguinearum vocatione. In primo casu protrahitur consanguinitas ad decimum gradum; in altero, in quo versamur, ad quartum. Hac tamen neglecta distinctione, passim Sacra Congregatio ultra quartum consanguinitatis gradum indulgentiam adhibuit, ut *in Romana, seu Sabinen. Subsidii Dotalis diei* 24. *Aprilis* 1717., *de qua in lib.* 67. *Decretor. pag.* 149., *& in Romana, seu Sabinen. Subsidiorum Dotalium* 27. *Martii* 1762.

Hæc quoad cumulum subsidiorum. Quo vero ad solutionem spiritualis Dotis post annum 1798., obstat Decretum Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium in *Asculana* 16. *Januarii* 1730., de quo *Ferraris in Biblioth. verb. Moniales art.* 2. *num.* 24. Ejus namque virtute deponenda est Dos favore Monasterii ante professionem. Choralium tamen necessitas, ac Monasterii divitiæ, de quibus testatur Archiepiscopus, æquam in id reddunt dispensationem. His porro concurrentibus, admissæ quandoque ad professionem fuerunt Moniales absque Dote, ut de Conversis decrevit laudata Episcoporum, & Regularium Congregatio *die* 20. *Martii* 1594., teste

Fer-

Ferrar. in Biblioth. sub cit. verb. Moniales art.2. num.12.
Eademque necessitatis, ac opulentiæ Monasterii ratio suadet, ut investimentum pro Livello usque ad solutionem cumuli eidem Monasterio permittatur.

Deliberandum itaque proponitur.

I. *An, & in qua summa, & a quo tempore sit locus præstationi Subsidiorum Dotalium in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu &c.*

III. *An; & quomodo providendum sit quoad annuum Livellum in casu &c.*

Ad I. Affirmative pro cumulo Dotis in summa scutorum 363. 63. post expletum cumulum aliarum Dotium præcedenter promissarum.

Ad II. Affirmative:

Ad III. Negative.

Sess.21., & 22. utrobique cap.3. de Reform.

IMOLEN. DISTRIBUTIONUM. Relata fuit Causa ista in Folio 9. Maii 1772. sub quatuor Dubiis. I. *An, quomodo, & in qua quantitate Archidiaconus, & Archipresbyter Collegiatæ SS. Petronii, & Prosperi participare debeant de distributionibus quotidianis* = II. *An, & de quibus emolumentis Missarum, aliorumque Legatorum participare etiam debeant Archidiaconus, & Archipresbyter* = III. *An idem Archidiaconus, & Archipresbyter vocem activam, & passivam in Actibus Capitularibus factis, & faciendis habere debeant* = IV. *An extractio Canonici Verlicchi ad Beneficium simplex S. Francisci a Paula, facta exclusis Archidiacono, & Archipresbytero, sit valida, vel potius nulla* =. Hæc autem in sequenti Congregatione diei 30. ejusdem mensis prodierunt Rescripta. Ad primum = *Iterum proponatur* = Ad secundum = *Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem* = quod referret nempe, an Missarum, & Legatorum emolumenta ex Capitulari, & communi, vel ex alia desumerentur Massa: an inter præsentes fieret illorum distributio: a quibus eorumdem Legatorum onera adimplerentur: & an ulla post erectum Archidiaconatum, & Archipresbyteratum relicta essent Legata. Ad tertium = *Negative quoad* ea

ea, *quæ respiciunt Massam Capitularem*, *in reliquis affirmative* = Ad quartum = *Dilata*, *&* *reproponatur*, *citato etiam Sacerdote Brignani* = qui Beneficium ob assertam extractionis nullitatem a Dataria impetraverat.

Iis omnibus per Episcopum expositis, quæ *secundum* respiciebant *Dubium*, ac vocato quoad *quartum* impetratore Brignani, reproposita fuit Causa die 8. Maii seq. anni 1773., quinto superaddito Dubio = *An supplicationes favore Brignani signatæ*, *& præsentatæ sint relaxandæ* = rescripsitque Sacra Congregatio ad primum = *Affirmative*, *& participare debere juxta ratam*, *quam conferunt* = Ad secundum = *Negative juxta votum Episcopi quoad Legata præexistentia ante erectionem Collegiatæ* = Ad tertium = *In decisis*, *& amplius* = Ad quartum = *Affirmative ad primam partem*, *negative ad secundam* = Ad quintum = *Negative* = Post diuturnum tresdecim annorum silentium impetrarunt Archidiaconus, & Archipresbyter ab Emo Carandini, jam Sacræ Congregationis a Secretis, licentiam redeundi quoad *primum*, *& secundum*, & ab R. P. D. Auditore SSmi quoad *tertium*, cum clausula *amplius* resolutum, acriterque modo pro recessu *a decisis* contendunt.

Quod attinet ad *primum* super quotidianis distributionibus: Parem vindicare conantur distributionum participationem ex *Jure*, ex *Lege Fundationis*, *&* *consuetudine*. Ex *Jure*, quia unum cum reliquis Canonicis constituunt corpus, idemque cum illis præstant servitium, cujus ratione quotidianæ debentur distributiones; *Text. in Cap. unic. de Cleric. non residen. in 6.*, *Card. de Luc. de Canonic. disc. 16. n. 6.*, *Panimoll. decis. 20. adnot. 3. n. 2.* Ex *Lege Fundationis*, quia utraque eorum Dignitas instituta fuit sub conditione, quod = *debbano*, *e possano partecipare de' frutti delle distribuzioni* = ac rursus = *siano ammessi alla partecipazione delle quotidiane distribuzioni* =. Quæ quidem lex diligenter servari debet per *Text. in Cap. 1.*, *&* *3. de Pact. in 6.*, *Piton. discept. Eccles. 25. n. 9.* Ex *consuetudine*, quia Sacra hæc Congregatio declaravit anno 1761. *in Imolen. Distributionum 30. Maii*, *&* *29. Augusti*, æquales Archidiaconum distributiones, ut usque tunc servatum fuerat, percipere debere, & quia semel deinde, & iterum fassi sunt in eorum Allegationibus Canonici coram A. C. Simonetto, & Emo Antamoro, dum in iisdem A. C. Subselliis meritissime sedebat, reipsa

Ar-

Archidiaconum, & Archipresbyterum quotidianas distributiones ex Massa communi ad annum usque 1770. lucratos fuisse.

Hanc insuper distributionum æqualitatem desumunt ex Litteris Apostolicis, quibus San. Mem. Benedictus XIV. unam e duabus Collegiatam SS. Petronii, & Prosperi erexit. Jussit siquidem Summus ille Pontifex, ut post expletam Capitularium reductionem ad designatum Præpositi, Prioris, duodecim Canonicorum, & octo Mansionariorum numerum, Archidiaconus, & Archipresbyter tertiam eorum Redituum partem, reliqui Capitulares dimidiam in usum distributionum conferrent, utque portiones istæ dividerentur = *inter interessentes juxta illorum, & cujuslibet illorum interessentiam proportionabiliter* =. Ita autem Archidiaconus, & Archipresbyter verbum illud *proportionabiliter* interpretantur, ut geometricam non inducat proportionem ad collatas Redituum partes, sed arithmeticam interessentiæ; nam = *illud proportionabiliter potest etiam ita accipi, ut attendatur qualitas Personarum, inter quas debent dividi distributiones &c. vel proportio interessentiæ* =, ut observat *Monet. de Distribut. quotid. part.2. quæst.4. sub num.5. vers. Licet vero*. Eoque magis interessentiæ proportionem servandam esse autumant, quia ipsorum alter scuta 150.; alter scuta 200. in communem Massam contulerunt, & quia participes asserunt Canonicos portionis, quam ipsi in usum distributionum dimittunt.

Gravia tamen sunt, quæ ad hæc reponunt Canonici. Archidiaconalis, inquiunt, & Archipresbyteralis Præbenda distincta est a Massa Capitulari, quum utraque peculiares habeat Fundos. Ideoque tertia Redituum pars, quæ in usum distributionum ex Præbendis illis detrahitur, vel ab ipsis Archidiacono, & Archipresbytero interessentibus absque aliorum Capitularium participatione lucratur, vel in pænam eorum negligentiæ, si Choro non intersint, *Fabricæ Ecclesiæ, aut alteri Pio Loco* applicari debet, ex dispositione *S. Concilii Tridentini Sess.22. cap.3. de Reform.* Reque vera ex depositione Ratiocinatoris Capituli, aliorumque Testium constat, ab anno 1769., quo expleta fuit Capitularium reductio, usque ad hæc tempora, neque Archidiaconum, & Archipresbyterum de distributionibus Massæ Capitularis, neque Canonicos de distributionibus Archidiaconalis, & Archipresbyteralis Prebendæ participasse.

Si

Si ergo distinctæ sunt hujusmodi Præbendæ a Massa Capitulari, earumque distributiones distinctæ, jam nulla esse videtur ratio, cur una cum altera confundi debeat distributionum Massa, ac par illis tribuatur portio, qui minus in distributiones conferunt, *Fagnan. in Cap. Quia nonnulli de Cleric. non residen. lib. 3. cap. 3. num. 21., & seqq.*, *Passerin. in Cap. Consuetudinem de Cleric. non residen. in 6. regul. 4. sub num. 87. tom. 2.*, *Garz. de Benefic. part.3, cap 2. num.464., & seq.*, *Monet. de distribut. quotid. part.3. quæst.6. num. 29.*. Merito hinc intelligendum esse ajunt Canonici de geometrica immissarum portionum proportione adverbium illud *proportionabiliter*, quo post *Sacrum Concilium Trident. Sess. 21. cap.3 de Reform.* usus est in Apostolicis suis Litteris Benedictus XIV. Hæc namque verior est Canonistarum sententia, justitiæ distributivæ innixa, de qua *Gallemart. ad d Sess.21. num.8. verb. proportionabiliter*, *Barbos. de Canonic., & Dignit. cap.21. num 25.*, *Pignatell. Consult. Canon. 134. tom.9. num 35.*

Lex, subdunt Canonici, de quotidianis lucrandis distributionibus, a Fundatoribus Archidiaconatus, & Archipresbyteratus dicta, neque a Clemente XII., qui suppressas S. Mariæ, & S. Jacobi Collegiatas erexit, neque a Benedicto XIV., qui unam SS. Petronii, & Prosperi Collegiatam instituit, probata fuit. Nec de cetero intelligenda est de distributionibus Massæ Capitularis, in qua Archidiaconus, & Archipresbyter partem non habent, sed de illis respectivæ eorum Præbendæ. Quæ vero Archidiaconus contulit scuta 150., & Archipresbyter scuta 200., non in Capitularem contulerunt Massam, sed alter = *per la spesa dell' erezione dell' insigne Collegiata di S. Giacomo* = alter = *per la spesa della nuova Bolla di unione dei due Capitoli* = Observantia tandem, cui uterque insistit, anterior fuit exequutioni Bullæ unionis. Capitularium enim reductio expleta fuit labente an. 1769. Ea vero, quæ gesta fuerunt in hac Sacra Congregatione, & coram A.C., vel epocham habent sequentis anni 1770., vel longe anteriorem anni 1761.

Transeunt Archidiaconus, & Archipresbyter ad *secundum Dubium*, ad emolumenta scilicet Missarum, & Legatorum; ac distinguentes inter Massam Capitularem, & Ecclesiæ, hanc unam destinatam dicunt pro illius servitio, quod æque ipsi, ac reliqui Canonici ad formam Bul-

læ unionis præstant. Iterumque hic urgent legem Fundationis eorum respectivæ Præbendæ, ac diuturnam dd. emolumentorum comparticipationem, de qua bini deposuerunt Sacerdotes anno 1771. At duplicis Massæ distinctio exclusa fuit in secunda informatione ab Episcopo, qui præ ceteris retulit = *emolumenta Missarum*, *& Legatorum non ex Massa distributionum*, *aut ex aliqua alia particulari*; *sed ex unica Massa Capitulari detrahi* =. Idque scatet etiam a Bulla unionis, in qua assignantur emolumenta illa pro dote Præpositurae, Canonicatuum, & Mansionariarum, exclusis Archidiacono, & Archipresbytero, qui distinctas habent Prebendas. Ea vero quoad legem fundationis, & consuetudinem recurrunt, quæ in primo Dubio dicta sunt.

Ad *tertium* denique advertendum est, quod licet in Bulla unionis tribuatur Archidiacono, & Archipresbytero vox activa, & passiva, commode tamen hæc referri valet ad actus, qui Capitularem non tangunt Massam, de qua illi non participant. Ita in simillimis fere terminis definivit Sacra Congregatio *in Tolentina Archipresbyteratus* 1. *Februarii* 1766., in qua ad III. Dubium = *An Archipresbyter possit intervenire*, *& habere suffragium in Capitulis*, *seu resolutionibus Capitularibus faciendis super dictis Bonis*, *& juribus* = respondit = *Negative*, *& amplius* =. Sedulamque animadversionem meretur, non controversas resolutiones ad IV., & V. Dubium præjudiciales esse tertio. Quærebatur enim in illis de nullitate extractionis Canonici Verlicchi ad Beneficium simplex S. Francisci a Paula, factæ absque interventu, & voto Archidiaconi, & Archipresbyteri, ac de relaxatione Litterarum Apostolicarum favore impetratoris Brignani; & quia jus nominandi privative pertinebat ad Capitulum, Sacra Congregatio in secunda propositione anni 1773. *Negative* ad utrumque respondit.

Quæritur itaque.

An sit standum, *vel recedendum a decisis quoad I.*, *II.*, *& III. Dubium in casu &c.*

Ad I. II., & III. In decisis, & amplius.

FERRA-

FERRARIEN. Romanus Boari legavit anno 1678. Joanni ejus Fratri Nemus pro omni, & toto eo, quod ab ipsius hereditate prætendere posset, jussitque sub caducitatis pæna, ut Legatum hoc infra mensem ab ejus obitu acceptum ferret. Filios, quos sperabat, masculos in reliquis omnibus Bonis, fæminas in illorum medietate heredes instituit. His deficientibus, natu majorem vocavit Joannis Filium, qui vigesimum quintum attigisset annum, eique ceteros illius Filios, & Descendentes, servata majoris ætatis prærogativa, substituit. Quædam suis, vel Fratris existentibus Filiis, plura in eorum defectum Pia Legata ex universa hereditate reliquit. *Sess.25. cap. 5. &11.deReform.*

Erigi ab ipsis mandavit intra triennium a suo obitu in Oratorio nuncupato *di Marrara* Sacellum Sanctissimæ Annuntiatæ, ubi singulis diebus Dominicis celebrari deberet Sacrum, vel novum in honorem Sanctissimæ Annuntiatæ, & S. Josephi Oratorium, si neque Sacellum illud, neque Sacrorum celebratio in existente Oratorii Madrariæ Sacello permitteretur; præcepitque, in casu quod nec etiam novum construi posset Oratorium, ut ejus dos cum eodem Sacrorum onere traderetur Capellano S. Nicolai *in Monasteriolo*. Iis vero deficientibus, hereditatem voluit sub perpetua administratione, deputavitque in administratores Angelum Cavallini, & Joannem Franciscum Algarotti, eorumque Filios, & Descendentes, quorum ultimo potestatem [fecit] nominandi alium Administratorem = *di buona vita, e fama, idoneo, e capace*.

In hoc postremo, qui jamdiu evenit, administrationis casu legem Administratoribus dedit, ut annuis pro eorum stipendio retentis scutis 40., reliquos omnes erogarent Reditus I. In construendo, & dotando SSmæ Annuntiatæ Sacello, vel Oratorio. II. In amplianda, cum casus exigeret, Parochiali Ecclesia Villæ S. Nicolai, seu = *un capo della medesima Chiesa di larghezza piedi dodici, cioè quella parte, ov' è sepolta sua Madre, e Fratello, e dove dice voler esser sepolto esso Signor Testatore* = III. in celebrationem Officii Defunctorum, Sacrorumque viginti =*Nella Chiesa di S. Nicolò ogni anno nel Mese di Maggio, o di Settembre* = IV. in perpetuam subministrationem = *di pane, vino, legna, e companatico a quelli RR. PP. Cappuccini, che per viaggio, o transito si fermeranno all' Ospizio di Marrara* = V. in annuam solutionem scutorum decem Capellano Ecclesiæ S. Nicolai pro duodecim Missis quolibet mense. Ac VI. tandem = *in maritar*

Donzelle, ed in altre Opere pie per l'Anima del detto Sig. Testatore.

Testatore absque Filiis defuncto, universam occupavit hereditatem Joannes ejus Frater, licet Filiis etiam destitutus, suaque auctoritate Cavallinum, & Algarottum administratione privavit. Alios hinc decedens nominavit administratores, Carolum nempe Masi ejus Medicum, & testamentarium testem, & Matthiam Manzali causidicum, & Notarium, qui ejus Testamentum rogavit. Administrationis cessionem a Masio extorsit Manzalius, sibique Ludovicum ejus filium in coadministratorem assumpsit. Animum deinde ad perpetuam hereditariorum Bonorum emphyteusim, quam vocant *Livellum*, convertit. Spe tamen frustratus sub cl. me. Cardinali Tarusio Ferrariensi Archiepiscopo, Sacram hanc adiit Congregationem anno 1698., Archiepiscopali Sede vacante, retulitque juxta mandata Vicarius Capitularis, majorem omnium esse illius oblationem ad formam transmissæ Peritiæ. Evecto interim ad Archiepiscopatum clar. mem. Cardinali Paulutio, rescripsit Sacra Congregatio sub die 30. Maii seq. anni 1699. = *Audiatur Eminentissimus Archiepiscopus* = qui tamen ad obitum usque a referendo abstinuit.

Animo non cecidit Manzalius, iterumque rei periculum fecit sub cl. mem. Cardinali de Verme illius successore, obtinuitque anno 1703. ab ejus Vicario Generali, Sacra inconsulta Congregatione, tamdiu flagitatum Livellum = *per se, suoi Figli, Discendenti in infinito, ed Eredi di qualsivoglia sorte* = pro annuo canone scutorum 180., ex quibus, detracta summa scutorum 40. pro administratione, & scutorum 30. pro nonnullis assertis creditis, & meliorationibus, eroganda erant reliqua scuta 110. in Pia Opera per Testatorem demandata. Hoc igitur emphyteutico titulo octogiuta annis retinuerunt Manzalii hereditaria Romani Boarii Bona, quorum Reditus, ut hodiernus refert Archiepiscopus = *prætergrediuntur annuam summam scutorum* 575. = Quum autem majori ex parte Pia Opera negligerent, interpellati fuerunt anno 1783. pro redditione rationis a Curia Archiepiscopali; reque, ut exposita est, cognita, ab EE. Vestris postularunt S. Nicolai, & Madrariæ Populi, ut rescissa investitura anni 1703. mandare dignarentur Archiepiscopo deputationem administratorum, qui voluntatem Romani Boarii exequerentur.

Omnia in sua informatione confirmat Archiepiscopus, arduum-

duumque censet = *emphyteusim, nullo modo, & jure Piis Operibus utilem, tueri posse* = & ita concludit = *si unquam judicabitur emphyteusis irrita, & inanis, meum consilium, ab EE. Vestrarum sapientia comprobandum, erit de eligendis duabus Personis a Romano Boari in Testamento præscriptis, qui Bona perpetuo administrent, sibique retenta ex Reditibus annua summa scutorum 40., quidquid reliquum erit in Piis Operibus, atque eleemosynis vertatur, juxta legem a Testatore traditam* = Ob diuturnam itaque contumaciam, in qua adhuc Ludovicus, & alii de Manzalis, hodierni Bonorum possessores persistunt, quærunt modo Parochi Madrariæ, & S. Nicolai suorum Parochianorum nomine de viribus emphyteusis, adimplemento Piorum Operum, restitutione fructuum, & a quibus faciendæ sint expensæ Litis.

Nullam dicunt investituram anni 1703 ob falsitatem tituli, ex quo illam Manzalius obtinuit, ob defectum scilicet legitimæ administrationis hereditatis Boari. Ejus namque deputatio in administratorem irrita fuit, tum quia facta a Joanne Boario, qui potestatem non habebat deputandi alios in locum Cavallini, & Algarotti contra expressam Fratris voluntatem, per *Text. in Cap. Nemo potest* 79. *de Regul. Jur. in sexto*; tum quia facta in Testamento, quod Manzalius ipse rogaverat, *Text. in Leg. Senatus Consulto* 3. *Cod. de his, qui sibi adscrib. in Testam.* At graviora sunt intrinseca vitia. Alienata fuerunt per contractum perpetuæ emphyteusis Bona in pios usus destinata absque Beneplacito Apostolico, quod valide fieri non poterat, *Antonell. de Regim. Eccles. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 15., *Laurenn. For. Eccles. lib.* 2. *tit.* 2. *quæst.* 156. *num.* 2. *tom.* 2., *Navar. de privil. miserabil. person. privil.* 130. *num.* 2. quodque magis est, alienata fuerunt ordinaria Archiepiscopi auctoritate postquam res delata erat ad Sacram hanc Congregationem, contra dispositionem *Text. in Cap. Studuisti* 2 *de Offic. Legat.* quem ibi exornat *Fagnan. num.* 1. *& seqq. lib.* 1. *Barbos. de Potest. Episc. part.* 3. *alleg* 93 *num.* 8., *Lauren. For. Eccles. lib.* 2. *tit.* 2. *quæst.* 125. *num.* 3. *tom.* 2.

Per concessionem rursus emphyteusis derogata quodammodo fuit Testatoris voluntas. Perpetuam enim demandavit nedum Piorum Operum, sed Bonorum etiam administrationem, ex qua uberior illorum Reditus fieret. Potestatem autem non habent Episcopi commutandi Defunctorum voluntates ad tradita per *Fagnan. in Cap. Nos quidem num.* 36. & 40. *de Testam. lib.* 3., *Monet, de* com-

commut. ultim. volunt. cap. 5. *num.* 144., sed adeundus est Summus Pontifex, *Amostaz. de Caus. Piis lib.* 1. *cap.* 14. *sub num.* 12., *Carpan. de Execut. Testam. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 5., & 15. Nedum praeterea Piis Operibus inutilis, sed valde etiam concessio illa exitiosa fuit. Constitutus fuit Canon pro Praediis rusticis ad rationem scutorum trium in singula centum, dum aequam semper censuit Sacra Rota =*in feracissimo Ferrariae Territorio taxam scutorum quinque in singula centum*= ut antiquioribus omissis Decisionibus, videre est *in Ferrarien. Pecuniaria super creditis* 30. *Martii* 1781. §. 16. *coram bon. mem. Ratta*, maximoque Piorum Operum damno habita fuit ratio aestimationis Bonorum in summa scutorum 7533. 18. 5., quam ipsemet Manzalius curaverat.

Quantum in statuendo canone parcus Manzalius fuit, tantum fuit in detractionibus liberalis. Annuam sibi tanquam administratori attribuit summam scutorum 40., licet Bonorum administratio per emphyteusim cessaret, ac una, minoris forsan incommodi, superesset Piorum Operum cura. Annua item detraxit scuta 30. pro fructibus scutorum 1262., quae in Praediorum meliorationes impendisse affirmabat, licet facta praesumeretur hujusmodi impensa ex fructibus Bonorum administratorum, de quibus rationem non reddiderat. Ac certam postremo detraxit summam scutorum 40. pro Cappuccinorum hospitio, pro quo vix annua scuta tria, aut quatuor impendere consuevit. Sub hisce perniciosis conditionibus stipulata fuit emphyteusis favore Manzalii, qui neque tanquam assertus administrator, super Bonis administratis contrahere poterat, *Text. in Leg.* 5. *ff. de auctorit. Tutor.*, & *Leg.* 34. *ff. de contrah. empt.*.

Unicum Manzaliis praesidium esse videtur in diuturna octoginta annorum observantia. Sedulo tamen notandum est, Beneplacitum Apostolicum in alienationibus Bonorum Ecclesiae, aut Pii Operis non praesumi, quam per completam centenariam. Maxime, quia ex ipso investiturae Instrumento apparet, initum fuisse contractum ordinaria Archiepiscopi auctoritate. *Cujuscumque enim temporis intervallum tanti non est, ut praesumamus id gestum, quod revera gestum minime fuisse demonstrat Instrumentum ipsum* = ut per haec verba monet *Rota in Romana Salviani super Nullitate Mandati Procurae* 25. *Junii* 1773. §. 6. *cor. Litta*.

Pertinent haec ad *primum* Dubium. Quo vero ad *secundum*; facil-

facillima erit ejus resolutio, si nullam EE. Vestrae investituram dijudicabunt. Pia enim Opera, quae per hujusmodi investituram adimpleta non sunt, ad observantiam revocari debent ad formam Testamenti Romani Boarii, idque committendum videtur Descendentibus Cavallini, & Algarotti, si qui sunt, vel aliis administratoribus per Archiepiscopum deputandis; quum Piarum omnium Caussarum executores sint Episcopi, *Text. in Cap. Tua nobis de Testam.*, *Sacr. Concilium Tridentinum sess.* 22. *cap.* 8. *de Reform.*, *& Rot. in Barchinonen. Causae Piae* 4. *Maii* 1742. §. 6. *cor. Nunez.*

A primo etiam Dubio pendet resolutio *tertii*. Ob malam enim fidem, qua emphyteusis contractus sine Apostolico Beneplacito, ac in manifestum Piorum Operum detrimentum initus fuit, Bonorum etiam fructus ab initio restitui debere videntur, *Turricell. de Reb. Eccles. non alienan. cap.* 27. §. 1. *num.* 8., *& Rot. in Romana, seu Asculana Nullitatis Contractus* 29. *Aprilis* 1771. §. 11. *coram Reverendissimo Origo*. Neque impugnare forsan poterunt hodierni Bonorum Possessores hereditariam primi acquirentis qualitatem. Sive ejus porro sint Filii, sive Nepotes, censentur haeredes, juxta novissimam Sacrae Rotae sententiam in *Firmana Detractionum* 11. *Martii* 1776. *coram Reverendissimo Origo*, *& in Ariminen. Fideicommissi Bandi de Bandis super cauthela Angeli* 10. *Martii* 1780. *coram Sentmanat*. Ad *quartum* denique sustinent Parochi, subeundas esse expensas litis ab hereditate Boari, seu a Piis Operibus, quorum jura tuentur. Æquum namque non est, ut illas de proprio subeant, qui nullum ex lite compendium habent, *Bellet. disquis. Cleric. de Clericor. debit.* §. 3. *num.* 40., *& seq. Antonell. de jur.*, *& oner. Clericor. lib.* 2. *part.* 6. *cap.* 12. *num.* 2.

Ad haec fortasse advertentes, iteratas Manzalii postularunt, & obtinuerunt dilationes, magisque praecisum a Parochis Madrariae, & S. Nicolai flagitarunt Mandatum Procurae, quod Parochianorum nomine exhibent. Contrarium vero Decretum passi cum facultate deducendi eorum jura in Sacra Congregatione, *non retardata propositione Causae*, iterum modo, ut aliam consequantur dilationem, de Personarum legitimatione agunt. Parochos pro Piis Operibus proprio nomine agere posse fatentur populari actione, sed hoc in Mandato Procurae notant, quod datum non sit proprio eorum nomine, sed

re-

respectivi ipsorum Gregis absque delegatione. Advertendum tamen est, legitimos Piorum Legatorum, quæ Parochialibus Ecclesiis, vel pauperibus Parochianis relicta sunt, administratores esse Parochos, ideoque illorum nomine in judicio stare posse, *Ceccoper. lucubr. canon. lib.* 3. *tit.* 12. *num.* 17., *Amostaz. de Caus. Piis lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 70., *& seq.*, *Crisp. Visit. Pastor. part.* 2. §. 13. *num.* 10.

Respondere igitur dignentur EE. Patres.

I. *An, & quomodo sustineatur Instrumentum emphyteusis, sive usus in casu &c.*

II. *An, & quomodo sint adimplenda Pia Opera ordinata a Romano Boari in casu &c.*

III. *An, & quomodo sit providendum quoad præteritum in casu &c.*

IV. *An, & cujus sumptu sint faciendæ expensæ præsentis litis favore Operis Pii in casu &c.*

Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative juxta votum Eminentissimi Archiepiscopi.

Ad III. Affirmative juxta liquidationem faciendam ab Eminentissimo Archiepiscopo.

Ad IV. Affirmative sumptibus Operis Pii.

Sess. 25. *cap.* 4. & 11. *de Reform.*

CAMERINEN. Beneficio simplici, in suburbana S. Felicis Martyris Camerini Ecclesia erecto, alia diversis temporibus unita fuerunt simplicia pariter tenuissimi Reditus Beneficia octo. Onus ei est annui Sacri, ac manutentionis Sacrarum Supellectilium. Hæc vero unitis Beneficiis incumbunt. Annuum quoque Sacrum Beneficio S. Blasii: menstruum Beneficio S. Apolloniæ: tot Sacra, quot Reditus, quinque aliis Beneficiis S. Mariæ Magdalenæ, S. Martini, S. Catharinæ SS. Joannis, Hieronymi, & Ansovini, & Sanctissimi Crucifixi; idque ex Decreto edito a Camerinensi Episcopo

vigo-

vigore facultatum Sacræ Congregationis anno 1707. Nullum octavo SS. Simonis, & Judæ Beneficio onus præ maxima Reditus tenuitate.

Reductionem ad annuas Missas decem novem ab hac Sacra Congregatione obtinuit anno 1659. Sacerdos Perotius Parozzi pro quatuor unitis Beneficiis S. Blasii, SS. Simonis, & Judæ, S. Appolloniæ, & S. Mariæ Magdalenæ; aliamque reductionem ad manualem impetravit anno 1706. Sacerdos Carolus Antonius Pizzicanti tum pro d. Beneficio S. Mariæ Magdalenæ, cum pro reliquis Beneficiis S. Catharinæ, S. Martini, SS. Joannis, Hieronymi, & Ansovini, & Sanctissimi Crucifixi. Sacerdos tandem Perfectus Perfetti Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii, hodiernus Beneficiorum possessor, duo a Sacra Congregatione postulavit anno 1781., facultatem scilicet alienandi inter se dissita illorum Prædiola ad effectum investiendi pretium in uno, vel pluribus unitis Prædiis, ac reductionem Missarum omnium ad certum annuum numerum, ne gravi cum incommodo investigare cogatur pretia Frugum, quæ ex Prædiis colliguntur, ut pro instanti quantitate celebret Sacra; prodiitque Rescriptum = *Episcopo pro informatione, & voto, prævia Edictorum affixione, & referat, num adsit occasio investiendi pretium in Bonis stabilibus cum evidenti utilitate Beneficii. Quo vero ad reductionem, interim servetur illa, quæ Canonico Pizzicanti fuit concessa.*

Utrique instantiæ favebat in prima informatione Episcopus. Sed iterum a Sacra Congregatione requisitus, ut transmitteret unionis, ac reductionum Decreta, & oblationes, utque referret de annuo Reditu, & oneribus cujusque Beneficii, omnia in secunda informatione adimplevit, resque ex posteriori Rescripto agenda erat in Folio. Variavit tamen Perfectus primam instanstantiam, ac facultatem petiit investiendi Prædiolorum pretium in tot Censibus, aut Cambiis cum Locis Piis, vel Comunitatibus Status Ecclesiastici, ejusque novæ petitioni pro Censibus annuendum censuit in tertia informatione Episcopus, eo quod = *investimentum in Censibus cum Locis Piis, vel Communitatibus Status Ecclesiastici æque tutum videtur, atque fructiferum, ac si in aliis Terrenis investiretur* = addiditque, parendo mandatis = *quod cum Beneficia prædicto non sint de Jurepatronatu alicujus Personæ,*

sed liberæ collationis, *nullus est*, *qui interesse habeat*, *aut habere possit in re*, *de qua agitur*; *unde & neminem audire potui* = Duo igitur sub infrascriptis Dubiis ab EE. Vestris quæruntur; num concedenda sit facultas alienandi Prædiola, de quibus agitur, & investiendi pretium in Cambiis, aut Censibus; & num sit locus reductioni Missarum.

Duo potissimum quoad alienationem Bonorum spectanda sunt, necessitas, & utilitas, *Petra ad Constit. Ambitiosæ per tot. de Reb. Eccles. non alienan. tom.* 5. Utrumque in nostro themate concurrit. Prædiola enim, quæ huc illuc Beneficium possidet, nec facile locari, nec eum reddere valent fructum, qui ex unico, vel pluribus unitis Prædiis consequi poterit. In his sane terminis alienationem permittit *Innocentius III. in Cap. Cum Apostolica* 7. *de his*, *quæ fiunt a. Prælat. sine consens. Capit.*, ac probant *Pignatell. consult.* 95. *num.* 35. *tom.* 6., *Schmier Jurispr. Canonica civil. lib.* 3. *tract.* 1. *part.* 2. *cap.* 4. *sect.* 3. §. 1., *Schmalzgrueber conf.* 91. §. 14., *Layman. lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 10. *num.* 3.

Tota igitur difficultas versatur circa investimentum pretii. Permitti quidem non debent Cambia, quum species sint mercaturæ, quæ Clericis, & Ecclesiæ interdicta est in *Cap. fin. de vit.*, *& honest. Clericor.*; quod exornant *de Graff. de effect. Clericat. effect.* 6. *num.* 1., & *Card. de Luc. de Camb. disc.* 18. *num.* 4. Census vero, licet æquiparentur stabilibus, eorumque nomine veniant, *Cenc. de Cens. quæst.* 30. *num.* 6., *Barbos. de Episcop. alleg.* 95. *num.* 45. *Card. de Luc. de Cens. disc.* 17. *num.* 2., idoneum tamen pro Beneficio non videntur investimentum quod juxta *Decreta de celebratione Missarum*, auctoritate Urbani VII. impressa anno 1625., fieri debet = *in Bona stabilia fructifera vera*, *non autem ficta*, *ut sunt Census* = ut per hæc verba monet *Card. de Luc. ad Sac. Conc. Trident. disc.* 21. *num.* 9.

Maxime, quia faciendum est pro celebratione Missarum, quibus singula fere Beneficia gravantur. Sæpe enim vetuit Sacra Congregatio hujusmodi investimenta in Censibus, qui pluribus de causis deficere possunt. *In Fundana* 28. *Februarii* 1654. *tom.* 19. *Decretor. pag.* 319. *a terg.* per modum Legis statuit = *Census non reputari Bona stabilia ad effectum investiendi pro celebratione Missarum* = Et *in Firmana Oneris Missarum* 23. *Junii* 1764., licet

licet Testator jussisset = *che i suoi Nipoti debbano mettere a Censo scudi* 500. *presso idonea Persona ad effetto, che colli frutti di quelli si mantenga un Cappellano, che celebri ogni giorno* = proposito tamen Dubio = *An*, *&c quomodo Fundus Capellaniæ quotidianæ sit constituendus in Bonis stabilibus valoris scutorum* 500., *sive in Censibus in Casu &c.* = Sacra Congregatio respondit = *Affirmative, & constituendum esse Fundum Capellaniæ in Bonis stabilibus* = Neque urget, quod fundi Beneficiorum S. Apolloniæ, & S. Mariæ Magdalenæ, ac in parte etiam fundi Beneficiorum S. Felicis, SS̃mi Crucifixi, & SS. Joannis, Hieronymi, & Ansovini consistant in Censibus. Aliud enim est jam existentes pro fundis Beneficiorum servare Census, aliud de novo creare.

Annuit quandoque pro investimento in Censibus; sed hoc fecit ob defectum alterius investimenti, ut *in Neapolitana* 3. *Augusti* 1658. *lib. Decret*, 21. *pag.* 337. *a terg.*, ac idonea etiam præscripta fidejussione, ut *in Tarentina* 8. *Augusti* 1671. *lib. Decret.* 27. *pag.* 174. In casu autem nostro non constat de præsenti Stabilium defectu, neque necessitas urget, ut statim vendantur Prædiola, quæ idonei Beneficiorum fundi ab immemorabili tempore fuerunt.

Quo vero ad constitutionem certi Missarum numeri, verum omnino non est incommodum investigandi pretia rerum, quæ ex Prædiolis colliguntur, ad dimetiendam manualem. Prædiola enim illa certum quodammodo, juxta notulam ab Episcopo transmissam, habent Reditum. Nulla ergo videtur ratio, cur post iteratas Missarum reductiones annorum 1659., & 1706., tertio nunc ad certum numerum reducantur. Maxime, quia major, vel minor illorum numerus a futuro pendet investimento, de quo in primo Dubio. Quatenus tamen EE. Vestræ indulgere velint Oratori, noscant oportet ex prædicta notula cujusque Beneficii Reditus, ut Missarum numerum taxare valeant. *Beneficium S. Felicis* annuum reddit scutum unum, & ob.50, Alterum S. Apolloniæ sc.3. Tertium S. M. Magdalenæ obolos 96. *Quartum* S. Blasii obolos 50. *Quintum* SS. Simonis, & Judæ ob.20. *Sextum* S. Martini scuta 3. 20. *Septimum* S. Catharinæ scuta 2. 50., ex quibus detrahendi sunt ob.96. pro fructibus passivi Census in sorte scutorum 24., impositi anno 1783. de licentia Sacræ Congregationis, & scutum unum, quod singulis annis deponitur pro illius extinctione. *Octavum* SS̃mi Crucifixi scuta 2. 13. 3. Et

Nonum SS. Joannis, Hieronymi, & Ansovini scuta 3. 11. 1.

Dubia sunt.

I. *An concedenda sit facultas alienandi Prædiola, de quibus agitur, & quomodo investiendum sit eorum pretium in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Non proposita cum sequentibus.

Sess. 22. Decret. de observan., & evit. in celebrat. Miss. & Sess. 24. cap. 12. de Reform.

URBEVETANA. Ex pluribus Capellanis, qui in Cathedrali erant Urbevetana Ecclesia, duodecim anno 1498. Beneficiatos constituit Cardinalis Valentinus Apostolicæ Sedis Legatus. Pluribus injunctis Sacris, & Anniversariis, participes eos voluit communis Massæ, ex cumulo fructuum suppressarum Capellaniarum confectæ, quæ nomen illis dedit *Beneficiatorum de Massa*. Jamdiu singulis Sabbathis in honorem Beatæ Mariæ Virginis, quæ dicitur *de S. Britio*, canebatur Missa, quæ in antiquissimis Constitutionibus Capituli, anno 1332. ab Episcopo Tramo evulgatis, conventualis nuncupatur, ac pro conventuali habendam esse præcipitur. Hanc igitur Missam ab erectione Beneficiorum celebrarunt Beneficiati; sed eam semper sub conditione applicarunt, quatenus nempe pro Benefactoribus celebrari deberet, ut iterum anno 1727. Episcopus Elisei decrevit.

Ad sedandos conscientiæ stimulos, ab EE. Vestris quærunt hodierni Beneficiati, num ultra communem Missam conventualem, eam quoque, quam in honorem B. Mariæ Virginis canunt, pro Benefactoribus applicare teneantur. Hodiernus Emus Episcopus neque liberæ applicationi obesse censet Constitutiones anni 1332., eo quod = *ab aliis fortasse Presbyteris, seu probabilius ab aliis de Capitulo, non tamen a Beneficiatis hæc Missa canebatur; cum Beneficiatorum erectio sit longe posterior* = neque Decretum anni 1727., cujus respectu hæc habet = *Hujusce Decreti, causam ignoro, rationem tamen non video. Onus*

Onus enim Missæ conventualis, quod omnibus de Capitulo inest, & cui omnes, ut dixi interesse debent, Beneficiatis tantummodo impositum esse agnosco. Forsan hanc quoque Missam conventualem noluit Episcopus Elisei, præter aliam de feria, vel de festo occurrente, quam omnes tum Canonici, tum Beneficiati post tertiam canere per turnum solent = Ideoque consultum putat = *Beneficiatorum serenitati, si firma remanente celebratione cum cantu, declaratio prodeat, qua Beneficiati ab applicatione Missæ de Beata Virgine eximantur*.

Quænam fuerit hujusce Missæ origo, ignoratur. Verisimile tamen est, aliquam piam habuisse fundationem. Præteriri ergo non posse videtur illius applicatio pro Benefactoribus, quorum memoria fundamentum est Missæ conventualis. Ex hoc, inquit *Benedictus XIV. in Constitutione Cum semper oblatas*, quod Benefactorum nomina in oblivionem venerunt, *non idcircò deserere fas est usum, & disciplinam orandi pro iis, & Sacrificium Missæ pro illis offerendi. Atque inde præceptum applicandi Missam conventualem pro Benefactoribus in genere originem, & rationem desumit*. Antiquissimæ accedunt Constitutiones anni 1332., & Decretum anni 1727., in quibus eadem Missa inter conventuales numeratur. Quanti enim æstimandæ sint Episcopales illæ Sanctiones, probat *Pignatell. consult. canon.* 109. *num.* 10. *tom.* 9.

Advertendum tamen est, nullam in Bulla erectionis Beneficiatorum neque de Missa B. Mariæ Virginis, neque de illius applicatione pro Benefactoribus mentionem fieri. Novum ergo imponi non posse videtur onus in ea non expressum, *Corrad. in Prax. Benefic. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 150., *Pignatell. consult. Canon.* 111. *num.* 9. *tom.* 9., *& Sac. hæc Congregatio in Tudertina Capellaniæ* 12. *Martii* 1718., novamque idcircò Episcopi Elisei legem attendendam non esse, ut Sacra hæc declaravit Congregatio *in Montis Falisci diei* 31. *Maii* 1721., in qua per Rescriptum = *Clericum Ferdinandum Scaglionum teneri ad onera tantum præscripta a Testatrice* = abrogata fuerunt onera contra fundationem *Beneficii* imposita ab Ordinario, licet nonaginta annorum spatio adimpleta.

Licet vero induci consuetudine valeat obligatio celebrandi plures Missas conventuales, ut statuit *Benedictus XIV. in cit. Constit. Cum semper oblatas*, aut nulla tamen est in casu nostro consuetudo applicandi Missam de B. Mariæ Virgine pro Benefactoribus, aut talis fortasse censeri non debet, qualem summus ille Pontifex requirit. *De con-*

consuetudine, Emus inquit Episcopus, *non constat quoad applicationem Missæ de B. Maria Virgine, quin immo vel nunquam applicatam, vel sub conditione tantum applicatam fuisse deprehenditur*.

Favere etiam Oratoribus videtur Redituum tenuitas, quæ præsumptionem liberæ applicationis inducit, quum justa inter emolumentum, & onus esse debeat proportio, *Card. de Luc. de Fideicomm. disc.* 195. *num.* 9. Quatenus autem responsuræ sint EE. Vestræ pro exclusione applicationis, servanda erit Missæ celebratio, quia onus celebrandi distinctum est ab onere applicandi, *Rot. cor. Tanar. decis.* 133. *num.* 14.

Dignentur itaque EE. Patres decernere.

An Beneficiati Ecclesiæ Cathedralis Urbis Veteris nuncupati de Massa teneantur applicare pro Benefactoribus in genere Missam Beatæ Virginis de S. Britio, quam singulis Sabbathis canunt ad ejus Altare in casu &c.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

MATHELICIEN. SUSPENSIONIS ONERIS MISSARUM. Reductionem ab hac Sacra Congregatione postulavit Sacerdos Petrus Matthæus Bassi Missarum 150., quas uti Rector Capellaniæ, jamdiu in Ecclesia SS. Suffragii Mathelicæ a Magdalena Piloni erectæ, singulis annis celebrare tenebatur, triplicemque afferebat causam, grandævæ scilicet ejus ætatis annorum 84., paupertatis, ac necessitatis restaurandi binas Capellaniæ Domunculas, quod præ tenui ipsius Capellaniæ Reditu fieri non poterat. Quum tamen Sacra Congregatio ab Episcopo accepisset, satis amplo Oratorem frui alimentorum Legato a Fratribus de Paganellis, ejusque culpa Domunculas, ob non factas opportunis temporibus restaurationes, in deterius abiisse, merito hinc die 8. Maii 1784. rescripsit = *Lectum*, & *Episcopus cogat Oratorem ad restaurandas Domos* = Instantiam renovavit Clericus Aloysius Bassi, qui per renunciationem Patrui Capellaniam obtinuit; sed iterum atque iterum rejectus fuit, edito tandem sub die 15. Januarii seq. anni 1785. Rescripto = *In decretis*, & *preces amplius non recipiantur* = Tertio nunc, obtenta venia, EE. Vestrarum clemen-

mentiam implorat pro temporaria Missarum suspensione.

Hodiernus Fabriani, & Mathelicæ Episcopus refert, taxative pro dote Capellaniæ assignatas fuisse = *la Possessione in Contrada = Cappuccini = e le due Case unite, che abito, così pure li Castagneti*: Parum, aut nihil pauperem Oratorem sperare posse ex hæreditate defuncti Patrui (cujus tamen vires ignorantur) nam licet cum tribus ejus Fratribus heres sit proprietarius, libera tamen pollet alienandi facultate Maria Nicola Bassi Testatoris Soror, & usufructuaria: Domorum restaurationes, Peritorum judicio, cum impensa scutorum 35. absolvi posse. Et per hæc tandem verba concludit = *Facta insuper animadversione super populatione Civitatis Mathelicæ, observo, eamdem esse pergrandem, & dietim augeri ex Mercatura, quæ viget, & floret in ea, & inde Locationes Domorum certas, & perutiles esse in posterum quoque confido. Quamobrem, mea quidem Sententia, approbanda est, & admittenda Domorum refectio, & attenta paupertate Oratoris, nec non bene perpensa enunciata dispositione Petri Matthæi Bassi ejus Patrui, ea, qua decet, reverentia dico, concedendam esse petitam reductionem Missarum.*

Necessitas restaurandi Domos ex relationibus Peritorum, & Episcopi urget. Impares ad id sunt vires Oratoris, qui gravi laborat paupertate, impares Capellaniæ Reditus, qui vix annuam scutor. 28.59 $\frac{1}{2}$ summam attingunt, sed detractis scutis 15. pro Missis 150., sc. 1. 50. pro taxa Utensilium, obolis 45. pro Collectis, & scutis 3. pro cultura Prædii rustici, vix annua pro Capellano supersunt scuta 8. 64. $\frac{1}{2}$, ex quibus confici nequit prompta restauratio, qua Domus indigent. Æqua igitur videri poterit, juxta sententiam Episcopi, Oratoris instantia. Ubi alius enim pro reparandis Beneficii Bonis deficit modus, ultimum remedium est Missarum suspensio, aut diminutio, *Amostaz. de Caus. Piis lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 36., & *seq.*, *Brasch. de libert. Eccles. tom.*3. *cap.* 24. *num.*20., & Sacra Congregatio *in Cornetana Oneris Missarum* 8. *Maii* 1784., in qua ad Dubium = *An, & quomodo sit providendum* = responsum fuit = *Quoad præteritum, ad D. Secretarium cum SS̃mo. Quo vero ad futurum, scribatur Episcopo juxta mentem, & mens est, quod celebretur Missa una quolibet mense ad sexennium, & Episcopus, computata eleemosyna Missæ manualis, assignet Beneficiato ex fructibus Præbendæ quantum deerit ad complemen-*

mentum taxæ Patrimonii Sacri ; *quod autem superetit*, *impendat in restaurationem Domorum Beneficii* = *& in Camerinen. Suspensionis Oneris Missarum* 12. *Martii* 1785.

Adverendum tamen est, actionem habere Oratorem pro refectione damnorum adversus hereditatem Patrui, cujus culpa Domorum deteriorationes obvenerunt. Incomperta quidem est illius hereditatis vis, sed par in dubio censeri debet solutioni Debiti, quod posteriora heredis usufructuariæ, & proprietariorum jura vincit. Deliberent ergo EE. Vestræ, num cogendus sit Orator ad persequendam Patrui hereditatem, vel restaurandas Domos ex Reditibus Capellaniæ, seu aliqua potius indulgenda sit Missarum suspensio cum obligatione redintegrandi illarum numerum ex portione Bonorum, quæ Oratori ex hereditate Patrui post obitum usufructuariæ obventuræ erunt.

Dubium est:

An, & quomodo sit locus suspensioni Missarum in casu &c.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

LUNEN. SARZANEN. Capellaniam possidet Sacerdos Franciscus Raggi in Ecclesia S. Andreæ Carariæ ad Altare S. Crucifixi, cui ex antiquissima Scipionis Pellegrini fundatione onus erat quotidiani Sacri, & assistendi Divinis Officiis, quæ in eadem Ecclesia celebrantur, annuus vero Reditus scutorum Januensium 40., quæ summam scutorum 24. monetæ Romanæ constituunt. Quum tenuis igitur esset eleemosyna obolorum sex cum dimidio pro quolibet Sacro, eam hodiernus Episcopus ex generalibus Sacræ hujus Congregationis facultatibus ad manualem obolorum 12. reduxit. Erecta nuper in Collegiatam Ecclesia, evasit Orator ex Capellano Mansionarius cum onere assistendi Choro, aliamque idcirco ab EE Vestris petiit Missarum reductionem. Sed contrarium passus Rescriptum = *Orator gaudeat reductione jam obtenta ad manualem* = instantiam renovat. Hæc autem refert Episcopus = *Cum* (præter Sacra) *quæ supersunt onera taxative concepta*, *Reditibus sint imparia*, *nec Orator*, *utpote Mansionarius*, *Choro*, *& Ecclesiæ*, *in Collegiatam nuper erectæ*, *servitio addictus*, *ab hujusmodi*

di onere a Testatore imposito dispensari expedit, nec valet reluctantibus interesse habentibus &c. idcircò censerem, ab EE. Vestris benigne indulgeri posse, taxata eleemosyna saltem ad rationem perpetuæ, consentientibus in hoc Capellaniæ Patronis.

Statuit quidem *Sacrum Concilium Tridentinum Sess.* 25. *cap.* 4. *de Reform.* adimpleri debere pia Missarum relicta, ut Testatores voluerint, sed illorum reductionem implicite permittit, si peculiares urgeant circumstantiæ. Reque vera non raro Sacra Congregatio, sive ob imminutos Reditus, sive ob aucta rerum pretia, hujusmodi reductionem concessit, ac præsertim *in Bracharen.* 11. *Septembris* 1717. *lib.* 67. *Decretor. pag.* 373., in qua reduxit etiam servitium Chori, *in Aquen.* 19. *Decembris* 1772., & *in Senogallien. Reductionis* 10. *Maii* 1783. Æqua hinc fuit reductio, quam Episcopus explevit ad manualem, quum valde nostris temporibus tenuis esset eleemosyna obolorum sex cum dimidio a Fundatore præfinita. Eademque ratione æqua videtur ulterior reductio ob auctum post erectionem Collegiatæ servitium per assistentiam Choro. Haud enim manualis eleemosyna utrique respondet oneri Missarum, & Chori, contra regulam, de qua *Card. de Luc. de Fideicomm. disc.* 195. *num.* 9. Et quamvis cum eodem Reditu Capellanum obligaverit Fundator tum ad quotidianum Sacrum, cum = *ad assistere alli Divini Officj, che in detta Chiesa celebrano* = & cum his oneribus Capellaniam acceperit Orator, fortasse tamen prisca illa Officia per recentem Collegiatæ erectionem, & chorale servitium graviora evaserunt, ac majus idcircò merentur emolumentum. Verba enim illa = *assistere alli Divini Officj* = *intelligenda sunt juxta subjectam materiam, ita ut si fuerint apposita in fundatione Cappellæ erectæ intra Ecclesiam, in qua horæ Canonicæ non recitantur, tunc non important servitium Chori, sed sunt referenda ad celebrationem Divinorum extra Chorum* = Verba sunt *Fagnani in Cap.* 1. *de ætat., & qualit., & ordin. præfic. num.* 105. *lib.* 1.

Quatenus vèro indulgendum sit Oratori, quærendum erit, num reduci potius debeat servitium Chori, quam Missarum numerus. Ex urgentissima illa ratione, quod meliora sint Sacrificia, affirmativam Sententiam tenent *Fagnan. in Cap. Ex parte de Constit. num.* 34., *Garz. de Benefic. part.* 7. *cap.* 1. *num.* 126., & *Benedict. XIV. de Synod. Diœces. lib.* 13. *num.* 23. Contrarium ob interesse habentium reluctantiam sentit Episcopus, nec desunt re-

reductionis potius Missarum, quam Chori exempla, ut in *Florentina Reductionis Missarum* 13. *Julii* 1776. Iterumque quærendum, num servanda sit Missarum reductio ad manualem, vel concedenda potius ad perpetuam, ut censet Episcopus. Perpetui autem Legati qualitas, tenuesque Capellaniæ Reditus suadent, ut ad perpetuam potius fiat, ut in *Nepesina Reductionis Onerum* 24. *Julii* 1734., *& in cit. Aquen.* 19. *Decembris* 1772. Hoc tamen Eminentissimi Patres advertant, quod neque de legibus constat erectionis Collegiatæ, neque de qualitate choralis servitii, diurnum ne sit, an festivum. Fortasse enim despondit Orator servitium Chori, ultroque novum hoc onus, illudque leve, accepit. Si ita est, absurda videri posset ulterior Missarum reductio in compensationem servitii, quod semel assumpsit, *Cap. Quod semel* 21. *de regulis Jur. in sexto.*

An, & quomodo sit locus reductioni onerum in casu &c.

Die Sabbathi 24. Novembris 1787. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

QUatuor cum reliquis EE. Vestrarum judicio subiiciuntur Causæ, quæ ob negotiorum multitudinem proponi non potuerunt in novissima Congregatione diei 15. elapsi Septembris. Consulere igitur dignentur præcedens Folium, ut eas modo expediant.

CAMERINEN.

Sess. 25. cap. 4. & 11. de Reform.

I. *An concedenda sit facultas alienandi Prædiola, de quibus agitur, & quomodo investiendum sit eorum pretium in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Ad I. Affirmativè prævia affixione Edictorum favore majoris Obblatoris, & pretium esse investiendum in Bonis stabilibus, & in eorum defectum etiam in Censibus cum Locis Piis, & Communitatibus. Ad II. Dilata, & habebitur ratio sequuto investimento.

URBEVETANA.

Sess. 22. Decret. de observan. & evitan. in celebr. Miss. & Sess. 24. cap. 12. de Reform.

An Beneficiati Ecclesiæ Cathedralis Urbis Veteris, nuncupati de Massa, teneantur applicare pro Benefactoribus in genere Missam B. Virginis de S. Britio, quam singulis Sabbathis canunt ad ejus Altare in casu &c.

Negative juxta votum Eminentissimi Episcopi, & sufficere commemorationem generalem pro Benefactoribus.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

MATHELICEN. SUSPENSIONIS ONERIS MISSARUM. Ut Clericus Aloysius Bassi obicem removeat existentis hereditatis Patrui, cujus culpa Beneficii Prædia in deterius abierunt, ex Testibus probat, nil aliud ejus amitam Mariam, heredem usufructuariam possidere, præter Domum habitationis, paucis Mobilibus instructam, ac binos Census in sorte scutorum 65., adeoque in gravissima octoginta annorum ætate pauperem esse, ut quædam alia ad ducendam vitam distraxerit Bona, ac venditura erit reliqua, si paucis adhuc annis supervivat. Persequi ergo non posse ait infelicissimam Senem, quin eam cogat ad extremam mendicitatem, sibique vires deesse ad agendam litem, quam neque urgens reparationum necessitas pateretur. Ex aliis Testibus vero auctam probat hujusmodi necessitatem in scutis quatuor, eo quod = *La Capanna esistente nella Possessione &c. la quale và unita alla Cappellania, è cadente, e minaccia evidente rovina, in guisa che detta Capanna è ora affatto inservibile.*

An, & quomodo sit locus suspensioni Missarum in casu &c.

Affirmative ad quatriennium celebratis Missis quinquaginta in singulos annos, & facta obligatione per Beneficiatum celebrandi Missas omissas post obitum Mariæ Bassi ex Bonis hæreditatis Patrui ad ipsum deferendis.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

LUNEN. SARZANEN.

An, & quomodo sit locus reductioni onerum in casu &c.

Negative.

VISEN. DISPENSATIONIS. Matrimonium anno 1784. per Procuratorem contraxit Franciscus de Paula Cardozo Visensis cum Anna Elisabeth de Mello ex Oppido Travanca. Paucis mensibus in materna Domo supervixit Sponsa, eamque semel adiit Sponsus, ut de modo ac tempore migrandi in Domum suam conveniret, iterumque ut gravi morbo laborantem inviseret. Post illius obitum adamare cepit germanam ipsius sororem Mariam Ritam, adeoque frequenter cum ea conversatus est, ut copulæ suspicio percrebuerit. Ut infamatæ igitur nuberet Puellæ, dispensationem a Dataria Apostolica super primo publicæ honestatis gradu postulavit. Re autem ad Sac. hanc Congregationem remissa, solemnis, Ea jubente, confectus est a Visensi Episcopo Processus super non consummatione Matrimonii cum Anna Elisabeth, ejusque Sororis diffamatione, cujus hæc est summa. *Sess. 24. cap. 3. de Reform. Matrim.*

Præ omnibus juravit Cardotius, nunquam se defunctam Conjugem cognovisse. Ejus dictum sub formali examine confirmarunt Francisca Bernarda Defunctæ mater, Eleonora Rita soror, & Clara Elisabeth amita. Una enim voce deposuerunt, nullam omnino nec in primo, nec in secundo illius accessu ad Sponsam, occasionem consumandi Matrimonium fuisse: Eam semper coram omnibus alloquutum esse; seorsim ab ea dormiisse; adeoque se in reliquis gessisse, ac si ejus Vir non esset. Hæc sunt verba Matris, cui in omnibus consonant Soror, & Amita = *soltanto per una unica volta portossi il Giustificante* (Cardotius nempe) *in questa stessa Casa a trattare negozio confacente alla gita della stessa sua Figlia alla di lui Casa di Viseu; e si diportò in questa stessa venuta come se non fosse stata ancora maritato, e congiunto in matrimonio colla medesima sua Figlia, lo che sa, per esser stata sempre in compagnia di essa in tutte le occasioni, in cui li medesimi si parlarono, e la medesima sua Figlia dormiva in compagnia di essa Deponente, e di tutte le sue Sorelle, e di una sua Zia in una Casa separata, che ha a tal'effetto; ed essendo avvenuto, che la medesima sua Figlia si ammalasse gravemente, del qual male morì, essendo gia quasi al fine della medesima malattia; venne anche il Giustificante a visitarla, diportandosi sempre con tutta la pulizia, e come se non fussero stati congiunti in matrimonio, e lo sà con tutta la certezza, e così lo depone sotto il giuramento, che il Giustificante non consumò il Matrimonio colla d. sua Figlia.*

Hoc ipsum dixerunt reliqui judiciales Testes, Francisca-

nem-

nempe de Almeida famula, & Emanuel Ribeiro Procurator Domus de Mello, ac Emanuel de Almeida Osorio Parochus Ecclesiæ de Travanca; eorumque omnium depositiones aliunde etiam comprobavit Judex delegatus qui hæc refert = *Dopo esaminati li Testimonj io presi altresi informazione particolare sopra il contenuto della istanza del Giustificante, e la trovai appieno conforme colle deposizioni delli medesimi Testimonj, e costante l'esser morta Donna Isabella, o sia Elisabetta di Mello &c. senza avere consumato il matrimonio &c.; e che nella infermità, e presso a morte diceva, avere particolar piacere di non aver consumato lo stesso matrimonio, perchè moriva senza sapere lo che fosse l'esser maritata* = De publica vero Mariæ Ritæ diffamatione alii quatuor deposuerunt Testes, eademque opinione addiderunt = *che la detta Donna Maria Rita ha delli Parenti distinti, ed onorati, li quali concependo qualchè disgusto, ove non si effettui il riferito matrimonio, potranno in qualche maniera vendicarsi del Giustificante.*

Utroque attento Examine, expeditæ fuerunt de mandato Episcopi Testimoniales super uno publicæ honestatis impedimento, ac respectiva diffamatione in hæc verba = *Notum facio, & attestor, Franciscum de Paula Cardozo &c. nullum aliud impedimentum, nisi publicæ honestatis habere ad matrimonium contrahendum cum Domina Maria Rita de Mello &c. idque provenire ex matrimonio rato, nec consumato, Auctoritate ordinaria, & per Procuratorem contracto cum D. Anna Elisabetha de Mello &c. Item præd. Annam maligna febri occubuisse, quin propter id, obque Locorum distantiam se conjunxerint, nec matrimonium consumaverint &c. Denique prædictam Mariam cum eodem Francisco jam pati infamiam, quod ipse eam frequenter visitaverit, & eam esse sanguine conjunctam cum Familiis nobilissimis, præd. infamiam ægerrime laturis, & facile vindicaturis, nisi matrimonium DEO ACCEPTISSIMUM contraxerint* = Atque hinc quæritur, num constet de matrimonio rato, & non consumato inter Franciscum, & Annam Elisabetham, seu de impedimento publicæ honestatis, & concedenda sit dispensatio.

Præcipua consumationis matrimonii præsumptio oritur ex cohabitatione, & concubitu, *Cap. Litteris de Præsumpt. Zacch. quæst. Medico Legal. lib.* 4. *tit.* 2. *quæst.* 3. *n.* 12. & 14. Paucis quidem diebus in primo accessu ad Domum

de Mello cohabitavit Francifcus cum Elifabetha, fed neque fub eodem dormiit Tecto, quum illa = *dormiva in una Cafa feparata* = neque concumbuit, dum femper, ut confueverat, dormitum ivit Elisabeth = *in compagnia di effa Deponente* (Matris nempe) *e di tutte le fue Sorelle, e di una fua Zia* = Solemne accedit ipfius Francifci juramentum = *di avere contratto il Matrimonio, ma di non averlo confumato* = cui deferendum effe monet *Gloff. in Can. Extraordinaria* 11. *cauf.* 35. *quæft.* 3. *verb. Sacramentis*; & *Rot. poft Zacch. quæft. Medico Legal. decif.* 38. *fub num.* 14., quum de folo agatur ejus Animæ præjudicio. Plurefque accedunt Teftes, ac morientis Elifabethæ confeffio = *di non aver confumato lo fteffo matrimonio* = quæ fincera de Jure præfumitur, *Mafcard. de Probat. conclus.* 359. *num.* 28., & *feq.* In fecundo autem acceffu = *dicendum, præfumptionem cohabitationis non defervire ad probandam commixtionem Viri, & Uxoris, ftante impedimento infirmitatis, ut fe non compatientis cum coitu* = ut per hæc verba dixit *Rot. poft Zacch. Quæft. Medico Legal. in cit. dec.* 38. *n.* 15.;

Quatenus igitur EE. Veftræ non confumatum cenfeant matrimonium Francifci cum Elifabetha, affueta decernent prudentia, & maturitate de Difpenfatione. Nedum ex fponfalibus, sed ex matrimonio etiam rato, & non confumato impedimentum oritur publicæ honeftatis, juxta Conftitutionem *Ad Romanum* 62. *S. Pii V.*, & refolutiones Sac. hujus Congregationis relatas a *Corrad. in Prax. Difpenf. lib.* 8. *cap.* 7. *num.* 15., & 20. Hujufce impedimenti difpenfatio minima reputatur a *Reinfeftuel. in Jus Canon. tom.* 4. *append. fuper impediment.* § 3. *de cauf. num.* 135. Facilius conceditur Viro, ut fecundæ nubat Sorori, quam Mulieri, quæ alterum ducere velit Fratrem, *Rigant. ad Regul.* 49. *Cancell. num.* 43. Eoque magis, fi oritura fint fcandala, *Corrad. in Prax. Difpenfat. lib.* 8. *cap.* 7. *num.* 21. Eam Sacra Congregatio ob dubiam non confumationis probationem denegavit in *Pennen. Difpenfationis* 29. *Maii* 1756., fed concedendam effe cenfuit *in Gadicen. Difpenfationis* 12. *Junii* 1762., in qua confumatum non fuiffe conftabat matrimonium, fimilefque cafui noftro concurrebant circumftantiæ. Propofito enim Dubio = *An fit confulendum Sanctiffimo pro Difpenfatione* = refponfum fuit = *Attentis peculiaribus circumftantiis, confulendum effe Sanctiffimo pro difpenfatione fuper impedimento publicæ honeftatis, & etiam affinitatis* =

tatis = Quod Rescriptum confirmatum fuit die 25. Septembris ejusdem anni.

Dubium est. *An constet de matrimonio rato, & non consumato, ita ut sit locus dispensationi in primo publicæ honestatis in casu &c.*

Affirmative in omnibus.

Seff.24.cap.12. de Reform.

NARNIEN. SERVITII CHORI: Sub Judice adhuc remansit Causa ista in Congregatione diei 3. elapsi Martii per Rescriptum = *Dilata, & scribatur juxta mentem* = & mens fuit, quod referret Episcopus *de qualitate Collegiatæ utriusque Ecclesiæ, & de Reditibus singulorum Canonicatuum*. Ut accuratius Sacram Congregationem de utraque re certiorem redderet Episcopus, Canonicos interpellavit = *ut in Archiviis Collegiatarum qualitatem earumdem investigarent, ac insimul per juratas assignationes singulorum Canonicatuum Reditus patefacerent* = Negotio non defuerunt Canonici, concordibusque animis utriusque Collegiatæ qualitatem ignorare dixerunt = *non costando loro da verun Documento, se la medesima sia eretta, o mere nuncupativa* = Hæc vero de singulorum Canonicatuum Reditibus per respectivam Status activi, & passivi exhibitionem sub juramento testati sunt.

Vix sibi superesse dixit Parochus Archipresbyter Ecclesiæ S. Michaelis Archangeli scuta 13. 15., detracta præ cæteris oneribus eleemosyna Missarum pro Populo, aliarum Missarum celebratione, & assistentia Missis cum cantu, & Choro diebus Festis. Majori ex parte reliqui Canonici minores oneribus asseruerunt eorum Canonicatuum Reditus, alii in scutis 2., alii 3., alii quatuor, vixque unus & alter superlucrare ait scutum unum, aut duo. Vicarius perpetuus rursus S. Nicolai, eadem fere, ac Parochus S. Michaelis Archangeli, facta onerum detractione, libera sibi attribuit scuta 4. 23., & alterius Capituli exemplum in detractionibus sectantes Canonici, gra-

gradatim exitum a scuto uno ad 19. supra introitum evexerunt, uno excepto, qui lucrum falsus est scutorum 11. 40., & altero, qui illud in majori admisit summa scutor. 14. 12.

Hæc vero Episcopus super utriusque Ecclesiæ qualitate, Redditibusque Canonicatuum ponderat. Certum in Episcopali Cancellaria non existere fatetur monumentum de collegiali dd. Ecclesiarum qualitate = *propter infortunia, ac præsertim ob passam a Militibus exteris depopulationem* = Eam tamen probat argumentis, quibus nonnulla addit Jura. Collegiatam nuncupavit Ecclesiam S. Michaelis Archangeli in Visitatione anni 1512. Narniensis Episcopus Romulus de Cæsis, vel Herulus potius de Herlis (utriusque enim nomen præfert Liberculus, ex quo id desumitur), decrevitque, ut tenerentur illius Canonici = *singulis diebus Dominicis, & Festis de præcepto Officium in Choro recitare, & Missam, & Vesperas cantare* = Collegiatam pariter appellavit Episcopus Cæsius anno 1574., dum ei in executionem Decretorum Visitatoris Apostolici univit = *omnes, & singulos Canonicatus, & Præbendas Ecclesiæ S. Simeonis* = Atque eam, ac alteram S. Nicolai pro Collegiatis habuerunt Episcopi successores, ita ut hodierni Episcopi testimonio = *earum Canonici, uti tales, Synodis Diœcesanis semper interfuerunt* = In collegialitatis signum, prosequitur Episcopus, = *Ecclesia collegiata S. Michaelis Archangeli habet Dignitatem Archipresbyteratus, quæ tamquam prima Dignitas, semper, & in omnibus mensibus reservata manet Sedi Apostolicæ. Alterius vero Collegiatæ S. Nicolai Animarum cura habitualiter resedit penes Capitulum ejusdem, donec de anno* 1713. *erecta fuerit Vicaria Curata perpetua, quæ confertur ad Concursum* = Atque his omnibus addit = *quod omnes Canonicatus, modernioribus temporibus instituti vel in una, vel in altera ex dd. Ecclesiis Collegiatis, erecti fuerunt formaliter in titulum auctoritate ordinaria, ex quo, ni fallor, aliud insurgit indicium de vera Collegialitate. Alias enim majus viderentur quodammodo jus habere in iis Ecclesiis Canonici adjuncti, quam alii antiquiores Canonici Capitulares.*

Ægre autem quoad Canonicatuum Reditus tulisse ait Episcopus = *quod Canonici Stronconienses, quorum plures ordinati sunt ad titulum Canonicatus, & in verificatione tituli ex attestationibus Capitularium probavere, Reditus Canonicatuum excedere taxam Synodalem, prout E. Vestra recognoscere dignabitur ex authenticis Documentis humili-*

ter hic exhibitis sub litt. E. , *nunc ad opportunitatem* , *seu potius importunitatem eosdem Reditus adeo diminutos effingant* , *& onera tam magnopere exagerent* , *ut parum aut nihil sibi provenire concludant a servitio respectivæ Ecclesiæ* , *cui reperiuntur adscripti* = Reque vera sub juramento testati fuerunt anno 1777. Canonici Ecclesiæ S. Nicolai = *qualmente il Canonicato* , *che al presente si possiede dal Signor Canonico Pietro Egiddi in questa nostra Chiesa di S. Nicolò supera il fruttato sopra li quaranta scudi* , *ed in conseguenza è sufficiente per la congrua sostentazione del sud. Egiddi* = eodemque anno Canonici S. Michaelis Archangeli, jurati pariter affirmarunt, annuos Canonicatus *Petrucci Massoli* Reditus summam attingere, detractis oneribus, scut. 31. 70.

Quædam alia deinde de singulis Reditibus notat Episcopus= *quum ad rigorosam* (illorum) *verificationem brevi temporis intervallo* , *& sine gravi impensa deveniri non posset*= Ex authentico Documento probat, tales esse Archipresbyteratus S. Michaelis Reditus, ut in ejus renunciatione favore hodierni Possessoris, annua Renuncianti pensio Ducatorum triginta auri de Camera super illius fructibus reservata fuerit. Distinctis hinc calculis quoad ipsam S. Michaelis Collegiatam demonstrat, annua Archipresbytero scuta 43. 92., Canonicis scuta 23. 24. 27., & 31. respective superesse. Quo vero ad Collegiatam S. Nicolai, redundantes constituit Vicarii perpetui Reditus in annuis scutis 31. 60., & gradatim a summa scutorum 13. ad scuta 36., quos reliqui Canonici percipiunt, uno excepto, cui scuta dumtaxat supersunt 4. 79. Diversam autem hanc rationem ducit ob quædam deleta, & quædam alia imminuta onera.

Delenda esse censet ab utroque Statu passivo stipendia Exactorum, eo quod munia hæc per turnum exercent Canonici, ac ipsorum propterea introitum auget emolumentum; omnesque delendas esse partitas Missarum Conventualium, & assistentiæ reliquis Missis cum cantu, & Choro = *giacchè tali assistenze non sono dovute ad altri* , *che alli Signori Canonici* . *Onde non è questa una partita* , *che diminuisca l'introito* ; *e qualora si volesse fissare l'emolumento dell'assistenze, che viene ad essere una specie di Distribuzioni, a partita d'esito* , *converrebbe poi riportare altrettanta somma a partita d' introito* = Reducenda vero esse Missarum onera ad obolos 17. pro qualibet ad manualem = *mentre il di più si percepisce dalli Canonici in vigore del diritto da essi acquistato nella collazione dei respettivi*

Cano-

Canonicati, e perciò ogni ragione vuole, che abbia ad essere annoverato tra le rendite dei Canonicati.

Pro coronide tandem (in sua Informatione concludit) *addendum censeo, quod qunm ex Decreto istius Sacræ Congregationis edito die* 4. *Junii* 1712. *Canonicis utriusque Collegiatæ demandata fuerit celebratio*, & *applicatio Missæ Conventualis singulis diebus festis, vigore hujus Decreti comprehensa videtur etiam obligatio recitationis horarum diurnarum, tamquam Missæ Conventuali adnexarum juxta Rubricam, ita ut omnis dubitatio versari videatur circa solam recitationem Matutini tantummodo diebus festis, ex qua cognoscere nequeo, tantum oneris adiici Canonicis hujusmodi Collegiatarum, ut merito queri, & reclamare videantur, utque absurdum illud eveniat, quod numquam ne festis quidem diebus, solemnioribus exceptis, integrum recitari debeat Officium Divinum.*

Dubia sunt

I. *An Decreta Episcopi Narniensis lata in Visitatione dierum* 18. *Septembris* 1780. & 21. *Septembris* 1783. *sint exequenda in casu &c.*

Et quatenus affirmativè.

II. *An*, & *quomodo sit locus reductioni onerum in casu* &c.

Dilata ad primam post Reges.

BONONIEN. REDUCTIONIS SERVITII CHORI. *Sess.* 25. *cap.* 4. *de Reform.*

Quæsitum in hac Causa fuit die 16. elapsi Junii = *An*, & *quomodo sit locus reductioni oneris Chori* = Ac EE.VV. responderunt = *Negativè* = Huic non acquiescens Rescripto, SANCTISSIMUM adiit Sacerdos Petrus Cossini, ac nedum denegatam choralis servitii reductionem ad sexaginta anni dies, sed absolutionem etiam a non celebratis Missis 830, ab EO postulavit. Precibus vero ad Sacram hanc Congregationem remissis, ad examen redit emanata resolutio, & secundum super petita absolutione additur Dubium.

Asserit in novis precibus Orator, integros Beneficii Redi-

His demptis creditis, reliquam constituit hereditatem *in liris undecim, vel duodecim millibus*, deindeque ad alias detractiones descendit. Ex authenticis primùm documentis constare ait = *quondam Franciscum Antonium Vigo filium d. quondam Mariæ Catharinæ paucis ante ipsius obitum mensibus tot Bona recensitæ hæreditatis alienasse pro summa lirarum quinque millium supra centum* = iterumque ex Testibus = *quod Filio vix defuncto, dicta quondam Maria Catharina eamdem pecuniæ summam in duobus Sacculis repositam accepit* = Rationem insuper habet funerum Testatricis, Legati Missarum 1000., quas statim illa post ejus obitum celebrari jussit, & alterius libellarum 100., Societati SSmi Nominis Jesu relicti, quæ in unum = *exæquant summam lirarum mille*= His addit Libellas 2664., quæ per Sententiam Judicis soluta fuerunt Creditoribus hæreditatis, ductoque istarum detractionum calculo in Libellis 9064., vix Assem redigit = *ad liras 2000., a quibus tertia adhuc detrahenda est pars pro Legitima, d. Annæ Mariæ debita* =, & in hæc verba concludit = *Evidens ergo est*, *onus lirarum centum*, *annuatim relictum a quondam Catharina Testatrice, longe superare vires hereditatis*, *quodque Anna Maria nepos, ac heres, & oratrix impendit triginta & amplius annorum spatio ad hujusce Legati implementum, id omne profecto absumit, quod Ipsa ab hereditate percipere potuit* = sibique idcirco videri = *Legatum fuisse satis impletum, locumque esse petitæ declarationi*.

Mandavit sane Testatrix. ut acquiri deberet ex hæreditariis creditis Prædium *Givi*, annuæque deinde Libellæ centum pro totidem Missis ex ejus fructibus solverentur. Nunquam id factum est; ideoque tenetur hæres Prædium illud redimere, ac designatum Legati Fundum præstare, *§. Non solum* 4. *Instit. de Legat.*, & *Leg. Non dubium est* 14. *§. ult. ff. de Legat.*3. Legato imparem asserit Oratrix hæreditatem, pluresque ad eam minuendam proponit detractiones, de quibus in sua Informatione Archiepiscopus. Ad EE. Vestras pertinet decernere, num ejus naturæ sint hujusmodi detractionum probationes, quales, in eversionem præsertim Legati Pii, requiruntur, undique scilicet concludentissimæ, *Covarr. in cap. si heredes sub num.* 9. *vers. sed etsi minime de Testam.* Notandum tamen est in Facto, summam illam libellarum 5100., pro totidem hæreditariis Bonis a Francisco Antonio Vigo Testatricis filio distractis, referri forsan debere ad alia Bona præter descripta in Testamento, non item ad credita,

dita, quæ post illius obitum Testatrix uti vigentia reliquit. Hinc non in libellis tantum 2000., ut censet Archiepiscopus, sed in longe majori summa libellarum 7100. hæreditas constaret, quatenus reliquæ detractiones admittantur, vel in libellis saltem 4733. 33., si tertia illius pars Legitimæ titulo Oratrici tribuatur. Reliqua autem hæc summa exuberaret ad constituendum Fundum annui fructus libellarum centum pro celebratione Missarum.

Sedulo præterea advertant Emi Patres, nullum omnino ab Oratrice confectum fuisse Bonorum Aviæ inventarium. Hoc enim deficiente, non excusatur hæres ex insufficientia hæreditatis, integrumque præstare tenetur Legatum, ut sæpè definivit Sac. Congregatio, ac præsertim *in Camerinen. Subsidii Dotalis* 27. *Junii* 1761. *ad II. Dub.*, *& in Burgen. Reductionis* 15. *Martii* 1777. Descripsit quidem Maria Catharina Promptuarium, Mansiunculam, & Credita in Testamento, sed non inde sequi videretur, nec Mobilia, nec Aurum, nec Gemmas, nec Pecuniam relinquere potuisse. Illudquè postremo negligi non debet, quod Legatum adimpleverit Oratrix spatio triginta annorum, & ultra. Hoc utique tanto tempore non fecissent, nisi hereditatis vires sufficientes novisset, argumento *Legis* 2. *Cod. de Fideicomm.*

Quoties EE. VV. in adimplementum conveniant Legati, hoc etiam dignentur decernere, num cogi debeat Oratrix ad illum ipsum præstandum Fundum, quem Testatrix designavit. Apud eam fortasse est cum reliquis hæreditariis Bonis Francisci Antonii ejus Patris, cujus in hæreditate erat tempore conditi Testamenti. Si ita est, illum omnino tradere deberet, quum præstare teneatur hæres rem suam legatam, §. *Non solum Instit. lib.* 2. *tit.* 20. *de Legat.* Si in tertium vero transiit Possessorem, redimendus esset; non tamen = *immenso*, *vel iniquo pretio* = ut notat *Voet in Pandect. lib.* 30. *tit. un. de Legat.*, & *Fideicomm. sub num.* 26.

Quæritur itaque

I. *An sit locus abolitioni Legati Missarum in casu &c.*

Et quatenus negativè.

II. *An, & quomodo sit constituendus illius Fundus in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

Sess.25. cap.4. de Reform.

CASALEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Hujus Causæ speciem habent Emi Patres ex Folio diei 7. elapsi Julii, Rescriptum ex sequenti diei 28. Ad Dubia enim I. *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum*. II. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione*. EE. Vestræ responderunt = *Dilata, & scribatur Episcopo juxta mentem* = quod referret nempe, num pro adimplemento Missarum persequi posset Domus, in locum primi Fundi subrogata. Mandatis igitur obsequendo, rescribit Episcopus *Domum a Vincentio Bazzano subrogatam pro onere Legati, de quo agitur, & ab Innocentio Bottacco jam possessam, persequi haud posse, neque ullam spem adesse illam recuperandi, aut possessorem cogendi ad oneris implementum. Nam post mortem Innocentii Bottacco Domus illa per ejus Filium hæredem distracta fuit, deinde ad alios acquisitores transivit, & ultimo loco per modernum possessorem fere ex integro meliorata, seu potius reædificata fuit. Et si aliqua spes adesset recuperandi Domum, vel cogendi modernum possessorem ad oneris implementum, plures lites in variis laicis Tribunalibus instituere necessario foret, & Oratrices, quæ de paterno Patrimonio nihil habent, graves necessarias expensas ferre minime possent* =.

Iterum ergo quæritur

I. *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

II. *An sit consulendum SSmo pro absolutione in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 15. Decembris 1787. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

UNA, & altera ex sequentibus Causis proponi non potuerunt in præcedenti Congregatione diei 24. Novembris. Eas igitur Emi Patres cum reliquis definire dignentur.

JANUEN. LEGATI. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

I. *An sit locus abolitioni Legati Missarum in casu &c.*
Et quatenus negative.
II. *An, & quomodo sit constituendus illius Fundus in casu &c.*

Ad I. Negative.
Ad II. Affirmative ad formam Testamenti, sin minus in alio idoneo Fundo arbitrio Archiepiscopi.

CASALEN. REDUCTIONIS MISSARUM. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

I. *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*
II. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione in casu &c.*

Ad I. Affirmative juxta Votum Episcopi.
Ad II. Affirmative.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

CALLIEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM. Sodalitium est Callii sub titulo S. Mariæ de Misericordia, cujus Reditus in Brephotropium, Hospitium, Xenodochium, Eleemosynas, Dotes ex instituto, piisque dispositionibus erogantur. Annua ei sunt scuta quadringenta, eaque ex tribus Bonorum speciebus proveniunt, ex Bonis scilicet ipsius Sodalitii pro summa scutorum 240., ex hæreditariis Bonis Hectoris Benedicti Felici pro summa scutorum 130., aliisque Joannis Antonii Ranaldi pro reliquis scutis 30. Originarii Sodalitii Reditus in ea omnia converti debent charitatis, & misericordiæ opera, quorum paullo ante memini, ut narravit Clemens VII. in Brevi, quo erigi prohibuit Xenodochium in Ecclesiasticum Beneficium. Hæreditarii Hectoris Felici erogandi sunt ex pia illius dispositione = *nella pietà di sovvenire a poveri Religiosi Mendicanti, ed altri Poveri della Città, ed una rata ad arbitrio delli Signori dodici* (Conservatorum nempe) *in maritaggio di Zitelle &c. preferendo sempre, ed in ogni caso le povere, e gentil Donne per costituirgli la Dote di Maritaggio, o Monacazione* = Reliqui vero Reditus Ranaldi in spirituales tantum conferri possunt Dotes. Universa pia Opera duodecim administrare deberent Viri, sed vix septem sunt, vixque quatuor, aut quinque Consiliis intersunt.

Actum præ ceteris fuit in Consilio diei 25. Maii 1785. de constituenda Nobili Puellæ Annæ Biscaccianti insigni Dote, sive temporali, sive spirituali scutorum 600. ex nominibus Debitorum, quæ in summa scutorum 1788. Sodalitium habet, intra sexennium tamen solvenda. Alter ex quatuor congregatis Conservatoribus, Antonius nempe Brancuti, aperte protestatus fuit = *che non sarò mai per concorrere, ma anzi di ricorso in caso &c.* = alter semel, & bis negativum dedit calculum; reliqui duo suffragati sunt pro dotali subsidio. His deinde post dimissum Consilium accessit, qui contrarium tulerat suffragium, initoque fœdere, resolutionis sanationem ab Episcopo impetrarunt. Re autem ad Sac. hanc Congregationem per Anonymum delata, deceptum se in confirmanda Resolutione dicit Episcopus, tum quia = *unusquisque* (ex tribus illis Conservatoribus) *attestari non dubitat, se illi petitioni* (Dotalis subsidii) *nullimode adversatum fuisse, addebatque, quod si forte aliter factum videri posset, id errore potius, quam voluntate contigisse* = tum quia = *asseveranter mihi affirmarent omnes, liberam facultatem Sodalibus esse Nobili alicui Puellæ Dotem pro arbitrio conficiendi* =.

Præ

Præ ceteris hinc refert, quod = *superiori tempore mos fuit Dotes non plus quinque in annum conferre, quarum quæque ex scutis 4. 44. 1. conficiebatur. His vero temporibus, & plures dari consuevit, & lautiores, ut non semel ad summam scutor. 20., aliquando etiam 30. nonnullæ pervenerint; quæ res, si ut ire cepit, procedat, dolendum quod nihil in posterum pecuniæ supererit, quæ in novas, & inopinatas necessitates, easque urgentiores erogetur* = Unum præterea, & alterum memorat casum, in quibus constituta semel fuit spiritualis Dos scutorum 200., iterumque ex Beneplacito Apostolico scutorum 300.. Et in hæc tandem verba prolixam suam Informationem concludit = *Quærendum remanet, num etiam ex fructibus Societati propriis tanta pecuniæ summa Puellæ Biscaccianti in Dotem dari poterat, ut in matrimonium seculare collocetur &c.. Ego quidem etsi nec valde utile, nec satis æquum existimem, novam hanc, & insolitam viam aperire, quæ infirmi ordinis Hominibus non leve detrimentum importaret &c. tamen si rei familiaris aliquas angustias considero, in quibus hæc, de qua sæpe dixi, Familia versatur, si bonam fidem, qua confectum, & expeditum hoc totum negotium est, si Dotis possessionem, quam retinet Nobilis hæc Puella, si Dotem ipsam non ex numerata pecunia, sed ex difficilibus potius Debitorum nominibus constitutam, hæc omnia si considero, aliquam videntur mihi indulgentiam Vestram, Emi Patres, poscere ac implorare*.

Tribus igitur concordatis Dubiis, acriter hac de re contra Brancutium reliqui Conservatores contendunt. Liberum *quoad primum* jactant arbitrium assignandi Dotes in minori, vel majori quantitate juxta conditionem Puellarum, & Sodalitii vires; idque ex immemorabili consuetudine, de qua Clemens VII. in præcitato Brevi. Hanc autem probant consuetudinem ex diversis illis Dotibus scutorum quatuor, viginti, triginta, biscentum, tercentum, de quibus loquitur Episcopus. Usu etiam pro legitimis haberi ajunt Consilia, quibus tres aut quatuor intersunt Conservatores, pluraque in id ex Libris Consiliorum ab anno 1622. ad annum 1784. adducunt exempla, nec dubitandum affirmant de legitimis resolutionibus, ubi major interessentium pars convenerit, *Scarfant. Lucubrat. Canon. lib. 4. tit. 2. num.* 33. *Ferrar. Biblioth. verb. Confraternitas art. 6. num.* 23. Arbitrium tandem disponendi de Dotibus pro matrimoniis etiam carnalibus ex ipso desumunt Clementino Brevi, in quo mentio fit de Dotibus in genere, & ex dispositione Hectoris Felici, ex qua

Sess.22. cap. 6. de Reform.

CALLIEN. SUBSIDIORUM DOTA
litium est Callii sub titulo S. Mariæ d
cujus Reditus in Brephotropium , Hospi
chium , Eleemosynas , Dotes ex instit
spositionibus erogantur. Annua ei sunt sc
ta , eaque ex tribus Bonorum speciebus
Bonis scilicet ipsius Sodalitii pro summa
ex hæreditariis Bonis Hectoris Benedicti
ma scutorum 130. , aliisque Joannis Ant
reliquis scutis 30. Originarii Sodalitii Re
nia converti debent charitatis , & miser
quorum paullo ante memini , ut narrav
in Brevi , quo erigi prohibuit Xenodoc
sticum Beneficium . Hæreditarii Hectori
sunt ex pia illius dispositione = *nella piet*
poveri Religiosi Mendicanti , ed altri Po
ed una rata ad arbitrio delli Signori dodic
rum nempe) *in maritaggio di Zitelle*
sempre , ed in ogni caso le povere , e genti
stituirgli la Dote di Maritaggio , o Mona
qui vero Reditus Ranaldi in spirituales
possunt Dotes . Universa pia Opera du
strare deberent Viri , sed vix septem sun
tuor , aut quinque Consiliis intersunt .
Actum præ ceteris fuit in Consilio diei 25.
constituenda Nobili Puellæ Annæ Bisc
Dote , sive temporali , sive spirituali scu
nominibus Debitorum , quæ in summa
Sodalitium habet , intra sexennium tamen
ter ex quatuor congregatis Conservatori
nempe Brancuti , aperte protestatus fuit
mai per concorrere, ma anzi di ricorso in c
semel , & bis negativum dedit calculu
suffragati sunt pro dotali subsidio . His
missum Consilium accessit , qui contrari
fragium , initoque fædere , resolutionis
Episcopo impetrarunt . Re autem ad Sac

Præ ceteris hinc refert, quod = *superiori tempore mos f*
Dotes non plus quinque in annum conferre, quarum qu
que ex scutis 4. 44. 1. conficiebatur. His vero temporib
& plures dari consuevit, & lautiores, ut non semel
summam scutor. 20., aliquando etiam 30. nonnullæ per
nerint; quæ res, si ut ire cepit, procedat, dolend
quod nihil in posterum pecuniæ supererit; quæ in nova
& inopinatas necessitates, easque urgentiores erogetu
Unum præterea, & alterum memorat casum, in qu
bus constituta semel fuit spiritualis Dos scutorum 20
iterumque ex Beneplacito Apostolico scutorum 300.
In hæc tandem verba prolixam suam Informationem co
cludit = *Quærendum remanet, num etiam ex fructibus S*
cietati propriis tanta pecuniæ summa Puellæ Biscaccianti
Dotem dari poterat, ut in matrimonium seculare collo
tur &c.. Ego quidem etsi nec valde utile, nec sa
æquum existimem, novam hanc, & insolitam via
aperire, quæ infirmi ordinis Hominibus non leve d
trimentum importaret &c. tamen si rei familiaris a
quas angustias considero, in quibus hæc, de qua sæp
dixi, Familia versatur, si bonam fidem, qua confectu
& expeditum hoc totum negotium est, si Dotis possess
nem, quam retinet Nobilis hæc Puella, si Dotem ipsa
non ex numerata pecunia, sed ex difficilibus potius De
torum nominibus constitutam, hæc omnia si considero, a
quam videntur mihi indulgentiam Vestram, Emi Patres, p
scere ac implorare.
Tribus igitur concordatis Dubiis, acriter hac de re cont
Brancutium reliqui Conservatores contendunt. Liberu
quoad primum jactant arbitrium assignandi Dotes in m
nori, vel majori quantitate juxta conditionem Puellaru
& Sodalitii vires; idque ex immemorabili consuetudin
de qua Clemens VII. in præcitato Brevi. Hanc aute
probant consuetudinem ex diversis illis Dotibus scutoru
quatuor, viginti, triginta, biscentum, tercentum,
quibus loquitur Episcopus. Usu etiam pro legitimis hab

ſpirituales, & temporales Dotes alternative permittuntur. Reditus enim hereditatis Ranaldi, qui in ſpirituales tantum Dotes erogari debent, tenues ſunt, vixque ad annua aſcendunt ſcuta 30.

Abſolutam hanc poteſtatem erogandi majorem Redituum partem in Dotes præ viribus impugnat Brancutius. Præ omnibus enim ex inſtituto Sodalitii, ac diſpoſitione præſertim Felici curandi ſunt Projecti, Infirmi, Peregrini, Egeni. Quod reliquum eſt, converti valet in Dotes. Valde ergo, inquit, limitata eſt Conſervatorum facultas quoad dotalia Subſidia, nec aſſuetam ſummam ſc. 4. 44. 1., ſeu florenorum decem pro quolibet excedere licet, juxta verba illa Statutorum Societatis = *ogn'anno due Doti a due Zitelle povere, ed oneſte di fiorini dieci l'una* = Si quandoque vero Conſervatores a conſuetudine deſciverunt, abuſum appellat, & corruptelam, a qua Leges abhorrent; *Valent. de ultim volunt. vot.* 27. *num.* 136. *part.* 2. Neque ad ampliandam eorum facultatem trahi poſſe ait dotalia illa Subſidia ſcut. 200., & 300., de quibus mentionem facit Epiſcopus. Alterum enim ex his conſtitutum fuit cum Beneplacito Apoſtolico, quod Collatorum poteſtatem excludit, *Rota coram Falconerio tit. de ſolut. deciſ.* 26. *num.* 18., utrumque, ad differentiam controverſi Subſidii, pro matrimonio fuit ſpirituali, pro quo major quandoque permittitur liberalitas. Tanti demum faciendam non eſſe concludit Nobilium Puellarum prælationem a Felicio demandatam, ut data cenſeatur Conſervatoribus facultas decernendi illarum favore ampliores Dotes = *quæ* (ut inquit Epiſcopus) *infimi ordinis Hominibus non leve detrimentum importaret*.

Ad ſecundum tranſeuntes Dubium; legitimam Conſervatores dicunt reſolutionem, per quam largita fuit Puellæ Biſcaccianti Dos ſcutorum 600., quum major Suffragantium pars in eam convenerit. Licet namque proteſtatus fuiſſet Brancutius = *Che non ſarò mai per concorrere* = a ferendo tamen ſuffragio abſtinuit, quod omnem in reliquis Conſervatoribus decernendi poteſtatem conſolidaſſe affirmant ex *Tamburr. de Jur. Abb. deciſ.* 31. *num.* 3. (qui loquitur de Capitularibus abſentibus, non de intereſſentibus, & contradicentibus) Bonam inſuper exaggerant fidem, qua expeditum aſſerunt negotium; nec non approbationem Epiſcopi; promiſſionem Dotis ex redundantibus Sodalitii creditis; ac laicalem ipſius Sodalitii qualitatem, quaſi corrigi nequeat ejus factum ab Eccleſiaſtica Poteſtate.

Hæc vero Brancutius opponit. Negligi non poſſe ait ſuam pro-

protestationem, quum = *protestationes, quæ fiunt ante electionem operantur, ut electio maneat in pendulo. Si enim convincuntur justæ, cassatur electio* = ut per hæc verba monet *Piton. discept. Eccles.* 155. *num.* 56. *tom.* 4. Malam in asserta resolutione notat fidem ob extortam retractationem Conservatoris, qui negativum tulerat suffragium; falsamque narrationem, qua deceptus fuit Episcopus. Spectrum appellat credita, ex quibus promissa fuit Dos, quum teste Episcopo = *ea exigere aut difficile admodum est, aut omnino desperatum* = Sæpe pauperes alias Puellas ob defectum pecuniæ a dotalibus Subsidiis rejectas ostendit. Pauperum miseretur Infirmorum, quibus, eodem teste Episcopo = *præter malum diversorium, pejoremque lectum nil ultra dari, præstarique solet* = Neglectam probat necessariam urbanorum, & rusticorum Prædiorum reparationem, ac solutionem insignis debiti scutorum 755., quo Sodalitium gravatur. Falsum tandem inquit, quod exemptæ sint laicales Societates quoad administrationem ab Ecclesiastica Potestate. Contrarium enim declaravit Sacra hæc Congregatio *in Nucerina Paganorum* 23. *Junii* 1629. *lib.* 14. *Decret. fol.* 115. *terg.*, *in Perusina* 2. *Aprilis* 1650. *lib.* 19. *Decret. pag.* 205.

Quoad tertium denique, subeundas esse contendunt Conservatores expensas litis a Sodalitio, de cujus libertate in collatione Dotium agitur. Quænam vero, reponit Brancutius, Sodalitio utilitas ex promissa Dote? In ejus immo vergit damnum ob excessivam quantitatem, totumque compendium est Puellæ Biscaccianti, cujus gratia litem agunt Conservatores.

Dubia sunt.

I. *An, & quomodo Conservatoribus Societatis S. Mariæ Misericordiæ liceat assignare Dotes favore pauperum Puellarum etiam Nobilium, & in qua summa in casu &c.*

II. *An sustineatur assignatio Dotis facta a Conservatoribus dictæ Societatis favore Puellæ Biscaccianti in casu &c.*

III. *An, & cujus sumptibus conficiendæ sint expensæ litis in casu &c.*

Ad I. Dilata, & ad Emum Antonellum cum Episcopo juxta mentem facto verbo cum SSmo.

Ad II. Negative, & amplius.

Ad III. Affirmative propriis sumptibus Conservatorum, qui liti consenserunt.

SU-

Sess.24.cap.13. de Reform.

SUTRINA, SEU NEPESINA PAROCHIALIS. Duplex in hac Causa die 3. Februarii labentis anni propositum fuit Dubium; I. *An sit servanda unio exercitii Curæ Parochialis S.Mariæ in Cælum Assumptæ inter utrosque Parochos*. II. *An sit locus divisioni ejusdem exercitii pro æquali* = rescripsitque Sac. Congregatio ad primum = *Negative* = ad secundum = *Affirmative, & ad mentem*; quod uterque scilicet Parochus celebraret Missam pro Populo, & divisio non fieret per familias. Rectum EE. Vestrarum judicium accipit Archipresbyter Berti quoad primum Dubium, & ad celebrationem Missæ pro Populo, de qua in declaratione mentis ad secundum. De una queritur divisione Curæ pro æquali, rogatque, ut eam demandare dignentur Emi Patres ad formam Concordiæ anni 1767., quæ jam Parochiales functiones inter unum, & alterum Parochum distribuit.

Concordiam illam, ait, in actu Visitationis probavit Sutrinus Episcopus, cui ex *Sac. Concilio Tridentino sess. 24. cap. 13. de Reform.* potestas erat dividendi exercitium Curæ Parochialis, & assignandi = *unicuique suum perpetuum, peculiaremque Parochum* = confirmavitque divisionem in perpetuum expletam, ut innuere videntur verba illa = *ritrovandosi col TEMPO FUTURO la più estensione della Cura Rettorale; debbano esser salve le ragioni di d. estensione* = Nisi concludenter ergo Rector Silvestri majorem probet Curæ suæ extensionem, pro qua reservata fuerunt jura, servandam potius esse contendit jam expletam divisionem, quam novam ex integro fieri; quum approbari mereatur Concordia, ad componendas Parochorum dissensiones inita, nisi de illius injustitia doceatur, ut in similibus fere terminis censuit Sacra hæc Congregatio *in Derthonen. Transactionis* 10. *Septembris* 1785. *resoluta die* 20. *Maii* 1786., *iterumque di* 18. *Augusti labentis anni*.

Nedum autem, prosequitur Archipresbyter, injusta non demonstratur Concordia anni 1767., sed manifestam immo redolet æquitatem. Commodissima enim divisione distermiñata fuerunt Parochialia Territoria per Viam intersecantem Oppidum Trebonianum, nuncupatam *di mezzo*, quam exhibita monstrat Forma, ac dextera ipsius Oppidi pars versus Montem assignata fuit Rectori; sinistra, quæ vergit ad Lacum, Archipresbytero. Si recentibus credendum est Testibus, in eodem Parochiæ fuerant statu ante unionem, semperque idcircò benedicere

cere consuevit Archipresbyter in Sabbatho Sancto majoris hebdomadæ = *tutte le Case situate verso il Lago privativamente* = Rector vero = *l'altre Case posto verso il Monte* = Ex eo vero, quod amplior fuisset Parochia Archipresbyteri, fortasse evenit, ut unionis etiam tempore = *Tutte le Funzioni primarie, e solenni di Settimana Santa, di Pasqua, Natale, e simili sono state sempre di diritto, e si sono esercitate prelativamente, e pacificamente dall' Arciprete, senza la minima interruzione, e contrasto, anche dopo poste in comunione le Cure* = Eorumdem Testium sunt verba.

Nonnullas Rector proposuerat conjecturas, ut majorem Parochiæ suæ extensionem, Concordiæque injustitiam suaderet. Plura igitur ad eas diluendas differit Archipresbyter, illudque præ omnibus ponderandum obsecrat, num ad infringendam Concordiam, initam = *nella Sagra Visita, discusse tutte le differenze, avanti l'Illustrissimo Vescovo* = satis sint conjecturæ.

His perpensis, resumptoque Folio diei 20. Januarii labentis anni, respondere dignentur Emi Patres.

An, & quomodo sit standum, vel recedendum a decisis quoad secundum Dubium in casu &c.

In decisis arbitrio Episcopi, & amplius.

URBINATEN. TRANSLATIONIS MISSARUM. *Sess. 22. cap. 26. de Reform.*

Proposito in Congregatione diei 3. elapsi Martii Dubio = *An, & quomodo sit locus translationi in casu &c.* = Emi Patres rescripserunt = *Dilata, & scribatur juxta mentem, & mens est, quod Archiepiscopus referat, utrum translationi Missarum consentiat pro sua portione tertius Fra-*

Frater Joannes Baptista : an Missæ inserviant Incolarum commodo , diebus præsertim Festis;nec non de Loci distantia , & difficultate ; ob quam non inveniantur Sacerdotes ; & *an Oratorium sub titulo S.Marinæ situm sit intra limites Paræciæ Montis Albani , ad quam transferri petitur celebratio Missarum* = Ad hæc rescribens Archiepiscopus , nullum in Oratorio S. Mariæ adesse præmonet sepulcrum , jamque Benedictum , & Cosmam de Benedictis oratores ad redimendum Missarum onus , in divisione Bonorum Testatoris assumptum , certam pro unica vice Sacerdoti Michaeli Archangelo Cesaretti Montis Albani Parocho despondisse summam , alterum nempe scut.140. , & alterum scut.100. , dummodo Successorum etiam nomine celebrandi obligationem assumat . Immo addit , quod cum hæc paciscerentur = *opportuna Archipresbytero Cesaretti arrisit occasio Prædium favore suæ Ecclesiæ occupandi ære alieno pergravatum , ideoque ad Creditorum dimissionem enunciata scuta* 240. *pensitanda Rector sese offert , qua providentia intercedente , apposite Ecclesiæ fructus augere studet .*

His præmonitis, ita de reliquis refert . *Oratorium prædictum in campestri loco situm , duos tantum habet propinquos Incolas Prædii di Cal Conte &c. Haud procul aliud quoque erectum reperitur Oratorium B. Virgini Mariæ dicatum , in quo frequenter Festis , aliisque feriatis diebus Sacrum peragitur , & Vicinorum ita commoditati consultum . E contra in Oratorio di Cal Conte ob Sacerdotum carentiam , aliisque in præcedenti mea facti expositione deductis rationibus , nonnisi cum difficultate , ne dicam impossibilitate , Legatum Canonici Josephi Benedetti in Sacello S. Marinæ adimpleri valet . In vasta hac montuosa , & alpestri agrorum Regione vix unus aliquando Presbyter ad Parochialia officia exercenda recensetur , cui festivis diebus proprias Oves verbo , ac Sacramentis refocillandi vires suppetunt , easque deserere nefas est &c. , & Canonicus Benedetti , horum conscius , Missas centum reliquit , nulla illis designata speciatim anni die , neque Joanni Baptistæ cordi est , in dicto Oratorio easdem satisfieri , quin immo Benedicto, & Cosmæ Fratribus pro oneris translatione non adversatur . Si id contingat, nulla injuria Testatori , immo suffragium ex Altari privilegiato in Montis Albani existente Templo , nullumque incommodum Vicinis infertur . Expetitum igitur beneficium Oratoribus tribuendum esse videtur.Montis Albani demum Parœcia*

ræcia Sacello Sanctæ Marinæ milliarii intervallum vix adæquat.

Ad examen itaque redit dubium:

An, & quomodo sit locus translationi in casu &c.

Affirmative juxta Votum Archiepiscopi.

AUXIMANA CAPELLANIÆ. Duo in Congregatione diei 22. Martii 1755. proposita fuerunt Dubia; I. *An Joachim Sebastiani, cui per Decretum factum die 15. Aprilis 1752. a Sacra Congregatione fuit concessa retentio Capellaniæ laicalis, de qua agitur, in statu laicali, possit illam retinere etiam in statu conjugali in casu &c.* II. *An durante linea dicti Sebastiani nominatio tam activa, quam passiva spectet ad eamdem lineam in casu &c.* = Dilata vero resolutione, ut perquireretur, num laicalis Capellaniæ qualitas in primo Dubio supposita, declarata fuisset a Sac. Congregatione, responsum fuit die 26. sequentis Aprilis ad primum = *Pro gratia etiam in statu conjugali adimpletis oneribus ad formam Decreti* = ad secundum = *Recurrat in casibus particularibus.* Sess. 25. cap. 5. de Reform.

Secundo inhærens Rescripto, gratiam postulat grandævus Joachim nominandi in Capellanum successorem Hieronymum ejus filium conjugatum, eique sub fide Plebani Offaneæ Emus favet Episcopus. Hæc autem habet Plebanus = *l'Oratore già settuagenario, e cadente, è degno della Grazia, che a sua consolazione, e a necessario sostentamento della Famiglia umilmente chiede. Gode questa della Nobiltà di quella Terra, e consiste in cinque Persone, comprese le due Mogli dei due sopranominati* (Oratoris nempe, ejusque Filii Hieronymi] *ed un'altro Figlio dell'Oratore di 14. anni, da cui e per la scarsezza dei talenti, e per l'impotenza di mantenersi agli studj fuor del Paese, non può sperarsi lo stato Sacerdotale. Può farsi ancora più numerosa per la sopravenienza delli Nipoti dell'Oratore, e non pertanto è si povera nel suo sta-*

to, che vive tutta delle Rendite di tal Cappellania, non avendo di libero, quanto basti a vivere un mese.

Num res sit de Capellania mere laicali, judicare poterunt Emi Patres ex hisce Fundatoris verbis = *dichiarando espressamente volere, ed intendere, che questa sua disposizione circa l'erezione di Cappellania non sia formale erezione di veruna Prebenda, o Beneficio, ma pura elemosina, che intende lasciare per l'Anima sua, de suoi &c.* = quibus prisca accedit resolutio Dubii, in quo laicalis illius qualitas supponebatur. Qualibet autem destituta est spiritualitate laicalis Capellania, & nedum a Laicis conjugatis, sed ab ipsis etiam Infantibus, & Fœminis retineri potest, *Rigant. ad Reg.* 58. *Cancell. num.* 54., *Pitron. allegat.*33. *n.*1., & 2., & *Sac. hæc Congregatio in Urbevetana* 11. *Decembris* 1784.

Fallit quidem hæc regula, ubi expressa, vel tacita resistit Testatoris voluntas, *Rigant. loc. citat.*, *Card. de Luca de Benefic. disc.* 61. *num.* 4.. Haud enim repugnat, laicalem diversis respectibus esse Capellaniam, & quoad personas nominandas ecclesiasticam, *Cæs. de Graff. decis.*114. *de Præben. per tot.* Sed hoc videndum, an versemur in terminis limitationis. In prima Oratoris nominatione legem dixit Testator, quod si in erigenda Capellania neque Sacerdos, neque in Sacris Ordinibus esset, Reditus omnes Plebanus Offaneæ perciperet, ejusque favore studiorum causa erogaret; si ad Sacros vero Ordines ascendisset, eos ipse consequeretur, & per alium Capellanum onera adimpleret. Atque hinc addidit = *Morto poi, che sia il Signor Gioacchino Sebastiani primo Cappellano nominato, o pure non volendosi far Prete; o entrato in Sacris non volendo ritenere, ed esercitare detta Cappellania, si nomini il Cappellano Successore* = Quoties igitur ex hujusmodi dispositione volita censeretur ecclesiastica qualitas in Capellano statim concedi non deberet Capellania Laico conjugato contra iterata Sac. Congregationis Decreta *in Reatina Capellaniæ* 22. *Septembris* 1714., & 9. *Februarii* 1715. *lib.* 64. *Decret. pag.* 387., & *in Balneoregien.* 29. *Julii* 1775.

Hæc tamen favore Oratoris, ejusque filii Hieronymi adverti possent. In eorum præsertim Familiæ commodum Capellaniam Fundavit Testator, quum dictitare soleret, hereditatem suam in beneficium Consanguineorum (quales erant Sebastiani) cessuram fore. Jus eidem Familiæ reservavit nominandi Capellanum, ac verisimiliter etiam ejus

ejus Conjugatos ad Capellaniam vocasset, si tantum decursu temporis non habere prævidisset = *quanto basti a vivere un mese* = Exemplo tandem est Gratia anni 1752., cui addita fuit ulterioris indulgentiæ spes per Rescriptum = *Recurrat in casibus particularibus* = Dum hæc vero Emi Patres advertunt, ponderare etiam dignentur, num petitam impediat Gratiam existentia alterius cœlibis Filii Oratoris, licet ob tarditatem ingenii, Familiæque paupertatem ascendere nequeat ad Sacerdotium.

Definiendum itaque est ab EE. Vestris.

An sit concedenda Joachimo Sebastiani facultas nominandi Hieronymum ejus filium conjugatum in Capellanum successorem in casu &c.

Affirmative prævia dimissione.

ALEXANDRINA. Antonius Buffa Gamalerii Parochus, Testamento erigi jussit anno 1687. in Parochiali sua Ecclesia laicale Beneficium, cum onere trium hebdomadalium Sacrorum ad Sacellum SS. Josephi, & Francisci de Paula hæredibus imperatum, eique in dotem assegnavit Fundos modiorum 21., & ultra, reservato suis Fratribus, eorumque Descendentibus activo Patronatu. Adeo tamen decursu temporis imminuti sunt Fundi, ut parum nunc modios novem excedant, reliquis a præterlabente Flumine Burmida paullatim ablatis. Jamdiu hac de causa reducta fuerunt juxta illorum Reditus Sacra ad manualem; sed quo tempore, & qua auctoritate, ignoratur. Vix enim hujusce reductionis mentio fit in libro onerum Missarum præd. Parochialis, cui adscriptus est annus 1731.. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

Præsentatus nuper ad hoc Beneficium fuit adolescens Joseph Buffa, qui in Alexandrino degit Seminario. Eum vero a possessione terret tenuitas eleemosynæ ad manualem, quæ obulorum est 13. cum dimidio, oratque, ut ad julios duos augeatur. Assentiuntur Patroni. Vicarius favet Capitularis. *Beneficii*, inquit, *tenuis census est; impensas non paucas postulat, antequam ad illud nominatus, ac præsentatus possessionem ejus adipiscatur, nullum parit commodum possessori sive adhuc Clerico, sive*

jam Sacerdoti, ubi sit infirmus, aut aliter per se ipsum celebrare non valeat, eoque minus si ad illud præsentatus opus habeat, prout habet Orator, Beneficii adminiculo ad titulum sibi pro Ordinatione constituendum = His addit, quod facili negotio reductionem obtinuisset Oratoris Decessor a defuncto Episcopo, cui ex Rescripto San. Mem. Clementis *XIII.*, per organum Sacræ Congregationis expedito, facultas erat reducendi Missas ad julios duos si eum rogasset; & ita concludit = *æquum autem videtur, ut quod hic* (a Familia Fundatoris extraneus) *favore sui, ac suorum in Beneficio successorum a præfato Antistite Apostolico Delegato, forte quia Pontificii Indulti nescius, non obtinuit, hoc Orator a Familia Fundatoris descendens, ab illoque prædilectus, eoque magis propter tenues Parentum suorum fortunas Beneficii censu indigens ad partem Tituli, quo promoveatur ad Ordines, sibi constituendam assequatur*=Indulgendum nec ne sit Oratori, sub infrascripto quæritur Dubio.

Regula in hac Sac. Congregatione invaluit, ut perpetua Missarum onera ante acceptationem ad taxam perpetuæ, post ad manualem reducantur. Ita pluribus aliis collectis Responsis *in Fanen. Reductionis Missarum* 14. *Februarii* 1761. Quandoque tamen ab hac regula justis de caussis discessit, ac post acceptationem etiam taxam perpetuæ amplexa est, ut in *Albinganen.* 12. *Decembris* 1778. *in Anconitana Missarum* 16. *Martii*, *resoluta die* 20. *Aprilis* 1782., in qua agebatur de perpetuo Missarum Legato, ab anno 1627. ad annum 1768. observato, & tamen proposito Dubio = *An, & quomodo sit locus reductioni pro Missis futuris* = Sacra Congregatio respondit = *Affirmativè juxta Votum Eminentissimi Episcopi* = qui reductionem ad taxam perpetuæ ob. 17. ½ ob imminutos Reditus proposuerat. Idemque observatum fuit *in Parmen.* 6. *Maii elapsi anni ad I. Dubium*.

Videndum itaque erit, num ob peremptos ultra medietatem Fundos Beneficii, locus potius sit in nostro themate limitationi; & an regula, quæ æquitatis plena est in simplicibus Missarum Legatis, in quibus ad solum suffragium Fundatores respiciunt, congrua etiam sit in Beneficiis, in quibus nedum suffragia, sed decentem etiam considerant Beneficiati exhibitionem, onerumque compensationem, ac diurnæ præsertim recitationis Officii, ut monent *Amostaz. de Caus. Piis lib.* 2. *cap.* 4. *numer.* 31., *Piton. de controv. Patron. allegat.* 67. *num.*9. Quo vero ad non usum facultatis, qua Defunctus Episcopus

pus reductionem concedere potuisset, notandum est, delegatam potestatem reducendi onera Missarum ad ea non extendi, quae ex contractu, vel quasi, ut sunt illa imposita in fundatione Beneficii, proficiscuntur. Ex amplitudine forsan Indulti censuit olim Sacra Congregatio, hæc etiam onera sub datis facultatibus comprehendi, ut in *Ordinis B. M. V. de Mercede* 8. *Julii* 1724. *lib. Decret.* 74. *pag.* 226; *& in Congregationis S. Bernardi* 19. *Augusti ejusdem anni ibid. pag.* 341., contrarium tamen, antiquioribus, & recentioribus collectis ipsius Congregationis responsis docet *Benedict. XIV. de Synod. Diœces. lib.* 13. *cap. ult.* §. 26..

Sedulam postremo EE. Vestrarum animadversionem merentur Patronum consensus, ac Oratoris descendentia a Familia Fundatoris. Sæpe enim favore Beneficiati de Familia mutatus est celebrationis locus: sæpe concessum ut ante legitimam ætatem Beneficio frueretur: sæpe, ut Beneficii Reditus, suspensis Missarum oneribus, in levamen paupertatis converteret, ut in *Asculana Dispensationis* 20. *Maii elapsi anni*. Atque in id expendi etiam debent postrema illa Vicarii Capitularis verba, quod Orator = *propter tenues Parentum suorum fortunas Beneficii censu indiget ad partem Tituli, quo promoveatur ad Ordines*.

Vestrum itaque erit, Eminentissimi Patres, decernere.

An sit locus reductioni eleemosynæ Missarum ad julios duos pro qualibet in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

MELEVITANA IRREGULARITATIS. Adeo vehementer Sacerdos Philippus Borg rixantem Philippum Hasciac ligno percussit, ut paullo post decesserit. Eum hac de causa in exilium ad sexennium egit Episcopus a Diæcesi, damnavitque ad refectionem damnorum, & interesse. Rem Occisor per solutionem scutorum 818. & tarenorum 9. Melitensis monetæ cum heredibus Occisi composuit, & in exilium abiit. Sacram hanc Congregationem post annum a patrato delicto rogavit pro dispensatione ab irregularitate. Quæ hactenus dicta sunt *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

con-

confirmavit Episcopus, retulitque, neque eum ex criminali inquisitione auctorem rixæ compertum fuisse, neque deliberatum occidendi animum habuisse, & in hæc conclusit verba = *Pars igitur per Transactionis Instrumentum jam præ manibus habet recensitam summam ratione damnorum, & interesse, & Fiscus etiam est integre satisfactus. Quamobrem cum d. Sacerdos ante patratum delictum honeste semper vixerit, ac post diutinam carcerationem exulaverit, exoptatam ab irregularitate dispensationem ipsum promereri putarem* = At die 14. Decembris 1782. EE. Vestræ rescripserunt = *Supplicet expleta poena* = Transacto igitur exilii quinquennio, iterum supplicat pro dispensatione, iterumque hæc habet Episcopus = *Cum a tempore latæ Sententiæ honeste huc usque semper vixerit, bonæque vitæ exemplum præbuerit, exoptatam ab irregularitate dispensationem ipsum promereri putarem*.

Ad excitandam EE. Vestrarum clementiam, præ omnibus memorat Orator Sacerdotalem suam qualitatem. Licet namque irregularis sit ex dispositione *Cap. suscepimus* 10. *de homicid. voluntar.*, non comprehenditur tamen sub gravissima *Sacri Concilii Tridentini* censura. Loquitur porro *Sancta Synodus sess.* 14. *cap.* 7. *de Reformat.* de Clerico homicida ad Sacros Ordines promovendo, præcipitque, ut = *nullo tempore ad Sacros Ordines promoveri possit* = non item de promoto, quem ab eadem censura immunem declaravit Sacra hæc Congregatio anno 1613., ac Summus ipse Pontifex, qui resolutionem probavit, teste *Fagnan. in lib.* 5. *Decretal. Cap. Henricus de Cleric. pugnan. in duell. num.* 23., & *duob. seqq.*. Ex antiquo autem Jure sublata non est dispensationis spes promoto, *Hostien. in Cap. sicut de homicid:*, ac facilius ei indulgetur, ne mendicare cogatur, *Cap.* 2. *de Cleric. pugnan. in duell.*. Pluraque sunt hujusce dispensationis exempla *in Cassanen. Irregularitatis* 14. *Decembris* 1748., *in Bracharen. Irregularitatis* 3. *Aprilis* 1756., & *Ugentina Dispensationis ab Irregularitate* 14. *Februarii*, *resoluta die* 14. *Martii* 1778.

Ponderandum insuper orat, se = *animum deliberatum occidendi non habuisse* = ut in prima Informatione retulit Episcopus, ideoque ex illis non esse, qui homicidium, juxta Tridentinam Sanctionem, *per industriam, insidias, & sua voluntate* patraverint. Procliviores hac de causa EE. Vestras in concedenda Gratia auguratur, similesque allegat casus *Muranæ Irregularitatis* 12. *Martii*

tii 1763., *& Terracinen.* 10. *Maii* 1766. *utrobique ad II Dubium*, Magna rursus pecuniæ vi compositos ostendit heredes Occisi, pleneque per Implementum pænæ satisfactum Fisco, quod plurimi Sacra Congregatio ad concedendam irregularitatis dispensationem fecit *in Agrien. Irregularitatis* 10. *Martii*, *resoluta die* 31. *ejusdem Mensis* 1770.. Honestam quoque, testimonio Episcopi, tam ante quam post patratum delictum probat vitam; ac in eo tandem confidit Rescripto = *Supplicet expleta pœna* = quo ei EE. Vestræ spem Gratiæ dedisse videntur.

Quæritur ergo.

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu &c.

PERUSINA CAPELLANIÆ. Pius Sacerdos Floravantes de Leonoris fundavit anno 1633. Ecclesiasticam Capellaniam in Oratorio Societatis S. Francisci Disciplinantium Oppidi Marsciani cum hebdomadali trium Sacrorum onere, nominavitque Sacerdotem Tullium Isidorum de Saragnano in primum Capellanum. Activum Patronatum Marscianæ detulit Communitati, jussitque, ut eligeretur = *Sacerdos bonæ conditionis*, *bonisque vita*, *& moribus prædiitus* = ac præ omnibus = *Sacerdos de Familia*, *& Consanguinitate &c.*, *ut Consanguinei sui incitentur ad bene agendum*, *& Ordinem Sacerdotalem assumendum* = Si muneri vero Capellanus deficeret, eligi mandavit = *alium Sacerdotem conditiones prædictas habentem*. *Sess.* 25. *cap.* 5. *de Reform.*

In novissima huiusce Capellaniæ vacatione præsentavit Communitas Sacerdotem Aloysium Narducci. At per Sententiam Perusini Episcopi institutus ad eam fuit anno 1778. Clericus Josephus Sesti Fundatoris consanguineus. Quousque hic ad Sacerdotium ascendere posset, a prosequenda lite Communitas abstinuit. Ubi eum vero ad legitimmam perventum ætatem, Perusinoque Foro addictum vidit, alterutrum ab hac Sacra Congregatione postulavit, vel illius remotionem a Capellania, vel termini

mini præfixionem ad assumendum Sacerdotium, prodiitque die 11. Septembris 1784. Rescriptum pro informatione, & voto = *transmissa nominatione, audito Clerico, eidemque præfixo termino ad docendum sua jura in Sacra Congregatione, nec non de ætate, & aliis requisitis ad Sacerdotium necessariis* = Quadraginta dierum terminum Sestio præfixit Episcopus ad deducenda jura, retulitque de Clericali, ejus Tonsura, Habitu, moribus, & vigintiquatuor annorum ætate. Nominationem vero transmittere non potuit = *cum absque nominatione Communitatis vigore supradictæ Sententiæ Capellaniæ possessionem adeptus fuit* = Apponi fecit Sestius cor. Sacra Congregatione assuetum *nihil transeat*, sed Capellaniam possidens, jura sua per biennium, & ultra deducere neglexit. Ægre igitur ulteriorem ferens moram, proponit tandem Communitas, eo citato, & contumace, infrascripta Dubia.

Expressam prælationem habent ad controversam Capellaniam Consanguinei Fundatoris, qualem se coram Perusino Episcopo ostendit Sestius. Videndum tamen, num Sacerdotalis qualitas, in iis etiam volita, intelligenda sit *actu*, vel *habitu*, ut in primo quæritur Dubio. Si *actu*, claudicare posset Sestii institutio. Sacerdotis nomen simplici etiam convenit Clerico, qui potentiam habet ad Sacerdotium, *Piton. de crntrov. Patron. allegat.* 17. *num.* 3. Appellat tamen Sacerdotem *actu*, si ipsum respicit præsentationis, institutionis, vel collationis actum, si dixerit nempe Fundator = *eligatur, præsentetur, vel instituatur Sacerdos* = *Fagnan. in lib.* 1. *Decretal. Cap. Ut Abbates de ætat., & qualit. num.* 54., *& seqq.*, *Barbos. de jur. Eccles. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 33., *Lambertin. de Jurepatr. part.* 1. *lib.* 2. *quæst.* 7. *art.* 29., *Garz. de Benefic. part.* 7. *cap.* 1. *num.* 81., *Ferrar. in Biblioth. verb. Capellania num.* 32., *& seqq.* Nec facile ab hac regula in dispositione Hominis disceditur, *Abb. in Cap. Cum in cunctis §. Inferiora num.* 10. *de Elect.*, *Card. de Luc. de Beneficiis disc.* 96. *num.* 18. His antem usus fuit verbis Floravantes de Leonoris = *eligatur Sacerdos bonæ conditionis* = iterumque = *in eventum, in quem ullo unquam tempore adesset aliquis Sacerdos de Fomilia, & Consanguinitate, voluit præferri, & eligi illum* = ac tertio tandem, quod = *si Cappellanus voluntatem dicti Domini Floravantis non adimpleret, alium Sacerdotom conditiones præd. habentem ipsa Communitas eligat* =.

Pon-

Ponderandum insuper rogat Communitas, quod imperativa illa verba = *eligatur Sacerdos* = *eligat* = adhibuit Sacerdos, qui = *bene callens hujusmodi vocabuli* = *Sacerdotis* = *significationes*, *&* *distinctiones* = nonnisi de *actu* Sacerdote cogitasse censetur, *Card. de Luc. de Benefic. discurs.* 61. *num.* 11., & *disc.* 96. *num.* 14. Ceterisque levioribus omissis argumentis, observantiam urget Fundatoris, qui in ipso fundationis limine Sacerdotem nominavit. Plurimi enim hujusmodi observantiam ad arguendam qualitatem *actu* Sacerdotalem faciunt *Card. de Luc. de Benefic. disc.*61. *n.*13., & *Constant. Vot.* 306. *num.*6. Atque hinc concludit, quod nullum jus esset Sestio, licet consanguineo, ut ad Capellaniam *actu* Sacerdotalem in Clericali statu institueretur, *Fargn. de Jurepatr. part.*2. *cas.*14. *num.*10., *Card. de Luc. de Benefic. disc.*61. *num.*13. *in fin.*

Advertere tamen dignentur Emi Patres, permissam esse Capellano celebrationem Missarum per alium his verbis = *cum onere, quod dictus perpetuus Capellanus teneatur, & obligatus sit celebrare, vel celebrari facere &c. ter in qualibet hebdomada pro Anima ipsius D. Floravantis &c. Missam* = Ex antiquis Sacræ Congregationis Resolutionibus docet *Fagnan. in cit. Cap. Ut Abbates de ætat.*, & *qualit. num.*60. =, quod = *stat bene simul, ut Capellanus debeat esse Sacerdos, & nihilominus Missas celebrare possit per substitutum* = Contrarium vero censuit Sacra ipsa Congregatio *in Anconitana Capellaniæ* 12. *Junii* 1762. Res erat de Capellania asque onere celebrandi per se ipsum. Ad eam concurrebant Clericus annorum 13., & Sacerdos Fundatoris consanguinei. Opus erat Clerico, qui a majori Patronorum parte nominatus fuerat, dispensatione ætatis, & tamen proposito Dubio = *An, & quæ supplicatio sit relaxanda* = responsum fuit = *Relaxandam esse Supplicationem Aloysii* (Clerici nempe) *& amplius*. Non desunt præterea Doctores, qui in Beneficiis etiam *actu* Sacerdotalibus sufficientem dicunt in Consanguineo habilitatem proximam ad Sacerdotium, ad illud nempe assumendum intra annum, teste *Ferrar. in Biblioth. verb. Capellania num.*23. Sed deliberandum erit, num eorum Sententia prodesse valeat Sestio, qui idoneus non erat institutionis tempore ad assumendum Sacerdotium intra annum, & num habilitas superventa nocere valeat Narduccio, qui eo inhabili, præsentatus fuit.

Potissimum vero insistit Communitas secundo Dubio, ul-

troque Capellaniam permittit Sestio, dummodo quamprimum ad Sacerdotium ascendat, praefixo ad id per EE. Vestras termino. Si *actu*, inquit, Sacerdotalis non est Capellania, erit saltem *habitu*, nunquam tamen Clericalis. Undique enim fundationis Instrumentum resonat Sacerdotis nomen, quod non aliter ex demonstratis convenit Clerico, quam ob potentiam ad Sacerdotium. Expressam immo ostendit Fundatoris voluntatem, ut Sacerdotium Consanguinei assumant, dum eos praefert = *ut incitentur ad Ordinem Sacerdotalem assumendum* = jamque Sestium excessisse memorat legitimam aetatem, ut ad eum quanto citius assumendum Ordinem compellatur. *Lotter. de Re Benefic. lib.*2. *quaest.*47. *num.*20.

I. *An Capellania, de qua agitur, sit Clericalis, seu potius, actu, vel habitu Sacerdotalis in casu &c.*

Et quatenus sit actu, vel habitu Sacerdotalis.

II. *An, & quomodo sit providendum in casu &c.*

FINIS.

INDEX

INDEX
RESOLUTIONUM,

Quæ prodierunt in Causis in Sac. Congregatione Concilii propositis anno 1787.

A

B

C

De

F

G

I

L

Le-

Permu-

I N-

INDEX CONCLUSIONUM:

Quæ adnotatæ sunt in foliis Causarum anni 1787.

COM-

DOS.

ECCLESIA.

ELECTIO.

ELEEMOSYNA.

EMOLUMENTUM.

EMPHYTEUSIS.

INDULTUM.

INSTITUTIO.

INTERDICTUM.

INVESTIMENTUM.

IRREGULARIS. IRREGULARITAS.

JUBILATIO.

JUS.

JUSPATRONATUS

LEGATUM.

LEX.

Suffi-

RATIO.

RECTOR.

REDDITIO RATIONIS.

REDUCTIO.

RELIQUIÆ.

RESIDENTIA.

RESOLUTIO CONSILIARIS.

Et

FINIS.

THESAURUS RESOLUTIONUM SAC. CONGREGATIONIS CONCILII

Quæ consentaneè ad Tridentinorum PP. Decreta aliasque Canonici Juris Sanctiones

MUNUS

SECRETARII EJUSDEM SAC. CONGREG.

OBEUNTE

R. P. D. JULIO GABRIELLIO

Prodierunt in Causis sub annum 1788.

PROPOSITIS

Episcopis, eorumque Vicariis, Causarum Patronis, ac aliis in Ecclesiastico Foro versantibus apprimè utilis, ac necessarius.

TOMUS LVII.

TRIPLICI

INDICE LOCUPLETATUS.



ROMÆ MDCCLXXXVIII.

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

INDEX
ALPHABETICUS CAUSARUM

Quæ in Sac. Congregatione Concilii propositæ fuerunt anno 1788. per Diœceses dispositus.

FINIS.

Die Sabbathi 19. Januarii 1788. in Palatio Apoſtolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

PRiores tres, quæ ex ordine ſequuntur Cauſæ, ſub judice remanſerunt in noviſſima Congregatione diel 15. Decembris elapſi anni. Reſumere igitur dignentur Eminentiſſimi Patres præcedens Folium, ac infraſcripta Dubia reſolvere.

ALEXANDRINA.

An ſit locus reductioni eleemosynæ Miſſarum ad julios duos pro qualibet in caſu &c. *Seſſ. 25. cap. 4. de Reform.*

Affirmative ad vitam Oratoris.

MELEVITANA IRREGULARITATIS.

An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro Diſpenſatione in caſu &c. *Seſſ. 14. cap. 7. de Reform.*

Affirmativè, dummodo non celebret in loco patrati criminis.

eff. 25. cap. 5. e Reform.

PERUSINA CAPELLANIÆ.

I. *An Capellania, de qua agitur, sit Clericalis, seu potius actu, vel habitu Sacerdotalis in casu &c.*

Et quatenus sit actu, vel habitu Sacerdotalis.

II. *An, & quomodo sit providendum in casu &c.*

Ad I. esse sacerdotalem & actu & habitu.

Ad II. præfigendum esse terminum ab Episcopo unius anni ad assumendum Sacerdotium Sessio.

eff 24 cap. 12. Reform.

NARNIEN. SERVITII CHORI. Dilata iterum atque iterum fuit hujus Causæ definitio, die scilicet 3. Martii elapsi anni, ut *de qualitate utriusque Ecclesiæ, & de Reditibus singulorum Canonicatuum* Episcopus referret, ac die 24. Novembris, ut nova Canonici, si quæ habent, post novam Episcopi Informationem deducere possent jura. Quid novi modo allaturi sint, ignoro. Ex circumferendis igitur eorum Scriptis, ac præcedentibus Foliis dignabuntur Eminentissimi Patres respondere.

I. *An Decreta Episcopi Narniensis lata in Visitatione dierum* 18. *Septembris* 1780., *&* 21. *Septembris* 1783. *sint exequenda in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An, & quomodo sit locus reductioni onerum in casu &c.*

Ad I. Affirmative demptis diebus ferialibus tempore Adventus, & Quadragesimæ, & amplius.

Ad II. Negative, & amplius.

Sess. 25. cap. 4. e Reform.

ROMANA LEGATI. Duplici Testamento dierum 17. Augusti 1633., & 19. Januarii 1650. duplex Laurentius Bacci Ciarpi reliquit Legatum Societati Sacrorum Vulnerum Christi erectæ in Ecclesia S. Philippi Nerii ad Viam Juliam, scutorum 150. cum onere hebdo-

domadalis Sacri unum, & Loci Montis Subsidii quartæ erectionis alterum cum leviori onere Sacri in singulos menses. Si credendum est Officialibus Societatis, tradita hæc Legata fuerunt post diuturnam litem anno 1657., non in quantitate, & specie relicta, sed in duobus Locis Montis Communitatis secundæ erectionis absque expresso celebrationis Missarum vinculo. His extractis, aliisque comparatis Locis Montis Restaurati primæ erectionis, passa fuit Societas anno 1693., sive 1696. subhastationem novissimi Investimenti pro peculiari ejus debito. Qua de causa omissum fuerit ab acceptis Legatis hebdomadale Sacrum, quod in perlustrandis nuper Societatis libris compertum est, ac unum celebratum fuerit menstruum, ignoratur. Id centum triginta annorum beneficio ex justo aliquo titulo factum dicunt Officiales, rogantque pro absolutione quoad præteritum, & exemptione ab onere hebdomadalis Sacri quoad futurum.

Hæc de centenaria consuetudine habet Eminentissimus Urbis Vicarius. *Vereor*, inquit, *aliquantulum, nè in re tanti æstimanda, quantum refert, Deo non surripi Sacrificia, Mortuisque servari suorum piacula peccatorum, longæva isthæc consuetudo, eaque nullis innixa actibus, nisi, ut ajunt, negativis, vires amittat suas; præsertim quum nulla in id exeratur causa, cur idem onus fuerit excussum, neglectumque in ipso sui initio, eaque tempestate, qua honorem, seu reditum ambobus oneribus attributum, parem, aut saltem non valde imparem utrique oneri universim ferendo fuisse cognoscimus* = & hæc de afferta ignorantia hebdomadalis Sacri = *Vim fateor, nec sane parvam, mihi inde fieri, quod Testamentum ipsum, quo ambo continentur Legata* (non unum, sed bina sunt Testamenta) *sive ob litem super iis cum Testatoris hereditate diu actam; sive ob illorum executionem ab iisdem Heredibus cautius certe, ne dicam invidentius propterea susceptam. sive ob ejusdem Testamenti transitum usque ad Oblatas Moniales S. Philippi Nerii; sive ob primam solemnis Tabellæ compactionem, illiusque annuas consecutas exhibitiones apud Sacræ Visitationis Tribunal, sive ob alias denique causas, non Sodalibus modo, sed & externis plurimis non potuit, quin notum compertumque fuerit; ut proinde onus ipsum eo Testamento tam dilucide, distincteque comprehensum, non temere potuisse videatur aut errore ullo, aut oblivione intercidere, aut fraude doloque intercipi, aut sine justa tandem causa, legitimaque auctoritate deleri.*

Quantum sane ad exemptionem a futura hebdomadalis Sa-

cri celebratione, centenariam Officiales urgent illius omissionem. Nemo quidem centenariæ vim ignorat, quisque scit, justum ex ea titulum, & Apostolicum etiam Beneplacitum præsumi, *Piton. de contr. Patron. allegat.* 36. *num.* 22., sed qualis illa sit, cui Officiales insistunt, Eminentissimi Patres advertant, In neglecta consistit Sacri celebratione, & sic in actibus *negativis*. Non inducitur autem ex hisce actibus observantia, nisi interesse habentium scientia, & patientia præcesserit, *Felin. in Cap. Cum accessisset num.* 26. *de Constit.* Heredibus Laurentii Bacci, & Sac. Visitationis Congregationi intererat, ut adimplerentur Legata. Neutris tamen compertam fuisse constat hebdomadalis Sacri omissionem, neutros eam permisisse. Verum hæc esse potuerunt hujusce consuetudinis initia. Vix bina pro utroque Legato consequuta fuit Societas Loca MM., sed detracta etiam biennis litis expensa, tantum fortasse non superfuit, quantum utrique sufficeret oneri. Verisimiliter ergo ad eam tantum reductæ fuerunt Missæ, quæ ab initio, ac per centum & ultra annos celebrata fuit.

Præter negativos ex diuturno temporis lapsu, affirmativos etiam proferunt actus. Vix, inquiunt, translatis favore Societatis Locis Montium, egerunt Sodales die 10. Martii 1658. in particulari eorum Congregatione de impetranda a Vicesgerente Urbis licentia accipiendi Loca illa cum simplici enuntiatione oneris unius Sacri in singulos menses. Ab hoc uno deinde Sacro, post passam Locorum MM. subhastationem non celebrato, absolutionem implorarunt anno 1734. a Clemente XII. Ac unum tandem menstrui Sacri onus in antiquiores, & recentiores Tabellas, Missarumque Libros ab anno 1708. retulerunt. Sed ponderandum est, an hi omnes actus, arbitrarii potius sint, & facultativi, ex quibus nec immemorabilis prodest, *Fagnan. in Cap. Cum ad Monasterium numer.* 37. *de stat. Monach. Valen. de Re Eccles. discept.* 4. *num.* 119., *Trombat. de effect. immem. quæst.* 11. *numer.* 121.

Quantum vero ad præteritam omissionem, non raro Sacra hæc Congregatio ob bonam omittentis fidem Sanctissimo consuluit pro absolutione, ac præsertim *in Reatina Reductionis Missarum* 24. *Martii elapsi anni ad II. Dubium*. Hoc tamen videndum, num Sacrorum Vulnerum Sodales in bona fuerint fide, & num bonæ fidei sint argumenta, quæ in eorum Congregationibus, Tabellis, & Libris ultro dixerunt, & fecerunt. Bina siquidem Laurentii

tii Bacci Teftamenta, in quibus utrumque continetur Legatum, eodem aperta fuerunt die 3. Augufti 1655., eorumque virtute Societas Loca MM. acquifivit. Perpendere igitur dignentur EE. Veftræ, num unum Sodales compertum habere, alterum ab initio ignorare potuerint Legatum, & num utroque etiam cognito, ex præfumpta nihilominus Miffarum reductione, de qua ad primum Dubium, in bona fuerint fide.

Quæritur ergo.

I. *An fit locus celebrationi hebdomadalis Sacri in cafu &c.*

II. *An fit confulendum Sanctiffimo pro abfolutione ab eodem Sacro non celebrato, feu potius fit locus illius fupplemento in cafu &c.*

Ad I. Affirmativè.

Ad II. Affirmativè ad primam partem, negativè ad fecundam.

RIPANA. Indicto ad Canonicatum Pænitentiarium Cathedralis Ecclefiæ Ripanæ concurfu, plures in concurrentium albo relati funt, productifque fingulorum *requifitis*, ventum eft die 30. Septembris 1786. ad examen, ac unus Sacerdos Pafchalis Goberti Epifcopalis Seminarii Rector approbatus fuit. Ægre alter ex reprobatis Sacerdos Bonfilius Gervafi id tulit, ac interpofita in Ripana Curia appellatione, Sacram hanc ex Decreto R. P. D. Signaturæ Juftitiæ adiit Congregationem, alteroque reprobato Sacerdote Joanne Teodori in focium adfcito, nullum proclamarunt concurfum, injuftam Goberti electionem, novumque flagitarunt examen in Urbe. Precibus de more ad Ripanum Epifcopum remiffis, prius Gobertum in poffeffionem Canonicatus mifit, quam ad EE. Veftras referret. Tota autem eft ejus Informatio in protuenda validitate, & juftitia concurfus, ac tota refertur in circumferendo Promotoris Fifcalis, & Goberti *Summario*. Res igitur fub infrafcripto proponitur Dubio. *Seff. 24. cap. 18. de Reform.*

Nullum Appellantes dicunt concurfum ex actibus antecedentibus, concomitantibus, & fubfequentibus. Produci in antecefflum debuiffent a fingulis concurrentibus Scientiæ dignitatifque teftimonia, feu autographa *requifita*, juxta *Encyclicam* Sacræ hujus Congregationis ad

Epi-

Episcopos datam anno 1721., & a san. mem. Benedicto XIV. confirmatam anno 1742., de qua *Rigant. ad Regul. Cancell. tom.*3. *Regul.*37. *num.* 11. . Id ex prædestinatione Goberti in Canonicum Pœnitentiarium ab eo uno prætermissum asserunt, quum ad differentiam aliorum concurrentium expressa non sit in actis concursus necessaria ejus jurium exhibitio. Quod absque nullitatis labe fieri non posse probat *Ferrar. in Biblioth. legal. verb. concursus num.*5. Plura insuper adversus Examinatores notant; quod deputati nempe essent extra Synodum, absque facultate Sacræ Congregationis, ut pro validitate concursus requirebatur, juxta antiquam ipsius Congregationis resolutionem *in Vasionen.* 13. *Novembris* relatam *a Barbos. de Offic.*, *& potest. Paroch. part.*1. *cap.*2. *num.*62., quod tres tantum, non quatuor fuerint, contra formam Constitutionis san. mem. Benedicti XIII., quæ incipit *Pastoralis officii*; quodque non constat in Sacra eos Theologia licentiatos fuisse, ut Constitutio ipsa præscribit, ac monet *Rot. in Imolen. Canonicatus Theologalis* 2. *Aprilis* 1753. §.6. *cor. clar. mem. Card. Molino*.

Quibusdam aliis deinde, ad minuendam illorum fidem, personalibus additis exceptionibus ad actus transeunt concomitantes. Aliorum reprobatorum concurrentium, ac singularis hominis testimonio probant, cuique exteriorem januam Conclavis, in quo casus solvebantur, patuisse, omniaque coram omnibus, ac Examinatoribus ipsis cum Vicario Generali per Conclave deambulantibus, tumultuarie gesta fuisse, contra præscriptum *Encyclicæ*. Quoad subsequentes tandem notant, approbatum fuisse Gobertum in humanioribus dumtaxat litteris versatum, se ipsos vero, ceterosque neglectos concurrentes, licet in Theologica facultate, in excipiendis confessionibus, & Animarum cura versatissimos? Nedum autem de concurrentium doctrina, sed habenda quoque est ratio = *de prudentia*, *aliisque rebus* (ad munus exercendum) *opportunis* = ut statuit *Sac. Conc. Tridentinum sess.*24. *cap.*18. *de Reform.*. Hoc unum vero in universo illius examine (propriis silentio prætermissis) reprehendunt, quod in resolutione casus nubere volentis Puellæ, quæ ex furtivo Matris incestu illius filia, & soror erat, uno eam sororis nomine appellaverit. Suspectum præterea afferunt judicium Episcopi ob actuale Goberti servitium in ejus Seminario per *Text. in Can. Accusatores, vel Testes suspecti* 3. *quæst.*5., & *in Leg.*

Qui

Qui jurisdictioni ff. de Jurisdict. omn. Judic., idque confirmant ex delata Canonicatus possessione pendente recursu in Sacra Congregatione, & retardata actorum transmissione. Atque hinc concludunt; reparandum esse præjudicium illatum eorum æstimationi per novum examen.

Legitimam validitatis, & justitiæ concursus præsumptionem opponunt Promotor Fiscalis, & Gobertus, *Rot. in Calaritana Canonicatus super circumscriptione* 17. *Januarii* 1757. §. 4. *cor. Canilliac.* Præstantiores de majori appellantium doctrina ac dignitate quærunt probationes, quæ irrationabile Examinatorum judicium suadeant, *Pax Jordan. lucubrat. Canon. lib.* 10. *tit.*8. *num.* 122. Falsum ex Informatione Episcopi probant, quod præordinata fuisset Goberti electio, quum Episcopus immo = *fece delle premure grandi al Sig. D. Michelangelo Tanursi Prevosto della Collegiata di Monte Prandone sua Diocesi, perche concorresse al sudetto Canonicato vacante della Penitenziaria* = ut hisce verbis testantur Examinatores. Falsum quoque, quod non exhibuisset Gobertus autographa sua *requisita*, contrarium testante Episcopali Cancellario. Conclave ingressos fuisse fatentur Examinatores cum Vicario Generali, sed neminem ab opere distraxisse, neminem de propositis casibus alloquutos esse. Commentitium ex Testibus dicunt assertum tumultum, seduloque advertendum rogant, nullam ab intrinseco demonstrari injustitiam examinis, quæ spectari potissimum debet, ut novus concursus permittatur.

Decernere igitur dignentur Emi Patres.

An constet de nullitate concursus, ita ut sit locus novo examini in casu &c.

Negativè.

TERRACINEN. SEU SETINA: Honorarium titulum inter Canonicos Collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ Sulmonis, quem dicunt *Sermoneta*, flagitat Clericus Joseph Quadrassi cum facultate interessendi Choro, Processionibus, aliique Ecclesiasticis Functionibus in canonicali Habitu. Novissimo post coadjutores etiam Canonicos contentus est loco, nullamque Redituum, ac Distri- *Sess.*24.*cap.*19. *de Reform.*

ſtributionum partem cupit. Cunctis ſuffragiis Capitulum annuit, dupliciquе ratione favet Epiſcopus, tum quia = *Joſephi Quadraſſi Familia erga Collegiatam Eccleſiam S. Mariæ Sermonetæ munifica fuit* = tum quia = *Juvenis ille, in Seminario Tuſculano jamdiu degens, morum ingenii, & ſtudii optimum teſtimonium habet* = Et licet nullum in ea Eccleſia ſit Canonici honorarii exemplum, Oratoris tamen precibus annuendum cenſet = *cum ſupraſcriptis conditionibus* (iis nempe ab ipso Oratore propoſitis) *& abſque ulla expectativa ad Præbendam primo vacaturam* = hac potiſſimum ratione = *cum eæ commodum & ſervitium Eccleſiæ reſpiciant, pietatem foveant, nullumque Capitulo, aut Canonicis, aut Eccleſiæ detrimentum pariant.*

Novum profecto non eſt Canonici honorarii nomen, illudque *Ceccoper lucubrat. Canon. lib.* 1. *tit.* 14. *num.* 7. appellat = *nomen ſine re, & nomenclaturam vacuam, & inanem* = Inductum autem fuit remotioribus Eccleſiæ ſæculis = *ut receptus* (in Canonicum honorarium, ſeu ſupranumerarium) *inſtituatur in minoribus, & officiis Eccleſiaſticis, & inſerviat prioribus, & antiquis Canonicis, & Eccleſiæ* = ut per hæc verba notat *Fagnan. in lib.* 3. *Decretal. Cap. Dilectus il* 1. *num.* 9. *de Præben.* A Canonico igitur Jure aliena non eſt Oratoris petitio, eique boni illius mores, eximia ejus Familiæ in Collegiatam Eccleſiam munificentia, majus ipſius Eccleſiæ ſervitium, Capituli conſenſus, Epiſcopi favor æquitatis ſpeciem præbent. Ponderandum tamen, num addere expediat honorarium Canonicum Capitulo, quod ex ſufficienti conſtat Canonicorum numero, ac novum inducere exemplum in Eccleſia, quæ ſupranumerariis non indiget. In extraordinariis enim Canonicorum admiſſionibus ſpectari potiſſimum debet Eccleſiæ neceſſitas, & conſuetudo, *Monet. de Diſtribut. quotid. part.* 2. *quæſt.* 1. *num.* 10., *Fermoſin. ad Cap.* 9. *de Conſtit. quæſt.* 1. *num.* 40., idque cavendum, ne plures unius exemplo inducantur honorarii, quod = *tenderet in dedecus Eccleſiæ* = ut monet *Fagnan. in cit. Cap. Dilectus num.* 10. *de Præben.*

Ad ea inſuper Emi Patres advertant, quæ per admiſſionem Oratoris in Canonicum honorarium ſequerentur. *Non poteſt eſſe Canonicus ſine Præbenda, ideſt ſine ſpe, & expectatione futuræ Præbendæ* = juxta doctrinam *Fagnani in Cap. Cum. Ferrarienſi num.* 17. *lib.* 1. *de Conſtit.* Adeo enim conjuncta ſunt Canonia, & Præbenda = *ut cui confertur Canonicatus, debeat aſſignari; & Præbenda,*

ſi quæ

si quae vacat. ; & *si non vacat*, *debeat expectari vacatio* = *Fagnan. ibid. sub cit. num.* 17., & *num.* 26. Quae quidem *expectativa*, utpote *Juris*, sublata non est a *Sac. Conc. Tridentino sess.* 24. *cap.* 19. *de Reformat.* Ponderari ergo debet, an conferre liceat Oratori Canonicatum honorarium absque expectatione praebendae, quae ei debetur = *ex dispositione Juris*, & *vi receptionis*, & *connexionis*, *quam habet Praebenda ad Canoniam* = *Fagnan. in cit. Cap. Dilectus il* 1. *sub num.* 14. *lib.* 3. *de Praeben.*, & num immune omnino esset Capitulum ab illius vexatione, quatenus legitima expectatione privaretur.

Recipi quidem valent Canonici honorarii Pontificia Auctoritate sine Praebenda, *Fermosin. tit. de Canon. quaest.* 1. *num.* 15., & *seq. tom.* 1., eorumque jura dimetiuntur = *ad limites conditionum*, *sub quibus creati sunt*, *Ceccoper. lucubrat. Canon. lib.* 1. *tit.* 14. *num.* 8., sed hoc etiam posito, deficeret adhuc inter Oratorem, & Capitulum correspectivitas quoad interessentiam Choro. Eum volentem admittere teneretur Capitulum nolentem cogere non posset. Per simplicem enim Stalli concessionem non tenetur Canonicus honorarius residere, & Choro interesse, neque ad id compelli potest, quum = *in praemium residentiae non habeat fructus*, *seu Distributiones* = *Ceccoper. loc. cit. num.* 9., & *seq.*. Id autem pati non videretur primaeva Canonicorum honorariorum institutio, ex qua inservire debent = *prioribus*, & *antiquis Canonicis*, & *Ecclesiae* = neque honor ipse, quem Orator a canonicali Dignitate consequeretur.

Quamvis praeterea legitima esset conditio, quod nec passivam Orator, nec activam habere deberet vocem in negotiis, quae antiquorum Canonicorum tangunt interesse, ut censuit *Sacra Congregatio in Alatrina* 8. *Februarii* 1727., *in Tolentina Archipresbyteratus* 1. *Februarii* 1766., & *in Sabinen. Participationis* 28. *Aprilis* 1770., deliberandum tamen erit ab EE. Vestris, an hoc ipsum procedat in negotiis indifferentibus, officiisque honorariis, quorum capaces censet Canonicos honorarios *Monet. de Distribut. quotid. part.* 2. *quaest.* 1. *num.* 5., & 6.

His itaque perpensis, decernere dignentur Emi Patres.

An, & quomodo sit consulendum SSmo pro admissione Clerici Josephi Quadrassi in Canonicum honorarium Ecclesiae Collegiatae S. Mariae Sermonetae in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

Sess.25. cap. 5. de Reform.

FERRARIEN.. Quatuor in hac Causa die 15. Septembris elapsi anni proposita fuerunt Dubia. I. *An, & quomodo sustineatur Instrumentum Emphyteusis, sive usus in casu &c.* II. *An, & quomodo sint adimplenda Pia Opera ordinata a Romano Boari in casu &c.* III. *An, & quomodo sit providendum quoad præteritum in casu &c.* IV. *An, & cujus sumptu sint faciendæ expensæ præsentis litis favore Operis Pii in casu &c.*; ac non obstante contumacia Manzalii, qui dilatoria Mandati procuræ exceptione dilationem postulabat, respondit Sacra Congregatio ad I. *Negative*; ad II. *Affirmativè juxta Votum Emi Archiepiscopi*; ad III. *Affirmative juxta liquidationem faciendam ab Emo Archiepiscopo*; ad IV. *Affirmative sumptibus Operis Pii*. Adversus consultissima hæc Rescripta consistit modo Manzalius; sed suam hactenus allegationem exhibere neglexit. Præcedens igitur Folium consulere dignentur Emi Patres, & assueta maturitate respondere.

An sit standum, vel recedendum a decisis quoad I. II. III., & IV. Dubium in casu &c.

Sess.24.cap.12. de Reform.

SENOGALLIEN. MISSÆ CONVENTUALIS. Quæsitum in hac Causa fuit die 2. Decembris anni 1786. I. *An sit concedendum Canonicis* (Belvederii) *ut cum unica Missa Conventuali satisfacere possint obligationi aliarum Missarum, ad quas ex Rubrica tenentur in casu &c.* = II. *An sit concedendum iisdem, ut possint sine cantu eamdem Missam celebrare in casu &c.* = III. *An sit concedendum iisdem, ut cum Missis votivis, seu pro Defunctis satisfacere possint oneri Missæ Conventualis in casu &c.* =, & Sacra Congregatio respondit ad I. *Affirmative juxta Votum Emi Archipresbyteri*=ad II. *Missam esse canendam juxta modum ab Emo Archipresbytero appositum* = diebus scilicet ferialibus ab uno Celebrante, festis vero, & in adimplementum Legati Pii cum assistentia Diaconi, & Subdiaconi; & ad III. *Negative*.

Venerantur Canonici EE. Vestrarum judicium quoad primum, & tertium Dubium. Iterum vero quoad secundum supplicant pro dispensatione a cantu diebus ferialibus

bus quousque bini redintegrentur Canonicatus, ad restaurandam Ecclesiam suspensi, alter scilicet vacans, alter primo vacaturus, orantque, ut cogatur Societas Collegiatæ Ecclesiæ patrona; ad nominandos in posterum Ecclesiasticos in Gregoriano cantu versatos. Emus ipse Archipresbyter, qui simplicem Missæ cantum, absque Diaconi, & Subdiaconi assistentia, diebus ferialibus proposuit, æquam modo ex novis deductis rationibus censet Canonicorum instantiam. Novem, inquit, existunt Canonici; *nonus tamen, qui octogenariam excedit ætatem, non amplius tenetur, nec ex infirmitatibus potis est ad præstandum Choro servitium, quod ideo jam infra octo reliquos Canonicos cohibitum est* = Nullos, refert, esse Beneficiatos, vel Capellanos Choro adstrictos, ideoque sive ex veteri consuetudine, sive ex Constitutionibus Collegiatæ ita servitium inter Canonicos alternatim dividi; ut *media tantum pars eorumdem Choro intersit ferialibus diebus*, ac per consequens *quatuor Canonici, qui nunc alternatim tenentur quaque hebdomada servitium præstare Choro, tenerentur etiam Missam Conventualem canere per se ipsos, cum nullus alius; præter eos, adsit Capituli Sacerdos* = Hinc fieri ait, quod *Sacrum faciente altero ex illis, tres tantum Choro adstantes supersunt, si nullus ex adstrictis ad præsentiam sive ex infirmitate, sive ex aliqua interveniente gravi causa deficiat* = Atque ita concludit. *Hisce positis, nec non defectu Organi, incommodisque ex præsenti materiali statu Ecclesiæ in calculo habitis, justas adesse causas dispensandi Canonicos a cantu Missæ Conventualis in feriis tantum judicarem usquedum Ecclesia reintegrata sit ad plenum numerum decem Canonicorum.*

Neque hujusmodi indulgentiam scandalo esse posse affirmat. Ex relatione enim Vicarii Lateranensis, quem in id consuluit = *patet, Ecclesiam, de qua sermo est, extra Oppidum degere, & præter dies festos, ob pietatem, & cultum erga Sanctissimam Deiparam Mariam, parum, & pene nihil ab Incolis frequentari. Si quis autem in Populo est, qui ad eam accedere soleat, morem Ecclesiæ a multis annis, excedentibus forsan ejus memoriam, optime novit, & immo de novitate stupesceret, si Missa ferialibus diebus caneretur, potius quam scandalum habeat manentibus rebus in statu, & terminis* = Quo vero ad disparitatem Præbendarum, de qua etiam queruntur Oratores, & quorumdam Canonicorum imperitiam in cantu Gregoriano, utramque rem Eminentissimus Archipresbyter examini

 sub-

subjecit, ut de meliori Ecclesiæ servitio, & Canonicorum concordia caveret = *jamque ejus testimonio, partim provisum est, & in reliquis providebitur, imploratis ab hac Sacra Congregatione facultatibus.*

Resumpto igitur Folio diei 2. Decembris elapsi anni, respondere dignentur Eminentissimi Patres.

An, & quomodo sit standum, vel recedendum a decisis quoad secundum Dubium in casu &c.

Die Sabbathi 16. Februarij 1788. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

TRia ex præcedenti Folio resolvenda erunt Dubia, ex præsenti reliqua.

TERRACINEN., SEU SETINA.

An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro admissione Clerici Josephi Quadrassi in Canonicum honorarium Ecclesiæ Collegiatæ S. Mariæ Sermonetæ in casu &c. *Sess. 24. cap. 19. de Reform.*

Negativè.

FERRARIEN. Plura Manzalii adversus resolutiones diei 15. Septembris elapsi anni deducunt. Potissima tamen hic referam, ignorans hactenus, quid contra responsuri sint Parochi. De primo igitur agentes Dubio, necessitatem inficiantur Beneplaciti Apostolici in controverso *usu*, seu juxta concordatam ipsius Dubii formulam, *emphyteusi*, eo quod Extravagantis *Ambitiosæ* dispositio in alienationibus procedit Bonorum Ecclesiásticorum, quæ ad Ecclesias pertinent, & Loca Pia auctoritate Ordinarii erecta, non item Bonorum, quæ in simplices pios usus destinata sunt, ac laicalem retinent qualitatem, juxta sententiam *Redoani de Reb. Eccles. non alienan. pag. 258. num. 2. & 3.*, & *pag. 261. num. 1. & seqq.*, *Petr. ad Constit. Apostol. Ambitiosæ sect. 3. num. 26. tom. 5.*, *Pacion. de Locat. cap. 14. §. 6. num. 25. & 33.*, *Card,* *Sess. 25. cap. 5. de Reform.*

de

de Luc. de alienat. disc. 1. *num.* 15., & *Rot. in Recent. decis.* 238. *num.* 1. *part.* 5., & *in Romana, seu Leodien. Immissionis* 3. *Februarii* 1755. §. 2. *cor. clar. mem. Card. Caprara*. Quanti autem facienda sit haec distinctio, ex iis Eminentissimi Patres dijudicabunt, quae *in Folio diei* 15. *Septembris* deducta sunt, ac deducturi erunt Parochi. Notandum tamen, primum ipsum acquirentem Beneplacitum ab hac Sac. Congregatione uti necessarium postulasse.

Neque, inquiunt Manzalii, Apostolicum requirebat Beneplacitum commutatio voluntatis Romani Boari, propterea quod non tetigerit substantiam dispositionis, sed simplicem mutationem administrationis Bonorum in emphyteusim. Num vero per abolitionem volitae administrationis salva remanserit Testatoris voluntas, seu in hac potius parte substantialiter immutata fuerit, ad EE. Vestras pertinet decernere. Praetereundum interim non est, nullam in concessione emphyteusis habitam fuisse rationem de volita constructione Sacelli in Oratorio *Mariae*, aliisque piis dispositionibus, de quibus *in cit. Folio*. Id evenisse afferunt Manzalii prae Redituum tenuitate; sed hoc etiam ponderandum, an Sacra inconsulta Congregatione reduci potuerint pia Opera.

Hinc vindicare student justitiam Contractus. Quae in id dicunt, desumere dignentur Eminentissimi Patres ex ipsorum Scriptis. At duo prae ceteris pro pio Opere animadversionem merentur. Primum est, quod annua summa scutorum 40., quam sibi Manzalii in Instrumento emphyteusis tanquam administratores reservarunt, non tantum a Testatore tributa fuit pro administratione Piorum Operum, quantum pro difficiliori administratione Bonorum, quae per emphyteusim cessavit. Secundum, quod annui fructus Capitalis meliorationum, qui Manzaliorum pariter favore detracti fuerunt a Canone, exceptionem non redditae rationis fortasse patiuntur.

Binas tandem proferunt Sententias annorum 1708., & 1710 in quibus *secundario* declaratur = *investituram Bonorum Boari deberi Dominis Fratribus de Manzaliis* = In quo sederent Tribunali Fortunatus Tranquillus *Auditor*, & Hercules Cruciadei, *Judex deputatus*, qui eas protulerunt, ignoratur. Verisimiliter tamen in eadem Ferrariensi Curia Ecclesiastica, quae controversam investituram paullo ante concesserat. Sententiis addunt Concordiam initam anno 1751. coram clar. mem. Cardinali Crescentio tunc Ferrariensi Archiepiscopo inter Sodales

Spi-

Spiritus Sancti, & Alexandrum Manzali = *come commissario, ed usuario dell'Eredità del detto fu Romano Boari* = quasi confirmata per eam fuerit investitura. Advertendum tamen, initam fuisse hujusmodi Concordiam super executione dumtaxat alterius ex Operibus Piis a Boario relictis, super celebratione scilicet hebdomadalis Missæ in Oratorio Societatis, non super validitate, vel nullitate investituræ. Et huc quoque respicit Rescriptum hodierni Eminentissimi Archiepiscopi, qui = *per adesso, e per modo di provisione* = dd. Missarum eleemosynam auxit. De cetero ponderandum erit, utrum hujusmodi Sententiæ, Concordia, Rescripta defectum Beneplaciti Apostolici supplere potuerint,

Paucis vero quoad II. III. & IV. Dubium se expediunt, satque in id videntur, quæ in Folio diei 15. Septembris deducta fuerunt. Novam tamen per distinctum Memoriale proponunt instantiam pro revocatione præcepti, quo eis Archiepiscopalis Curia incisionem arborum in controversis Bonis hac pendente lite interdixit. Huiusce præcepti causa forsan fuit timor, ne Prædia interim a Manzaliis depopularentur; sed de illius forsan subsistentia, vel insubsistentia decernendum erit ex Causa principali.

Respondere itaque dignentur EE. Vestræ.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Ad I. in decisis, & ad Secretarium cum SSmo juxta mentem. Ad II. in decisis juxta modum, nempe in omnibus, & per omnia ad formam Testamenti Romani Boari, sed in iisdem Operibus Piis esse eroganda scuta quadraginta, quæ sibi retinent Usuarii titulo administrationis, ac similiter nec posse sibi retinere scuta quadraginta pro Hospitio PP. Cappuccinorum, sed eas solummodo impensas esse admittendas, quæ vere in eorum alimoniam, & Hospitium persolvuntur; & Archiepiscopum debere esse perpetuum administratorem Operis Pii. Ad III. prævio recessu a decisis consulendum SSmo pro absolutione quoad præteritum, & amplius. Ad IV. in decisis; & amplius.

IMO-

Seß. 24. cap. 12. de Reform.

SENOGALLIEN. MISSÆ CONVENTUALIS.

An, & quomodo sit standum, vel recedendum a decisis, quoad secundum Dubium in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

Seß. 24. cap. 8. de Reform.

IMOLEN. SEPARATIONIS THORI SUPER SEQUESTRIS. Quam a Viro divertens, Bononiam primum, Mutinamque deinde Marianna Baruzzi, Maria Magdalena Cavalazzi matertera comitante, secessisset, quæsitum fuit primo in Congregatione 11. Martii 1786. *An sit locus separationi Thori*, secundo *An sint servanda sequestra*, quæ super universa illarum Bona, ad eas, si fieri posset, revocandas, apposita fuerant, ac rescripserunt Eminentissimi Patres ad I. *Negativè*, ad II. *Affirmativè*. Super iisdem Dubiis renovato certamine die 17. posterioris Junii, cum judicium Sac. hæc Congregatio per rescriptũ *Iterum proponatur* ad alia ablegasset Comitia, hinc prior resolutio confirmata est die 9. subsequentis Septembris per Rescriptum in *decisis, & amplius, & ad mentem*, posterior mod-rata per Rescriptum = *Sequestra esse removenda a die reditus in Statum Ecclesiasticum, & amplius*. Quam cito in Ecclesiasticam Ditionem rediit Matertera, Bononiæque ab initio octobris ejusdem anni ad hæc tempora permansit, non item Neptis, licet familiaribus illius Epistolis evocata, providoque monita Rescripto diei 16. Decembris = *Præfigatur ab Eminentissimo Archiepiscopo Bononiæ post extrajudicialia officia terminus duorum mensium ad effectum redeundi ad obsequia matrimonialia, quo elapso collocetur in aliquo Conservatorio, aut Monasterio ab eodem Eminentissimo Archiepiscopo eligendo.*

Jam quoad se purificatam dicit Magdalena conditionem reditus in Statum Ecclesiasticum, Rescriptoque inhærens diei 9. Septembris, EE. Vestras pro remotione sequestri a suis Bonis exorat. Eminentissimus ipse Episcopus, sequestri auctor, ei favet. Nulla amplius, inquit, spes est revocandi Mariannam ad obsequia matrimonialia, sed *ejus Matertera omni ope contendit tum litteris, tum ratio-*

tionibus, *tum precibus*, *ut eidem reditum persuaderet*, desperatumque abjiciens opus, *Bononiæ se restituit*. Hac de causa annuendum censet ejus votis, opportuneque monet, nullum Joanni Baptistæ Pagani Mariannæ viro jus esse super illius Bonis, eo quod *ex Decreto Judicis dotalem recepit partem*, quam ei Oratrix debebat. Paganio igitur hactenus contumace, infrascriptum proponitur Dubium.

Sive appositum fuerit sequestrum, ut cautum Paganio esset de residuo Dotis, sive in pænam fugæ, quam Marianna arripuit, utroque Oratrix casu removendum esse contendit. Si primum, ait, jam per solutionem integræ Dotis remota est causa, a qua pendebat sequestrum, *Card. de Luc. de Benefic. disc.* 98 *num.* 26.; *Rot. in recen. decis.* 209. *num.* 1. *part.* 12. Si secundum, infligenda est pæna Nepti, quæ deliquit, & in contumacia perseverat, *Leg. Sancimus* 22. *Cod. de Pæn.*, non sibi, quę eam in proposito obstinatam comitari debuit, ne cum dedecore vagaretur, *Menoch. de arbitrar. cas.* 348. *sub num.* 10. Novam insuper dicit Bonorum confiscationem pro revocandis ad obsequia matrimonialia Conjugibus, uniceque in more esse monitiones, claustra, censuras, carceres. Eam vero in se appellat acerbissimam, quum neque uxor sit Paganii, neque post solicitatum Neptis reditum, ejus factum præstare teneatur, *Leg. stipulatio ista* §. 1. *ff. de verbor. oblig. Donell. de Jur. Civil. lib.* 12. *cap.* 19. *sect.* 1..

Respondere igitur dignentur EE. Vestræ.

An, & super quibus Bonis ob reditum Mariæ Magdalenæ Cavallazzi in Statum Ecclesiasticum sit locus executioni Rescripti diei 9. *Septembris anni* 1786. *quoad remotionem sequestri in casu &c.*

NULLIUS MONTIS VIRGINIS IRREGULARITATIS. Incusatus præ cæteris fuit labente anno 1749., apud Abbatialem Montis Virginis Curiam homicidii Sacerdos Florentinus Silvestri, & sequenti an- *Sess.* 14. *cap.* 7. *de Reform.*

anno in contumaciam excommunicatus. Sponte an. 1766. se constituit, conditoque defensivo Processu, liberationem obtinuit cum clausula *novis supervenientibus indiciis* & suspensione a Divinis usquedum Apostolicam absolutionem consequeretur. Semel in id ab hac Sac. Congregatione rejectas asserit ejus preces, iterumque modo, in gravi 65. annorum ætate constitutus, absolutionem postulat ab irregularitate. Quæ exposita sunt, confirmat Ordinarius, atque ex ore Testium refert, tandiu se Oratorem de consilio Abbatialis Cancellarii constituere distulisse, ut Judicis laici sententiam de altero ex Conreis audiret, quæ absolutoria *ex capite innocentiæ* fuit. Causam vero præterit non petitæ dispensationis ab anno 1766., & ita in reliquis concludit = *Da quel tempo fino al presente giorno attestano tutti di aver menata (Oratorem nempe) una vita esemplarissima e costumata, e che l'infamia facti, che aveva contratta per tale informazione, svani, ed al presente è in tutto svanita, stante la morigeratezza de' costumi, frequenza de Sacramenti, e vita esemplare, che il d. D. Fiorentino tuttavia mena in edificazione del Clero, di tutto il Pubblico, e de' Paesi circonvicini. Quindi accordandosegli dalla Sac. Congregazione l'assoluzione, ed abilitandosi all' esercizio dell' Ordine del Sacerdozio, sarebbe non solamente a questo insignito Clero, ma ben anche all' intiera Popolazione di consolazione, e piacere, cessando a medesimi ogni ombra di scandalo*.

Licet absque condemnatoria Sententia irregularis non fit iniquisitus de homicidio ex infamia *Juris*, *Ferrar. in Biblioth. verb. Infamia num.* 9., *& sequen.*, talis tamen censetur ex infamia *facti*, seu vulgata opinione delicti, *Ferrar. verb Irregularitas num.* 48. *& Sac. hæc Congregatio in Novarien.* 1. *Octobris* 1661. *lib. Decret.* 22. *pag.* 667. Hæc autem infamia non deletur per absolutoriam cum clausula *novis supervenientibus indiciis*, quæ accusatum ab inquisitione non eximit, ejusque innocentiam excludit, ut censuit Sacra Congregatio *in Vigilien. diei* 23 *Septembris* 1613. *lib.* 28. *Decret. fol.* 170,, & in similibus terminis clausulæ *ex hactenus deductis* tradunt *Pignatell. consult.* 93. *num.* 3. *tom.* 6. *Ferrar. in Bibliot. verb. Irregularitas num.* 49., & *Monacell. tit.* 13. *formul.* 3. *num.* 37. *tom.* 2. Adhuc ergo infamia *facti* affectus censeri posset Orator, qui clausula illa absolutus fuit, nec suam hactenus innocentiam demonstravit.

Ponderare tamen dignentur Emi Patres, num per diuturnum

num viginti, & ultra annorum spatium ab edita Sententia, & 39. a perpatrato homicidio, piamque Oratoris vitam, de qua testatur Ordinarius, deleta sit hujusmodi infamia. Quandoquidem = *irregularitas ex infamia facti tollitur absque dispensatione per eam vitæ emendationem, quæ maculas prioris non solum coram Deo, sed etiam in opinione hominum deterserit, ita ut sinistræ famæ successerit bona existimatio* = ut per hæc verba docet *Habert Theolog. dogm. moral. de Dispens. ad Ordin. part. 3. cap. 5. §. 8. in fin.*. Non aliæ de cetero fuerunt probationes delicti, quam argumenta, & inductiones Testium, quibus *negativa* in defensivo opponebatur *coarctata*. Hac de causa inquit Ordinarius, quod attenta potissimum = *la qualità del d. D. Fiorentino di essere stato un buon Sacerdote, e mai inquisito di mancanza alcuna, non era credibile e verisimile, che avesse potuto dare in simile eccesso* = Ubi autem dubitari valet de levitate accusationis, facilius concedi solet dispensatio ab irregularitate contracta ex infamia *facti*. Exemplo est Rescriptum editum ex audientia Sanctissimi *in Beneventana diei 6. Augusti* 1763. Accusatus fuerat Sacerdos Joannes Bettini homicidii, eumque Archiepiscopalis Curia Beneventi ob retractationem delatoris dimiserat cum clausula = *novis, & non novis supervenientibus indiciis* = Benigne ergo illius precibus Sanctissimus annuens. = *Litteras Apostolicas in forma Brevis expediri mandavit, quibus Vicario Capitulari Beneventano mandetur, ut cum Oratore super irregularitate, præmissa de causa contracta, dispenset* = ut *in lib. Decret.* 113. *pag.* 334.

Res præterea est de jam promoto ad Sacerdotium, qui Partem amplius non habet infensam, Fisco satisfecit, diuturnam passus est irregularitatis pœnam, piam agit vitam, propitium habet Ordinarium. Hæc omnia in durioribus certi homicidii casibus non raro EE. Vestrarum Indulgentiam promeruerunt, ut *in Melevitana Irregularitatis* 19. *elapsi Januarii*.

Ex his ergo deliberare dignentur Emi Patres.

An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione in casu &c.

Seff.22. cap. 6. & Seff.25. cap. 4. de Reform.

JANUEN. Heredem instituit Jacobus Maria de Nigro anno 1737, Mariam Catharinam ejus neptem, mandavitque in casu, quod religiosam eligeret vitam, ut detractis monacationis sumptibus, dote, annuoque livello lirarum 150., quod reliquum esset, investiretur, totque ex fructibus cum eleemosyna Januensium obolorum duodecim, seu monetæ Romanæ decem pro quolibet, celebrarentur Sacra. Religiosam professionem sub nomine Mariannæ Seraphinæ emisit Maria Catharina in Monasterio S. Claræ nuncupato *di Carignano*, defunctisque Executoribus Testamentariis, livellum hactenus ex se ipsa percepit, Sacrorumque celebrationem, ut ii fecerant, ex superantibus liris 300. curavit. Expleta ut plurimum fuit hujusmodi celebratio in Ecclesia Monasterii; sed ob incommodam ejus positionem in remota Januensis Civitatis parte, statutam modo eleemosynam negligunt Sacerdotes. Hac de causa EE. Vestras rogat Soror Marianna Seraphina, ut ex liris 300., quæ summam constituunt scutorum 46. 50. monetæ Romanæ, erectionem in ea Ecclesia permittant Capellaniæ cum onere quotidiani Sacri, ac facultate removendi Capellanum ad nutum Abbatissæ, statuantque nunc pro tunc in aliis festivis Missis 150., quæ celebrandæ erunt post ejus obitum ex præsenti livello.

Nedum, inquit Archiepiscopus, *impossibile est invenire Sacerdotes, qui tam exigua eleemosyna obolorum duodecim taxata a Testatore, Missas celebrare velint in Ecclesia sui Monasterii* (Oratricis nempe) *haud parum a centro Civitatis dissiti, sed & alibi etiam difficile erit, ut eas adimplere facere possit* = Æquam idcircò censet pro perpetua Missa annuam summam lirarum 300., vixque eam sufficientem dicit = *in quacumque alia minus incommoda Ecclesia* = Necessitatem monstrat alterius quotidianæ Missæ in Ecclesia Monasterii *ex parvo numero Missarum, quæ in dicta Ecclesia celebrantur. Tres tantum habentur quotidianæ; interdum ac persæpe duæ remanent. Perpauci admodum Sacerdotes per annum Ecclesiam hujusmodi adeunt celebraturi*. Atque ex his concludit = *benigne in Domino per EE. Vestras Oratrici favendum censerem tum quoad institutionem Capellaniæ, tum etiam quoad erogationem post ipsius mortem annuæ præstationis prædictæ lirarum 150. pro tot in eadem Ecclesia celebrandis Missis singulis festis diebus rationata eleemosyna obolorum viginti*.

Plura suadere videntur erectionem Capellaniæ ex redun-

dan-

dantibus liris 300. ad rationem obolorum Januensium 16. pro qualibet Missa Perpetui scilicet Legati qualitas, ex qua pro Redituum tenuitate reduci quandoque consueverunt Missae ad taxam perpetuae etiam post executionem, ut *in Albinganen.* 12. *Decembris* 1778., *in Anconitana Missarum* 16 *Martii* resoluta *die* 20. *Aprilis* 1782., *in Parmen.* 6. *Maii* 1786. Missarum paucitas in Ecclesia S. Clarae. Praesumpta Testatoris voluntas erga Monasterium, in quo ejus Neptis, & heres professionem emissura esset, *Card. de Luc. de Testam. disc.*72. *num*, 15., *& seq. & Sacra Congregatio in Casalen. Reductionis Missarum* 7. *Julii*, *resoluta die* 15. *Decembris elapsi anni*. Difficilis Missarum celebratio *in quacumque alia minus incommoda Ecclesia* cum tenui eleemosyna a Testatore praescripta. Ac exigua tandem ejus reductio a Januensibus obolis 12. ad 16., seu Romanis 10. ad 13. cum certo in posterum celebrationis adimplemento.

Ex his quoque rationabilis videri posset futurarum Missarum reductio ad festivas, ac Jurispatronatus reservatio Abbatissae Monasterii pro tempore, quae certiorem redderet illarum celebrationem, nilque ob defunctos Executores Testamentarios alienis juribus detraheret. Plura tamen adversus haec urgent. Expressa Testatoris voluntas circa quantitatem eleemosynae Missarum. Improbabilis celebrationis difficultas cum praefinita eleemosyna in alia ex plurimis Januensis Civitatis Ecclesiis. Locum enim non designavit Testator, in quo fieri deberet. Suffragiorum imminutio. Ac defectus tandem publicae causae, quae justam reddere solet voluntatis commutationem. Quae enim affertur reductionis causa privata est, ac privatum respicit commodum Monasterii, cujus tamen Ecclesia sufficientem in singulos dies habet trium Missarum numerum, nec indigere videtur quarta, ac post obitum Oratricis quinta.

Ponderandum praeterea erit quoad erectionem Capellaniae, num tenuis censeri valeat manualis eleemosyna, quae sufficiens fuit ab anno 1737., quo Testator decessit, ac religiosam professionem Oratrix emisit, ut ex illis colligitur supplicis Libelli verbis = *dopo la morte dell'Avo venne di fatti a monacarsi la sudetta Nipote* = Quo vero ad Missas post obitum Oratricis celebrandas, deliberare dignentur Emi Patres, quatenus illius precibus indulgere velint, an diversa ex eadem causa pro utraque Missarum specie taxanda sit eleemosyna, obolorum nempe Ja-

nuen-

nuenfium 16. pro Miffis, quæ ex liris 300. celebrantur; & ob. 20. pro aliis celebrandis ex livello.

Quæritur ergo.

I. *An, & quomodo fit locus erectioni Capellaniæ ex annuis liris 300. in casu &c.*

II. *An, & quomodo fit locus celebrationi Miffarum ex liris 150. post obitum Oratricis in casu &c.*

Seff. 25. cap. 4. de Reform.

URBANIEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Ex quibufdam fuburbanæ Ecclefiæ B. M. Virginis in Cælum Affumptæ, nuncupatæ *del Metauro*, Prædiolis & Cenfibus annui Reditus ducatorum 26. auri de Camera, binas fam. mem. Clemens X. in Collegiata Ecclefia Mercatelli erexit Manfionarias. Ducatos feptem cum dimidio pro Diftributionibus fervitii Choralis, reliquos ducatos 18. cum dimidio, pro aliis affignavit Manfionariorum oneribus erga Ecclefiam SS. Affumptionis, pro quotidiana fcilicet Miffa *cum ejus applicatione duabus vicibus qualibet hebdomada*; pro adminiftratione Sacramentorum Confeffionis, & Communionis, celebratione Feftivitatum B. M. Virginis, Novenis, Litaniis, aliifque piis exercitiis. Imminutis Prædiorum, & Cenfuum fructibus, EE. Veftras rogant Manfionarii pro reductione Miffarum 104., quæ applicare tenentur in Ecclefia SS. Affumptionis, ad illarum medietatem.

Quæ expofita funt, confirmat Epifcopus, cumulateque Oratoribus favet. *Annui*, inquit, *Manfionariorum Reditus vix modo attingunt fcuta viginti. Demptis ex his fcutis duodecim pro Diftributionibus Choralis ufficiaturæ Collegiatæ Ecclefiæ, quæ reliqua funt fcuta octo, quis non videt, nequaquam fatis effe pro multifaria onerum fatisfactione alterius Ecclefiæ B. V. del Metauro* = deindeque concludit = *Meam adaperiens fententiam, Manfionariorum preces EE. Veftrarum humanitate, & clementia dignas merito cenfeo. Octo enim fcuta, ratione etiam manualis eleemofynæ unius julii, imparia omnino videntur pro applicatione duplicis Sacrificii qualibet hebdomada,*

præ-

præter quotidianam celebrationem . Hinc ne penitus penitusque erga illam B. M. V. imaginem cultus depereat , satius erit Mansionariis de Missarum onere sublevamen tribuere , quam prætermissis aliis Ecclesiasticis functionibus in d. Ecclesia cum Animarum jactura , & Fidelium scandalo suo fraudari servitio , quod EE. Vestris summopere cordi esse pro certo habeo .

Justa reductionis Missarum causa est Reditum imminutio, *Monacell. form. legal.* 19. *tit.* 20. *part.* 1. *num.* 25. , & *Sac. hæc Congregatio in Senogallien. Reductionis* 10. *Maii* 1783. , & *in Viterbien. Reductionis Onerum* 8. *Maii* 1784. , Ubi alia vero Missarum oneri adjuncta sunt Pia Opera , hæc potius , quam illæ reduci debent , quum majus suffragium Defunctis afferant Sacra, *Benedict. XIV. de Synod. Diœces. lib.* 13. *cap. ult.* §. 23. , *Fagnan. in lib.* 1. *Decret. Cap. Ex parte num.* 34. *de Constit.* . Num hæc potius in nostro themate , in quo Missarum , aliorumque Piorum Operum onera concurrunt , tenenda sit regula , ad EE. Vestras pertinet decernere . Ad eam tamen confirmandam accedit ordo Clementinæ Bullæ, quæ a celebratione incipit Missarum ; nam præsumpta etiam in his terminis urget Pontificis voluntas , ut cetera prius onera , quam Missæ reducantur , *Sac. Congregatio in Regien. Reductionis Servitii Chori* , & *Missarum diei* 29. *Julii* 1775. , resoluta *die* 17. *Aprilis sequentis anni* .

Haud constat præterea , imminutos esse Bonorum fructus post tributas Oratoribus Mansionarias . Si hoc autem antea evenit , obstare posset petitæ reductioni voluntaria imminutarum Præbendarum , ac præexistentium onerum acceptatio, ut censuit Sac. hæc Congregatio *in Bononien. Reductionis Servitii Chori* 16. *Junii elapsi anni* . Cujus pariter culpa pristinum modo non reddant fructum rustica Prædia , latet . Tribuendum forsan est hodiernis Mansionariis , quod justam illorum culturam , vel extremo casu alienationem ad effectum investiendi pretium cum majori fructu oscitanter negligant .

Notandum vero , constitutam fuisse Mansionariarum dotem ex Bonis Ecclesiæ *del Metauro* , enixeque Clementem X. assueta pietatis exercitia in ea voluisse , ne B. M. Virginis cultus decresceret . Primario igitur hujusmodi exercitia , licet ex ordine scripturæ posteriora , contemplata censeri possent , & in hac hypothesi reducendæ potius essent Missæ ; *quandoquidem* , & *reliqua Pia Opera sunt Deo accepta* , & *Animæ valde proficua* , ut ait *Benedi-*

dictus XIV. loc. cit. Sedulamque EE. Vestrarum animadversionem meretur piissimum opus = *administrandi Sacramenta Confessionis*, *& Communionis quotiescumque Fidelium devotio postulaverit* = ut per hæc verba Clemens X. præscripsit. Hoc namque opus maximam Animabus affert utilitatem, ac ipsis quandoque Missis præferri meruit, ut *in Aquen. Reductionis* 19. *Decembris* 1772. Tenebatur Possessor Beneficii B. M. Virginis Dolorum erecti in Ecclesia Burgi Majoris ad quotidianum Sacrum, & ad excipiendas qualibet feria IV. Fidelium Confessiones. Ob imminutos Reditus propositum fuit die 27. Junii illius anni Dubium = *An*; *& quomodo sit locus reductioni in casu &c.* = , & licet Sacra hæc Congregatio respondisset = *Deleto onere audiendi Confessiones, non esse locum reductioni Missæ quotidianæ* = rescripsit tamen die 19. Decembris in repropositione Causæ = *Prævio recessu a decisis, esse locum reductioni Missarum ad rationem perpetuæ, firmo remanente onere audiendi Confessiones* =.

Alia tamen, ut dixi, minora sunt onera, Novenæ scilicet, Litaniæ, & similes, quæ eamdem non habent administrationis Sacramentorum excellentiam. Videndum ergo, num ab his potius, quam a Divino Sacrorum Opere dispensandi sint Mansionarii, juxta præmissam *Benedicti XIV.*, & *Fagnani* regulam.

Deliberent ergo EE. Patres.

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

DERTHONEN. ABSOLUTIONIS, ET REDUCTIONIS MISSARUM. Duo in Congregatione diei 7. Julii elapsi anni proposita fuerunt Dubia. I. *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum.* II. *An, & a quo tempore teneatur Orator ad supplementum Missarum: & quatenus affirmative, an sit consulendum Sanctissimo pro absolutione* = Ad primum Sacer hic Ordo respondit = *Negative*. Ad II. *Affirmative ad primam partem a die obitus Testatoris, & quoad secundam partem affirmative juxta modum, nempe usque ad diem cogniti oneris* = Nil in novis Oratoris precibus de secunda resolutione, sed iterum quoad

quoad primam, EE. Vestrarum indulgentia imploratur pro reductione quotidiani Sacri ad festivum.

Notabat præcedens *Folium*, non unam ab Oratore possideri Coloniam nuncupatam *la Casina Rossa*, pro exhibitione Primogeniti, & Missarum Legato destinatam, sed amplam quoque *Domum*, *& Curtem cum Columbario, Viridario*, *Capsina*, *& Torculari*, quæ utrique forsan sufficerent oneri. Nunc vero hæc refert de hisce Bonis Episcopus. *Domum*, inquit, *magnam*, *Viridarium*, *Torcular cum suis adnexis memorata in Testamento Hieronymi Rati*, *sita esse in Valle Turris Ratorum*, *& dissita ab hac Civitate decem*, *& ultra milliaribus*. *Hæc omnia taxæ Regiæ subiiciuntur*, *& attenta qualitate Regionis, & illic habitantium paupertate inconducibilia sunt*. *Domus*, *exceptis autumnalibus diebus*, *continuo deserta est*, *& quia late patet*, *& antiqua est*, *maximis idcircò reparationibus indiget*. *Viridarium parvum quoque admodum est*, *culturamque unius starii solummodo patiens* [quod Regius confirmat Gabellarius] *vixque herbas pro autumnalibus diebus idcircò suppeditare valet*. *Qua de causa omnibus computatis*, *& deductis*, *fere nihil omnia supramemorata afferre dici potest* =. Atque ex his Oratoris precibus annuendum censet = *attenta potissimum pinguiori eleemosyna*, *quam quæ aliis in Regionibus necessaria foret* =.

Satis ne hæc sint ad indulgendam Gratiam, EE. VV. dijudicabunt. Denuo tamen notandum, principaliter Coloniam, & reliqua Bona legata fuisse ad conservandum Familiæ Rati splendorem, ita ut = *integra* (Codicillorum sunt verba) *& sine aliqua diminutione transeant*, *& perveniant in Primoganitum masculum &c.*, *& de Primogenito in Primogenitum usque in infinitum* = deindeque scriptum esse quotidianæ Missæ Legatum.

Deliberandum igitur erit

An sit standum, *vel recedendum a decisis quoad primum Dubium in casu &c.*

ARIMINEN. DEMOLITIONIS, ET TRANSLATIONIS MISSARUM. In Suburbio S. Bartholomæi Civitatis Arimini publicum est SS. Crucifixi Oratorium, jamdiu a Nobili Fœmina Lucretia de Bandis extru- *Sess.21.cap.7.; & Sess.22. cap. 6. de Reform.*

ctum.

ctum. Ecclesiasticum in eo existit Beneficium cum onere unius Sacri qualibet feria VI., quod ob extinctam Familiam de Bandis, cum universa Fundatricis haereditate ad Comites Cima delatum est. Adeo Oratorium Terraemotus concussit, ut ejus restauratio = *paullo minorem requirat sumptum, quam si tota moles Oratorii reaedificanda foret a fundamentis* = ut per haec verba ex Architecti ore refert Episcopus. Veniam hac de causa ab EE. Vestris petit hodiernus Patronus Galeatius Cima demoliendi ruinosum illud Ædificium, ac transferendi Beneficium ad aliud potius S. Bartholomaei Oratorium, in quo SS. etiam Crucifixi colitur imago, quam ad Parochialem S. Jo. Baptistae Ecclesiam. Utrique instantiae favet Episcopus. Interesse habentes assentiuntur.

Ex hoc Oratorii demolitionem approbat Episcopus, quod = *ex una parte nullum Populi devotio & commoditas, nullum Divinus cultus inde capiat emolumentum; ex alia vero parte Viae principi impedimento illud sit, & dos Beneficii, manutentionis onere gravata, vix eleemosynis Missarum correspondeat, nec restaurationis expensas subire possit* =. Opportuniorem vero ex pluribus censet translationem Beneficii ad Oratorium S. Bartholomaei. *Quaedam*, inquit, *in eo colitur Crucifixi Imago, quam singulari devotione, ac frequentia Cives prosequuntur. In Ecclesia S. Joannis plures quotidie Missae celebrari solent, ac parum interest, si solis sextis feriis una addatur. Secus vero dicendum de Oratorio, in quo una tantum Missa ut plurimum celebratur. Multum enim utilitatis, & commodi capiunt Fideles ex alterius Missae celebratione per singulas sextas ferias praestanda, quibus feriis majori concursu Oratorium frequentatur. Accedit quoque, quod translatio hujusmodi, cum de Oratorio Crucifixi ad Imaginem Crucifixi fiat, minus erit a Fundatricis mente aliena. Addam denique, eamdem translationem nonnihil Familiae, Beneficii Patronae profuturam. Haec enim jamdiu gaudet privilegio Fenestrae, e propria ipsius Domo in proximum Oratorium S. Bartholomaei prospectum habentis, unde Missam translatam non sine Fundatricis suffragio audire poterit.*

Valde quidem *Sac. Concilium Tridentinum Sess.*21. *cap.*7. *de Reform.* Ecclesiarum restaurationem commendat = *ne ea, quae Sacris Ministeriis dicata sunt, temporum injuria obsolescant, & ex Hominum memoria excidant* = sed ubi pares ei non sunt ipsarum Ecclesiarum Reditus, expresse permittit, ut illis tandem neglectis = *Episcopi, etiam tan-*

quam

quam Apostolicæ Sedis delegati transferre possint Beneficia simplicia , etiam Jurispatronatus , ex Ecclesiis , quæ vetustate , vel alias collapsæ sunt , & ob eorum inopiam nequeant instaurari = Deterrimum Oratorii SS. Crucifixi statum , gravissimum restaurationis sumptum , Redituumque defectum jam Emi Patres ex relatione Episcopi noverunt . Sua ergo prudentia , & religione decernant, num servari potius , quam demoliri debeat Sacrum illud Ædificium , quod ex dote Beneficii , *manutentionis onere gravata* , servari non potest . Similes quandoque demolitiones sive ob præcipuam Populi devotionem , sive ob vicinorum commodum *Sac. hæc Congregatio* denegavit , ut *in Ravennaten.* 29. *Julii* 1775. , & *in Æsina Demolitionis* 26. *Augusti* 1780. Sed quandoque etiam ; gravioribus concurrentibus circumstantiis , concessit , ut *in Lucana Demolitionis* , & *Translationis Oneris Missarum* 18. *Augusti* 1781. Ex fatiscenti autem Oratorio = *nullum Populi devotio & commoditas , nullum Divinus cultus capit emolumentum* = neque ulla per illius demolitionem injuria fit Fundatrici , cujus cadaver in eo sepultum esse non constat .

Quatenus igitur EE. Vestræ in demolitionem Oratorii conveniant , necesse est , ut de translatione etiam Missarum consulant . Ponderandum autem erit , num hujusmodi translationem impedire valeat præcipua erga designatam Ecclesiam Fundatricis affectio . Reliquæ enim deficiunt tumulati cadaveris , & commodi circumstantiæ , de quibus *Ricc. in Prax. part.*4. *resol.*64. , *Pax Jordan. var.resol. leg.*4. *tract.*1. *de Sacrific. Miss. num.*540. *tom.*1. , & *Sac. Congregatio in Firmana* 3. *Augusti* 1782. Nedum sane justa , sed necessaria etiam videri poterit translationis Missarum causa Ecclesiæ demolitio , & in commutandis voluntatibus spectanda potissimum est necessitas ex *Sac.Concil. Tridentino Sess.*22. *de Reform.* , & *Fagnan. in lib.* 1. *Decretal. Cap. Ex parte* 12. *de Const. num.*23.

Deliberandum præterea , quo facienda esset translatio . Plura , ut vidimus , Episcopus observat , ut fiat ad Oratorium S. Bartholomæi, licet paullo remotius Ecclesia S.Jo. Baptistæ ab Oratorio SS. Crucifixi , ejusque sententia confirmatur *a Sac. Concil. Trident. Sess.*21. *cap.* 7. *de Reform.* , quod liberam Episcopis Beneficiorum translationem a dirutis Ecclesiis permittit = *in Matrices , aut alias Ecclesias locorum eorumdem , seu vicinorum arbitrio suo* = Solicitus tamen non est Orator de translationis loco , satque

que ei erit, ut EE. Vestræ = *pro demolitione Oratorii Crucifixi, ac pro translatione Beneficii favorabiliter rescribant* = ut monet Episcopus.

Dubia sunt

I. *An sit locus demolitioni Oratorii SS. Crucifixi in casu &c.*
Et quatenus affirmative.

II. *An sit locus translationi Missarum ad aliud Oratorium S. Bartholomæi, vel potius ad Ecclesiam S. Jo. Baptistæ in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 5. Aprilis 1788. *in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.*

COnsulere dignentur Emi Patres ad septimam Causam præcedentia Folia dierum 19. Januarii, & 16. Februarii, quorum in uno relata fuit prima, aliæ sex in altero. Novissimarum vero speciem habent ex præsenti.

SENOGALLIEN. MISSÆ CONVENTUALIS. *Sess. 24. cap. 12. de Reform.*

An, & quomodo sit standum, vel recedendum a decisis quoad secundum Dubium in casu &c.

Recedendum a Decisis juxta Votum Eminentissimi Archipresbyteri.

IMOLEN. SEPARATIONIS THORI SUPER SEQUESTRIS. *Sess. 24. cap. 8. de Reform.*

An, & super quibus Bonis ob reditum Mariæ Magdalenæ Cavallazzi in Statum Ecclesiasticum sit locus executioni Rescripti diei 9. Septembris anni 1786. quoad remotionem sequestri in casu &c.

Affirmativè super Bonis Magdalenæ Cavallazzi.

NUL-

Sess. 14. cap. 7. de Reform.

NULLIUS MONTIS VIRGINIS IRREGULARITATIS.

An sit consulendum SSmo pro absolutione in casu &c.

Affirmativè.

Sess. 22. cap. 6. & Sess. 25. c. 4. de Reform.

JANUEN.

I. *An, & quomodo sit locus erectioni Capellaniæ ex annuis liris 300. in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit locus celebrationi Missarum ex liris 150. post obitum Oratricis in casu &c.*

Ad I. Affirmative juxta Votum Archiepiscopi prævia obligatione Monasterii per Capitulum Monialium facienda.

Ad II. Affirmative juxta Votum Archiepiscopi.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

URBANIEN. REDUCTIONIS MISSARUM.

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.

Dilata, & scribatur Episcopo juxta Instructionem.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

DERTHONEN. ABSOLUTIONIS, ET REDUCTIONIS MISSARUM.

An sit standum, vel recedendum a decisis quoad primum Dubium in casu &c.

In Decisis.

ARI-

ARIMINEN. DEMOLITIONIS, ET TRANSLATIONIS MISSARUM. *Seſſ.21. cap. 7. & Seſſ.22. c.6. de Reform.*

I. *An ſit locus demolitioni Oratorii SSmi Crucifixi in caſu &c.* Et quatenus affirmative.

II. *An ſit locus tranſlationi Miſſarum ad aliud Oratorium S. Bartholomæi, vel potius ad Eccleſiam S. Jo. Baptiſtæ in caſu &c.*

Ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative ad primam partem; Negative ad ſecundam juxta votum Epiſcopi, & ad mentem, nempe quod Cæmenta cædant favore Beneficii.

REATINA. Pervetuſtæ *B. Columbæ* Societati titulum nuper Reatinus Epiſcopus addidit *Mortis*, noviſque conditis Statutis, hæc capitulo cavit V. = *che le altre Confraternite non averanno diritto di aſſociare alla ſepoltura, ad eſcluſione di queſta, e degli emolumenti ſoliti, verun cadavere di qualche ſuo reſpettivo Confratello, ſe non sarà ſtato legitimamente aſcritto, ed accettato dal corpo della reſpettiva Confraternita canonicamente adunata ſei meſi innanzi la di lui morte* = Valde hac de re commota eſt Sac. *Stigmatum* Societas, ac primo funeris caſu in Jus deſcendit. Ad dirimendam igitur controverſiam, novumque confirmandum aſſociationum ordinem, Pontificiam Sodales *Mortis* implorarunt Statutorum approbationem. Prætermiſſum tamen fuit in Apoſtolico Brevi capitulum V., ſive quia ab Oratoribus, ut ipſi aſſerunt, reticitum, ſive quia illud SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER, veluti contrarium aliarum Societatum libertati, ut Sac. *Stigmatum* Sodales affirmant, conſulto rejecit. *Seſſ.22. cap. 8. de Reform.*

Vix uno, & altero ab edito Brevi elapſo menſe, plura Epiſcopus per Edictum ſtatuit, idemque *ſeptimo*, & *octavo* illius capitulo ſubſtantialiter mandavit, quod in *quinto* Statutorum continebatur. Facultatem aliarum Societatum, Sac. præſertim *Stigmatum*, cohibuit *ſeptimo* ad aſſociationem Novitiorum, qui poſt legitimam admiſſionem decederent, penituſque illegitimam declaravit = *l'aſcrizione, che abuſivamente ſi faceſſe nell' ultima malatia* = Ac præſcripſit *octavo* = *che riſpetto a quei defonti, che non ſono aſcritti legitimamente a veruna Confraternita, all' Epiſcopale noſtra Giuriſdizione ſoggetta, queſti devono eſſere aſſociati dalla Compagnia della morte &c. Ma volendo* (here-

re-

redes nempe defuncti) *altra Confraternita*, *non dovrà escludere il corpo di questa in quel discreto numero, che sarà fissato da chi soccombe alla spesa del funere* = idque derivare ait = *da Pontificia Autorità* = ex illomet scilicet Brevi, in quo, ut dixi, relatum non fuit simillimum Statutorum capitulum *quintum*.

Graves hinc lites cum Societate Sac. *Stigmatum*, Civibusque Reatinis super manutentione in quasi possessione = *adscribendi Sorores atque Confratres, etiam in supremo mortis articulo*, & in respectiva *libertate sese adscribendi quandocumque cuilibet sibi bene visæ Confraternitati*, *nec non quamlibet ex Societatibus vocandi ad funera*. Utrumque judicium absolvit Vicarius Generalis Reatinus ad formam Edicti. Parum tamen firmæ Sodalibus ipsis *Mortis* visæ sunt illius Sententiæ, Vestrasque idcircò EE. rogarunt pro confirmatione capituli *quinti* Statutorum = *come se fosse nel nominato Breve espresso*. = Audito tamen Episcopo, qui eis omnino in prolixa sua informatione favet; remissa res fuit ad Jus, ac infrascripta modo disputantur Dubia.

Primum igitur facultatem respicit aggregandi Confratres & Sorores, etiam in articulo mortis, eorumque associandi cadavera. Consentaneum in id dicunt Sodales *Mortis* capitulum *quintum* Statutorum Diœcesanis Synodis annorum 1726., & 1748., ac ipsius Societatis *Stigmatum* Statutis, in quibus non aliter Confratres participes fieri posse decernitur privilegiorum, & Indulgentiarum, quam per solemnem eorum admissionem. Quanta autem religione servari debeant Synodales Leges, & Societatum Statuta, monent *Glos. in Cap.2. §. Ceterum verb. Statutum de verb. signific. in sexto*, *Ursaja discept. Eccles.30. n.37. tom.2. part.2.*, *& Rot. in Melevitana Juris deferendi Cadavera 20. Junii 1768. §.2. cor. Ratta*. Legislativam rursus memorant Episcopi potestatem in sua Diœcesi, de qua *Text. in Can. Omnes Basilicæ caus.16. quæst. 7.*, *Fusc. de Visit. lib.1. cap.2. num.12.*, *&* 33. atque ex his concludunt, controversam Reatini Antistitis Legem de non aggredandis Confratribus, & Sororibus in articulo mortis, veluti a legitima Potestate conditam, exequi omnino debere a Societate *Stigmatum*, quæ cum reliquis subest illius Jurisdictioni ex Constitutione Clementis VIII. *Quæcumque*, quam exornat *Barbos. de Offic.*, *& Potest. Episc. part.3. allegat.75. num.31.*

Latam præterea dicunt hujusmodi Legem ad turpem avertendum quæstum Sodalium Sac. *Stigmatum*, qui ditiores tan-

tantum aggregabant morientes, gravique scandalo erant, quasi Indulgentias vendidissent, ut refert Episcopus. Pluribusque tandem suadere contendunt, Reatinam *Stigmatum* Societatem mutuari non posse facultatem adscribendi Confratres, & Sorores in articulo mortis neque ex privilegiis Archiconfraternitatis *Stigmatum* Urbis, cui aggregata est, quum solæ Indulgentiæ per hujusmodi aggregationes communicentur, juxta citatam Clementis VIII. Constitutionem *Quæcumque*, alteramque Pauli V. *Quæ salubriter*, de quibus *Ferrar. in Biblioth. verb. Confraternitas art.* 1. *num.* 41., *Monacell. tom.* 2. *tit.* 13. *form.* 1. *num.* 78., & *Sac. hæc Congregatio in Potentina Aggregationis* 29. *Maii* 1683. *ad I. II. III.*, & *IV. Dub. in Lib. Decret.* 34. *fol.* 148., neque ex propria consuetudine, quæ adversus Synodales Leges, & Statuta abusus potius est, & corruptela, ad *Text. in Can. Si consuetudinem distinct.* 8. *de Sentent.*, & *Rejud.*

Quid contra in Apostolicis Constitutionibus hac de re statutum fuerit, advertendum rogant Sodales *Stigmatum*. Morientibus siquidem, qui Sacrum Divi Francisci Habitum peterent, & cum eo post obitum sepelirentur Indulgentias decreverunt *Clemens IV.*, *Nicolaus III.*, *Urbanus V.*, *Alexander VI.*, *Leo* X., teste *Ferrar. in Biblioth. verb. Indulgentia art.* 5. *num.* 38., & *seqq. Xistus IV.* vero nedum piam hanc commendavit morientium voluntatem, sed eis quoque religiosum Habitum *exhiberi debere* præcepit, & sub clausula *Sublata*, ac *Decreto irritanti* quamlibet abrogavit Legem factam, vel faciendam *per Ordinarios Locorum contra disposita in Bulla*, ut in *aurea* ejus *Constitutione* 7. Kal. Augusti 1479., quæ *in novissimo Bullario Mainardi tom.* 3. *part.* 3. *est in ordine la* XXII. § 9. Si ergo, inquiunt, universæ Sac. *Stigmatum* Societates sub Legibus sunt, & Regulis Fratrum Minorum, de quibus Apostolicæ loquuntur Constitutiones, jam illorum quoque gaudent privilegio *exhibendi* morientibus Habitum, eoque *per Ordinarium Loci* privari nequeunt.

Parvique faciendam non esse contendunt aggregationem eorum Societatis alteri Urbis, quæ Confratres, & Sorores adscribere solet in articulo mortis, ut testatur ejus Secretarius. Recentioribus namque temporibus Sacra hæc Congregatio declaravit, nedum Societatis aggregantis Indulgentias, sed Privilegia etiam communicari. Ita *in Novarien. Aggregationis* 24. *Septembris* 1718. *ad I. Dub.* Quæsitum sane fuit = *An Confraternitas aggregata*

gaudeat solum Indulgentiis; *vel potius etiam Privilegiis Confraternitatis aggregantis* =. prodiitque Rescriptum = *Gaudere Indulgentiis*, *& Privilegiis Confraternitatis aggregantis* = Maxime, quia aggregationi privilegio vetusta accedit Reatinæ Societatis *Stigmatum* consuetudo, de qua plures jurant Testes, & cui Synodales fortasse non adversantur Leges, ac ipsius Societatis Statuta, quum de solemnibus valentium, non morientium aggregationibus loquantur. Turpem denique quæstum in adscribendis morientibus excludit Capellanus ejusdem Societatis, qui sub juramento affirmat, nunquam se extremum aggregationis solatium pauperibus denegasse = *ma chiamato ho sodisfatta la divozione di tutti*.

Reatinos secundum Dubium respicit Cives, quibus implicite capitulum V. Statutorum, expliciteque octavum Edicti libertatem adimit sese quandocumque adscribendi cuilibet Societati, eamque eligendi pro associatione cadaverum. Judicio eos sistere non posse ajunt sodales *Mortis*, sive quia Reatinam non repræsentant Universitatem, sive quia majori ex parte Sodales sunt *Stigmatum*, sive quia nonnulli Mandatum procuræ revocarunt. Iterum hic Synodalia opponunt Decreta, quasi universos Cives afficiant. Cessum sibi dicunt jus sepeliendi mortuos a Parochis, qui in erectionem eorum Societatis consenserunt. Exemplum deducunt Pisaurensis Episcopi *Radicati*, qui privativam associandi cadavera Societati SS. Nominis Dei concessit, duplicemque Sententiam, qua Eminentissimus Carrara dum in Subselliis A.C. meritissime sedebat, & A. C. Met Alliata hujusmodi privativam, in simplici tamen manutentionis judicio, confirmarunt. Ac rationem denique *ex Relatione Episcopi* afferunt, cur eadem Societati *Mortis* permittenda sit privativa, quia nempe = *insignia nigri coloris*, *quibus utitur Mortis Societas*, *adhibenda suadet Ecclesiæ disciplina* = quasi albo etiam, cæruleo, rubeo, similibusque coloribus non induantur cadavera.

Opus sibi non esse contendunt Cives nomine Universitatis, ut libertatem vindicent sese adscribendi, in articulo etiam mortis, cuilibet Societati, ac unam potius, quam alteram vocandi ad associationem cadaverum. Eos namque *uti singulos*, non *uti universos* tangit privativa Societatis *Mortis*, & iis, quæ *singulis* competunt, *unus* etiam legitimus est contradictor, *Leg. Sicut Municipium* §. *Quod cujusque Univers. nom.* Innatam deinde urgent

liber-

libertatem, quam cuique in id servavit Sacra Congregatio Rituum per Decretum *diei* 14. *Januarii* 1640. relatum per *Lantusc. in supplem. ad Theatr. Regular. verb. Associatio cadaverum sub num.* 4. *pag.* 556., Sacra rursus Congregatio Episcoporum, & Regularium; ut testatur *Ferrar. in Biblioth. verb. Confraternitates art.* 6. *in addit. ex Auctore num.* 33. *& seq.*, ac Sacer tandem hic Ordo in *Bononien.* 28. *Julii* 1724. Ad *decimum* enim Dubium = *An eidem Confraternitati liceat associare SS. Eucharistiæ Sacramentum, & cadavera Defunctorum cum aliis Confraternitatibus, atque cum ipsis interesse Processionibus* = respondit = *Affirmative, dummodo sit invitata* = Coactivum sane jus obligandi heredes Defunctorum vel ad unam admittendam Societatem, vel ad eam cum aliis invitandam, non aliter, quam per expressum Supremi Principis privilegium, vel immemorabilem observantiam induci potest, *Wesembec. cons.* 67. *num.* 21.

Rectissimo autem EE. Vestrarum judicio relinquitur prætensa Parochorum cessio, & Pisaurensis Societatis exemplum. Consenserunt Parochi in erectionem novæ Societatis; sed hoc videndum, num per hujusmodi consensum cedere voluerint, & potuerint jus associandi Parochianorum cadavara, seu idoneos potius reddere Sodales ad interveniendum associationibus, quatenus a Defunctorum heredibus invitarentur. Pisaurensis vero Societatis exemplum, quod de consensu forsan Populi inductum fuit, alteram parit quæstionem, num universalis Legis instar, a reliquis Catholici Orbis Societatibus allegari valeat.

Toti quoad *tertium* Dubium incumbunt Sodales *Mortis* jurisdictioni Episcopi in Sodalitia, de qua memini sub *primo*. Jurisdictionem hanc inficiantur Sodales *Stigmatum*, & Cives in coactivis Ordinationibus, quum neque Provinciales Synodi lædere valeant naturalem libertatem, *Pignatell. consult.* 205. *num.* 27. *& seq. tom.* 4., *Peyrin. ad Const.* 10 *Leonis* X. §. 2. *num.* 2. Maxime, quia illud ipsum Reatinus Episcopus per Edictum mandavit, quod SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER probare noluerat *contra Text. in Cap. Cum inferiorem de major. & obedien.* Verisimiliter enim, inquiunt Sodales *Stigmatum*, petita etiam fuit confirmatio Capituli V. Statutorum, quod causam dederat liti; eiusque idcirco omissio in Apostolico Brevi, tacitam de facto rejectionem præfert ex *Cap. Dilecti il* 11. *ibique Gloss. verb. Facto de Appellat.*

His igitur perpensis, respondere dignentur EE. Vestræ.

I. *An Societati Sacrorum Stigmatum Reatis competat jus aggregandi Confratres, & Sorores quocumque tempore, etiam in articulo mortis, eorumque cadavera proprio Sacco induta associandi in funere ad Ecclesiam in casu &c.*

II. *An, & quomodo Civibus, Particularibus, & Incolis Reatis competat jus sese adscribendi quandocumque cuilibet sibi bene visæ Confraternitati, nec non vocandi ad eorum libitum quascumque Confraternitates ad funera, & Defunctorum associationem in casu &c.*

III. *An sustineatur Edictum Episcopi diei 18. Maii 1786. in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

BONONIEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATUM Ad augendum cultum Deiparæ, quæ in Templo S. Dominici Bononiæ sub invocatione SS. Rosarii veneratur, convènit anno 1635. Marchio Hugo de Pepolis cum Sodalibus Ejus Sacelli de harmonico Litaniarum cantu singulis sabbathis, pervigiliis, Festisque Eidem dicatis. Annuum in hanc causam assignavit censum scutorum 39., alia ad complendum Reditum scutorum 40 investienda solvit scuta viginti, distinctamque in singulos annos despondit summam scutorum sex, ut adderetur musicæ buccina, vel aliud in ejus defectum musicale Instrumentum. In casu autem, quod assignati Reditus decrescerent, se suosque heredes obligavit = *dare, & solvere singulo anno, semper singulo semestre anticipate, id & totum, quod deficiet* = hac addita ratione = *cum intentio dicti Illustrissimi Domini Marchionis fuerit & sit, quod dicti Domini Officiales habeant, & consequantur singulo anno in perpetuum libras 195. integraliter, ultra Reditum dd. librarum 100., ut supra solutarum* = seu annua in unum sc. 40.

Conventionem sequenti anno 1636. aliquantulum variavit in Testamento. Loco enim annuæ præstationis scutorum sex in stipendium Buccinatoris, pro unica vice reli-

liquit Sodalitio scuta 200. Nedum de cetero assignationem confirmavit census, & perpetuum heredibus imposuit onus supplendi ad annuam usque summam scutorum 40. defecturos fructus, sed maximum etiam de perpetuitate musicae desiderium pandit in haec verba = *Perchè esso Signor Testatore grandemente desidera, che quest' Opera Santa non solo duri in eterno, ma anco s' accresca in onorare la Santissima Vergine del Rosario, e sapendo averli fatto un'assegnamento di un Censo &c. però ordina, che li suoi Eredi debbano avere particolar cura, che si riscuoti, e non riscuotendosi pagare del suo, e da due volte, che non si riscuotessero così facilmente, di modo che si vedesse, che l'Opera fosse per perire, vuole che li suoi Eredi siano obbligati darli tanti denari, che rendano l'entrate di detto Censo, e non lo facendo, che dd. Amministratori possano andare al possesso di tanti suoi Beni ad arbitrio loro*.

Piae Hugonis Pepoli largitioni aliae in eamdem causam accesserunt Dorotheae Lambertini Berò, & religiosi Anonymi. Altera enim Sodalitio reliquit scuta 40., & alter scuta 100., addito onere solemnis Sacri uno ex novendialibus Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi. Post varia investimenta conversus fuit Hugonis census in Loca MM. annui fructus scutorum 19. 69. 4. Alia scuta 200., in locum annuae praestationis scutorum sex relicta, & scuta 40. Dorotheae Lambertini erogata fuerunt anno 1645. in reparationem Sacelli, *obtentis*, ait Emus Archiepiscopus, *necessariis facultatibus, ut credendum videtur, praesertim cum totum hoc in Pastoralibus Visitationibus Praedecessorum meorum approbatum reperiam*. Et scuta demum centum Anonymi in censum. Universi Reditus sunt scutorum 23. 69. 4. Intermissae primùm fuerunt harmonicae Litaniae anno 1751., quo Gregorianum earum cantum ad decennium permisit *Benedictus XIV.*, ut redimere possent Sodales argenteam Altaris Crucem a pignore. Gratiam deinde ad aliud decennium prorogavit Clemens XIII. anno 1760. pro constructione Organi, nec amplius ad haec tempora expleta fuit musica. *SANCTISSIMO* nuper supplicarunt Sodales pro absolutione quoad praeteritum, & commutatione voluntatum quoad futurum, ut temporaria nempe illa Gregoriani cantus permissio perpetua fieret, & detracto Cantorum stipendio, ac solemnis Sacri eleemosyna, erogari valerent Reditus in

in annuum dotale subsidium ad nominationem alterius ex ipsis, qui postremae Natalitiorum novendialium functioni interfuerint. Precibus vero ad Sac. Congregationem Fabricae quoad praeteritum, ad Sac. hanc Congregationem quoad futurum remissis, instantiam modo pro commutatione voluntatum coram EE. Vestris renovant.

In omnibus eis favet Emus Archiepiscopus tum prae Redituum tenuitate, tum quia *nulla spes effulget, ut heredes toties nominati Hugonis Pepoli augere velint eosdem*. Harmonicum insuper reprobat cantum significantibus hisce verbis = *Si quis dixerit, multo melius cantu Gregoriano, quam ornato illo ad Saeculi pompam musico adsequi, is me quidem judice, non a vero aberrabit. Et utinam vota plurimorum, & sanctitate, & doctrina illustrium in Ecclesia Virorum implerentur, quibus nihil adeo cordi fixum est, quam ab Ecclesiasticis, & Officiis, & Ceremoniis modulos illos, & musicam mollem procul ablegare, quae ad mulcendas hominium mundanorum aures potius, quam ad elevanda corda Fidelium in Deum apta videtur* = Valdeque postremo commendat = *quod ultimo loco Oratores exponunt de fructibus in dotem Puellae vertendis, cum & hoc in Deiparae majorem cultum, & in Societatis utilitatem, & in Confratrum ipsorum bonum redundare videatur* = Duo igitur juxta rei speciem proponuntur Dubia.

Pro commutatione siquidem voluntatum, de qua in primo Dubio, urgere videtur Redituum tenuitas, major, ut Emus censet Archiepiscopus, Gregoriani cantus religio, magisque pium, ut censent Sodales, subsidii dotalis opus. Ubi enim difficilis est demandati Operis executio, aliaque aeque pia expleri valent Opera, justa adesse censetur commutandae voluntatis causa, ut censuit Sacra haec Congregatio in *Romana Commutationis Voluntatis* 27. *Februarii* 1734., & *in Melphien. Commutationis Voluntatis* 22. *Junii* 1743. Difficilem immo arbitratur Emus Archiepiscopus harmonicum Litaniarum cantum, etiamsi annui restituerentur Reditus scutorum quadraginta ad formam Testamenti Hugonis, vel etiam quinquaginta, additis fructibus scutorum 240., ex quibus reparatum fuit Sacellum. *Cum quotannis*, inquit, *occurrant dies quatuordecim, qui Deiparae Virginis cultui, & memoriae sunt sacri, quibus si totidem adjungantur profesti dies, & duo itidem supra quinquaginta Sabbatha, octoginta circiter erunt dies ad Litaniarum cantum praefixi* = ita
ut

ut vix oboli quinquaginta, aut sexaginta pro qualibet obtingerent musica.

Notandum contra, passim *Doctores* pro commutatione voluntatis necessariam, & publicam requirere causam, *Fagnan. in Cap. Nimis sub num.6. de Fil. Presbyt.*, *Monet. de commut. ultim. volunt. cap.6. num.75.*, *Piton. de controv. Patron. alleg*, 50. *num.7.*, saepius ea deficiente, a commutandis voluntatibus Sac. Congregationem abstinuisse, ut antiquioribus omissis, *in Romana* 24. *Martii, & Bononien.* 7. *Julii elapsi anni*. Utrum necessaria commutationis causa sit imminutio Redituum, quos ex contractu, & Testamento Hugonis Pepoli supplere forsan tenentur heredes: num integra etiam summa ab initio assignata, impar censeri debeat brevissimae Litaniarum musicae, cui tanto *ante Benedictinum Indultum* tempore satis fuit; & publica ne sit causa subsidiorum dotalium distributio inter Consanguineas Sodalium, vel *mollis musicae* abusus, EE. Vestrae dijudicabunt. Distinguendum vero inter musicam lascivam, quae profana miscet, & Sacram. Prior quidem eliminanda est ab Ecclesiis ex praescripto *Sacri Concilii Tridentini Sess.* 22. *Decret. de observan., & evitan. in celebrat. Miss.* non item posterior = *cum hujusmodi consonantiae* (harmonicae scilicet notae) *auditum demulceant, devotionem provocent, & psallentium Deo animos torpere non sinant* = ut per haec verba monet *Joannes XXII. in Extrav. Docta de Vit., & honest. Clericor.*

Quatenus vero EE. Vestrae commutandas non esse censeant voluntates Hugonis, Dorotheae, & Anonymi, ac praesertim Hugonis, quae pro harmonico Litaniarum cantu enixa fuit, ut ea pandunt verba = *esso Signor Testatore grandemente desidera, che quest' Opera Santa non solo duri in eterno, ma anco s'accresca in onorare la SS. Vergine del Rosario* = in hoc sane casu providendum erit, juxta secundum Dubium, necessario Pii Operis Reditui ad formam Dispositionum. Num ratio amplius habenda sit de scutis 240., jamdiu in reparationem Sacelli erogatis, EE. Vestrae decernent. Scuta centum Anonymi in fructifero existunt censu. Soli Hugonis Reditus imminuti sunt a scutis 40. ad 19. 69. 4., non ex culpa Sodalium, sed ex conversione assignati census in Loca MM., quorum minores sunt usurae. Deliberandum ergo, num supplere teneantur illius heredes *quod deficit*, juxta Instrumentum anni 1635., a quo non discrepat Testamentum, & num audiendi sint ab EE. Vestris priusquam condem-

demnentur. Auditi enim ab Emo Archiepiſcopo, in commutationem voluntatis Ugonis convenerunt.

Quæritur ergo.

I. *An, & quomodo ſit conſulendum SSmo pro commutatione voluntatum Hugonis Pepoli, Dorotheæ Lambertini Berò, & Anonymi in caſu &c.*

Et quatenus negative.

II. *An, & quomodo ſit providendum pro illarum executione in caſu &c.*

Die

Die Sabbathi 26. Aprilis 1788. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

REATINA. Prioris hujus Causæ, & sequentis species, in præcedenti est Folio diei 5. labentis Aprilis. De reliquis hic agitur. *Sess.22. cap. 8. de Reform.*

I. *An Societati Sacrorum Stigmatum Reatis competat jus aggregandi Confratres, & Sorores quocumque tempore, etiam in articulo mortis, eorumque cadavera, proprio Sacco induta, associandi in funere ad Ecclesiam in casu &c.*

II. *An, & quomodo Civibus, Particularibus, & Incolis Reatis competat jus sese adscribendi quandocumque cuilibet sibi bene visæ Confraternitati; nec non vocandi ad eorum libitum quascumque Confraternitates ad funera, & Defunctorum associationem in casu &c.*

III. *An sustineatur Edictum Episcopi diei 18. Maii 1786. in casu &c.*

Ad I. Negative juxta Votum Episcopi.
Ad II. Affirmative juxta Votum Episcopi; exclusis Fratribus mortis, nisi invitatis.
Ad III. Provisum in primo, & secundo.

BONONIEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATUM. *Sess.22. cap. 6. de Reform.*

I. *An, & quomodo sit consulendum SSmo pro commutatione voluntatum Hugonis Pepoli, Dorotheæ Lambertini Berò, & Anonymi in casu &c.*
Et quatenus negativè.

II. *An, & quomodo sit providendum pro illarum executione in casu &c.*
Dilata, & præfigatur ab Emo Archiepiscopo terminus Hæredibus Ugonis Pepoli ad deducendum jura sua in S. Congregatione.

Seʃʃ. 23. *cap.* 1. & *Seʃʃ.* 24. *cap.* 4. *de Reform.*

BURGI S. DONNINI VISITATIONIS SAC. LIMINUM. Quærit Epiſcopus Burgi S. Donnini, an liceat Minoribus Cappuccinis ejus Diæceſis Puerperas admittere ad purificationem, ſeu jus potius ſit parochiale. Secundam Ipſe tuetur partem ex Synodalibus Eccleſiæ ſuæ, aliarumque Eccleſiarum Statutis. Nonnulla etiam memorat Sacræ hujus Congregationis Reſcripta, & ita concludit = *ut Parochiale Miniſterium ſuo ſtet robore, & diſſidiorum auferatur occaſio, Cappuccinorum Superiorem Generalem monendum ab EE. Veſtrarum auctoritate confido, ut Guardianis in hac Diœceſi conſtitutis indicat, ne in poſterum cum ſuis ſubditis alienæ meſſi manum admoveant* = Conſuetudinem contra, aliaſque Sacræ Congregationis reſolutiones opponit Generalis Cappuccinorum Procurator, valdeque de Fidentinis queritur Parochis, quod ſuos inſectentur Religioſos, *quorum ſæpiſſime opera in ſuis Parœciis utuntur, ita ut in ſubſidium Parochorum ibidem exiſtere Sacramentorum miniſterio, verbi Dei dispenſatione, Sacrorum confectione dici poſſit*. Hac de cauſa addit, quod *etiamſi de re ageretur, quam non conſtaret ab aliis perfici, præterquam a Parochis poſſe, erga Minores Cappuccinos, veluti in amicos, & ſubſidiarios parochiali indulgentia utendum Eccleſiaſticæ ſocietatis cauſa videretur oportere*. Res igitur EE. Veſtrarum judicio ſub infraſcripto proponitur Dubio.

Expreſſa quidem non eſt Lex, quæ facultatem admittendi Puerperas ad purificationem, vel uni tribuat Parocho, vel Regularibus etiam indulgeat. Quæſtionis igitur reſolutio ab auctoritate pendet *Doctorum*, ex Decretis Sac. Congregationis Rituum, & Sac. hujus Congregationis Reſponſis. Qui facultatem inter parochialia recenſent jura, his nituntur rationibus, QUOD omnes nempe *ritus benedictiones, & functiones, quæ referuntur in Rituali, ſpectant ad Rectores, ſeu ad eos, qui habent curam Animarum*, ut *Baſſ. de Sodalit. quæſt.* 12. *num.* 10., QUOD Puerperarum admiſſio ad purificationem *ſequela eſt Sacramenti matrimonii*, ut *Urſaya diſcept.* 27. *num.* 8., & *ſeq. tom.* 3. *part.* 1., QUODQUE fieri ſoleat *cum Superpelliceo, Stola, & Aqua benedicta, quæ ſigna eſſe videntur juriſdictionis*, veluti *Nicol. in Floſc. verb. Parochus num.* 17., *Pignatell. conſult.* 76. *num.* 2., & *ſeqq. tom.* 5., *Monacell. part.* 1. *tit.* 10. *form.* 18. *num.* 10., & *ſeqq.*, *Barboſ. de Offic. Paroch. cap.* 24. *num.* 22. *Schmalzgrueber conſ.* 58. *de jure baptizandi*, & *purificat. quæſtion.* 2. *num.* 12. Qui illam vero ad Regulares extendunt

ex

ex hoc moventur, quod *purificatio in novo Testamento non necessitatis, sive præcepti, sed devotionis actus est*. Ita præ ceteris *Vviestn. tom. 3. tit. 47. de Purificat. post partum num. 7.*, *Dejann. de Visit. cap. 7. Dub. 20. §. un. Matteucc. de Offic. Cur. cap. 36. num. 18.*

In hac opinionum varietate statuit anno 1704. *Sacra Rituum Congregatio* per Decretum generale, Puerperarum benedictiones pertinere ad Parochos. Ad VI. enim Dubium = *An benedictiones Mulierum post partum, Fontis baptismalis, ignis, seminis, ovorum, & similium sint de juribus mere parochialibus* = respondit = *Negative, sed benedictiones Mulierum, & Fontis baptismalis fieri debere a Parochis* = ut refert *Girald. in Jus Pontific. part. 1. ex lib. III. Decretal. tit. 47. de Purificat. post partum sectio. 627.* Sacra tamen hæc Congregatio modo unam, modo alteram, juxta diversas facti circumstantias, amplexa est sententiam. *In Bononien. 20. Junii* 1720. ad IX. Dubium rescripsit, Regulares non prohiberi in eorum Ecclesiis Puerperas admittere ad purificationem, *lib. Decret. 12. pag. 45. In Aquen. Jurium Parochialium 9. Junii* 1708. ad Dubium = *An Patres* (Carmelitæ) *possint in propria Ecclesia Mulieres post partum benedicere, & ad purificationem admittere* = respondit = *Affirmative* = *lib. Decret. 58. pag. 200.* Idemque definivit die 3. Decembris 1718. *in Derthonen. Jurium Parochialium*, in qua quum *septimo* quæreretur = *An jus benedicendi Sponsas, & Puerperas spectet privative ad Parochos* = responsum dedit = *Affirmative quoad primam, & negative quoad secundam partem* = iterumque die 7. Decembris 1720., quoad primam partem stetit *in decisis*, & quoad secundam declaravit = *esse in libertate Puerperarum accedere ad quamcumque Ecclesiam sibi benevisam*.

Aliter ob privativam Parochi consuetudinem, & Synodi Provincialis Constitutionem censuit *in Antuerpien. Jurisdictionis 18. Novembris* 1662. Proposito enim Dubio = *An prædictis Regularibus Civitatis Antuerpiensis liceat in propriis Ecclesiis Mulieres post partum ad purificationem admittere* = rescripsit = *Non licere* = ut *in lib. 23. Decret. pag. 348. a terg.* Aliterque non obstante Regularium consuetudine, cui opponebatur Decretum latum ab Episcopo in Sac. Visitatione, aliaque edita Episcopali Sede vacante, *in Celsonen. 31. Martii* 1759. Ad Dubium sane = *An liceat Regularibus Civitatis Cervariæ benedicere Puerperas ad eorum Ecclesias accedentes post partum, seu potius eadem benedictio competat Parocho in casu &c.* = re-

 spon-

ſpondit = *Negative ad primam partem , affirmative ad ſecundam* , & *amplius* .

Toties igitur Sacra hæc Congregatio Regularibus indulſit, quoties legitima ipſis fuit conſuetudo benedicendi Puerperas, quæ Synodalibus Legibus non advertaretur. Non parum enim hac in re deferendum eſt conſuetudini , *Leuren. For. Eccleſ. lib.* 3. *tit.* 47. *de de Purific. poſt partum, quæſt.* 991. *num.* 2. , *Laurent. de Franch. controv. inter Epiſc.* , *& Regul. part.* 2. *quæſt.* 69. *num.* 1. , *Dejann. de Viſit. cap.* 5. *dub.* 3. *ſect.* 6. *num.* 113. , & *cap.* 7. *dubium* 20. §. *unic.* Parochis vero vel ex privativa eorum conſuetudine , vel ex Synodalibus Conſtitutionibus favit , *quum Regulares* , *eorum exemptione non obſtante , parere cogantur Diæceſanæ Synodi Sanctionibus in iis,quæ reſpiciunt Curam Animarum* , ut per hæc verba monet *Benedictus* XIV. *de Synod. Diœceſ. lib.* 13. *cap.* 4. *n.* 5.

Quonam tempore Minorum Cappuccinorum Burgi S.Donnini conſuetudo initium habuerit , non conſtat . Affirmat tamen Procurator Generalis Ordinis , eam *ab immemorabili inceptam* . Refert contra Epiſcopus , directe illam adverſari Diæceſanis Eccleſiæ ſuæ Statutis = *anno* 1624. *de Sacram. Matrim. pag.* 106. §. *Puerperæ* , *anno* 1663. *in Synodo Pallavicini cap.* 4. *de Sacramentalib. lib. pag.* 260. §. *Ubi Puerperæ* , *& tandem anno* 1728. *in poſtremo celebrata Synodo Zandemaria tit.* 11. *de Paroch. num.* 30. , *quibus cautum conſtantiſſime fuit* , *prout ab extractis particulis* , *quæ in fine dabuntur* , *ne quis etiam Regularis* , *præter Parochum* , *in propria Eccleſia Mulieres poſt partum benedicere audeat ſub pœna etiam ſuspenſionis a Divinis* = additque , pluries Parochos apud ſe de contrario Cappuccinorum abuſu conqueſtos fuiſſe .

Sic prima Synodus. *Puerperæ ab eorum Parochis benedictionem ſuſcepturæ* , *nonniſi ad ipſam Eccleſiam Parochialem accedant* . *Quod ſi quis alius ſive Sæcularis* , *ſive Regularis eas benedicere, & ſuſcipere auſus fuerit* , *in pœnam ſuſpenſionis a Divinis incurret* . Ita rurſus ſecunda. *Puerperæ ad Eccleſiam Parochialem accedant* , *ibique tantum a proprio Parocho* , *& non alibi, nec ab alio ſub cujuſvis privilegii, vel conſuetudinis prætextu benedictionem accipiant; alias tam Parochus alibi benedicens* , *quam alii Sacerdotes* , *etiam Regulares* , *in alienam ſubditam hoc munus obeuntes* , *pœnam ſuspenſionis a Divinis ſubibunt* . Atque ita demum tertia . *Parochis omnibus diſtricte præcipimus, ut non in earum Ædibus* , *ſed in Eccleſia unice Puerperis benedictionem impertiantur* . *Qui eas vel extra Eccleſiam,*

vel

vel sibi non subditas benedicere ausus fuerit, quatuor aureorum pro prima vice pœnam dabit. In eos vero, qui non semel, sed iterato huic Sanctioni contra fecerint, latam a Prædecessoribus Nostris, ipso facto subeundam, Nobisque reservatam suspensionem denunciamus, & quatenus opus sit, innovamus.

Deliberare igitur dignentur Emi Patres.

An Minoribus Cappuccinis Diœcesis Burgi S. Donnini liceat admittere in eorum Ecclesiis Puerperas ad purificationem in casu &c.

Negative.

SENOGALLIEN. Ex piis Fidelium oblationibus erexit anno 1652. Senogalliensis Episcopus in Ecclesia S. Liberatæ Beneficium simplex cum onere celebrandi festivis diebus Sacrum, ac manutenendi Ecclesiam, ejusque supellectilem. Hæc in Decreto erectionis = *Rector Missas in Ecclesia prædicta diebus Dominicis, & Festivis ac duas in qualibet hebdomada, juxta voluntatem præfatorum DD. Jacobi Mariæ, ac Petri Pauli* (quorum etiam Legata erecto Beneficio attribuit) *celebrare debeat, & teneatur* = Et hæc in altero institutionis Rectoris = *Cum onere Rectori pro tempore satisfaciendi obligationibus per antedictos Benefactores impositis, ac insuper celebrandi, vel celebrare faciendi in dicta Ecclesia Missas singulis diebus Dominicis, & Festivis, ac manutenendi d. Ecclesiam, & Altare de paramentis, & supellectilibus.* Eidemque deinde Beneficio aliud accessit trium hebdomadalium Missarum Legatum.

Sess. 22. Decret. de observan., & evitan. in celebrat. Miss., & Sess. 25. cap. 4. de Reform.

Jugiter ad hæc tempora applicatæ sunt pro Legantibus hebdomadales Missæ, non item illæ fundationis. Post decimum quartum circiter annum a capta hujusce Beneficii possessione, ab EE. Vestris quærit Sacerdos Dominicus Marconi, an applicare teneatur festivas Missas pro Benefactoribus. Quatenus vero teneatur, absolutionem postulat ab omissa applicatione, ac futuram etiam oneris reductionem.

De

De more requisitus, Emus refert Episcopus; quod = *nullus illorum, qui a sæculo & ultra hoc Sacerdotio aucti fuere, Sacrificium obtulit pro Benefactoribus singulis festis diebus, qui occurrerunt, neque unus ex iis, qui hanc Cathedram tenuerunt, eos ad Sacrificia, ut supra offerenda, adegit. Itaque nullus, uti communiter putatur, fuit, qui non libere ea obtulerit* = De tenuitate insuper testatur Redituum = *qui sive indiligentia eorum, qui hoc Sacerdotio potiti fuere, sive temporum injuria adeo decreverunt, ut a quadraginta aureorum summa ad septemdecim in præsentia sint redacti* = Et quamvis se a ferendo suffragio super applicatione Missarum, earumque reductione abstineat, censet tamen quoad præteritum, *quod bona Oratoris fides exuberare videtur*.

Si verisimilis spectetur piorum Oblatorum mens, oblationes potius dedisse censentur, ut suffragiorum participes fierent, idque non semel Sac. hæc Congregatio declaravit *in Tinen. Applicationis Sacrificii* 18. *Augusti* 1668. *lib.*26. *Decret. fol.*61. , *in Spoletana Applicationis*, & *Reductionis Missarum anni* 1710. *lib.*60. *fol.*4. *a terg.*, *in Ferrarien. Applicationis Missarum* 13. *Januarii*, & 24. *Februarii* 1720., & *in Bononien. Dispensationis* 14. *Septembris* 1783. Si centenaria vero attendatur observantia, quam Senogallienses Episcopi silentio confirmarunt, dubia per eam declarata dici posset Oblatorum, ac Fundatoris Beneficii voluntas *Text. in Cap. Cum dilectus de consuet.* Maxime, quia pium quemlibet usum oblationes respiciunt, *Petr. ad Constit. Anastasii IV. sect.*2. *num* 16. . *Pignatell. Consult.* 160. *num.*21. *tom.*4.

Pro absolutione a præterita Missarum applicatione, quatenus fieri debuisset, bona urget Oratoris fides, de qua Emus testatur Episcopus. Sæpe enim hac concurrente, SANCTISSIMO pro illa consuluit Sacra Congregatio, ut *in Parmen.* 6. *Maii* 1786., *in Reatina Absolutionis* 24. *Martii*, & *in Derthonen. Absolutionis*, & *Reductionis Missarum* 7. *Julii elapsi anni ad II. Dubium*. Quoad Missarum postremo reductionem notandum est, nedum absque culpa Oratoris imminutos esse Beneficii Reditus, sed onus etiam Sac. supellectilium, ac manutentionis Fabricæ ei incumbere. In his porro terminis æquam dixit reductionem *Benedictus XIV. de Synod. Diœces. lib.*13. *cap. ult. num.*22., & Sac. hæc Congregatio *in Senogallien. Reductionis* 10. *Maii* 1783.; *in Viterbien. Reductionis*

One-

Onerum 8. *Maii* 1784. In perpetuo autem, de quo agitur, Missarum onere, concessa quandoque ob imminutos Reditus fuit reductio ad taxam perpetuæ, etiam post acceptationem Beneficii, ut *in Albinganen.* 12. *Decembris* 1778., *& in Anconitana Missarum* 20. *Aprilis* 1782.

Dubia.

I. *An sit locus applicationi Missarum in casu &c.*

Et quatenus affirmativè.

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

III. *An, & quomodo sit locus reductioni quoad futurum in casu &c.*

Ad I. Negative.

Ad II., & III. Provisum in primo.

SANTANDRIEN., SEU CUBANA MATRIMONII. *Sess.24. cap. 1. de Reform.*

In Regionibus degens Avanæ, mandatum dedit Franciscus de Riano die 29. Aprilis 1777. Equiti Jo. Antonio de la Barcena ad contrahendum in Santandriensi Civitate matrimonium cum Rosa de Zarate, & Oruna, illudque deinde, quatuor ad Sponsam datis epistolis sub diebus 17. Decembris ejusdem anni, 16. Januarii, 18. Maii, & 25. Junii sequentis, ratum habuit. Omnibus adhibitis solemniis, demandatum munus explevit Procurator die 15. d. mensis Junii 1778., reque ad Rianum delata, iterum & tertio per alias epistolas sub annos 1780., & 1781. contracto plausit matrimonio, seque ad Uxorem accessurum dixit, cum primum sua negotia composuisset, ac pericula belli, quod inter Catholicum, Christianissimum, & Britannum Regem agebatur, cessarent. Commendavit immo Joanni Nepomuceno Riborica, Santandriensis Domicilii, Uxorem, & Soceram, eumque rogavit, ut omnia ad illarum exhibitionem præberet.

Frustra tamen Virum per septennium expectavit Rosa, tantæque moræ pertæsa, Santandriensem adiit Ecclesiasticam Curiam, ut tandem aliquando ad conjugalia officia cogeretur. Requisitorialibus expeditis Literis innotuit, alteri eum in nova Aurelia die 10. Januarii 1782. nupsisse Mulieri, Mariæ scilicet de Sales, liberosque ex ea suscepisse. Ad hoc contrahendum matrimonium docuerat

ex

ex Instrumento, congruo se tempore, die nempe 12. Junii 1777., quo præ Locorum distantia nubere non poterat ejus Procurator Rosæ de Zarate, consensum revocasse. Quod novum non est apud Indos = *attenta eorum conditione, & consuetudine facile consentiendi in matrimonium ficte* =, ut refert *Sanch. de matrim. lib. 2. disput.45. num. 10.* Formiter idcircò examinati fuerunt anno 1784. in Curia Ecclesiastica Avanæ instrumentarii testes Aloysius, & Michael Gonzales, ac Franciscus Rodriquez de los Santos. Alter vero dixit = *Che non si ricordava di averlo veduto* (Rianum nempe) *fare alcun' Istromento pubblico* = alter = *di non conoscere D. Francesco di Riano, e che non si ricordava di essere stato testimonio a verun documento pubblico, o privato concernente il Riano* =, & iisdem fere verbis alter = *di non conoscere il d. Riano, nè rammentarsi di esser stato testimonio ad alcun Istromento, che quegli avesse fatto* =. Hoc tamen non obstante, qui matrimonia ibi tuetur, standum potius esse censuit fidei Notarii, qui revocati consensus Instrumentum rogavit, & secundæ favendum Uxori, bona fide possidenti; decrevitque Ordinarius, molestandum non esse Rianum donec contrarium probaretur, ut constat *ex summario Actorum* Santandriensis Curiæ.

His cognitis, & per Decretum Santadriensis Episcopi, Rosæ communicatis, imparem ea se dixit sumptibus litis, Pontificiamque implorare velle declaravit Auctoritatem = *a degnarsi dispensare sul matrimonio rato contratto fra essa, ed il detto Riano* = ut concludit *summarium Actorum* ab eodem Episcopo transmissum. Reque vera SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO supplicavit, ut eam declarare dignaretur = *libera a disporre di se medesima* =. Precibus ab hac Sacra Congregatione Santandriensi Episcopo remissis, demandata fuit confectio Processus ad formam *Constitutionis* Benedicti XIV., quæ incipit *Dei miseratione*. Is autem retulit = *talem Processum impossibilem confectu esse, vel certe inutilem prorsus fore; nam aut citari non poterit Franciscus de Riano, quia qua in Urbe, aut Diœcesi habitet, ignoratur, & forte jam se contulit in remotissima, & incognita nostræ Americæ loca, vel in finitimas extraneas Provincias; aut si forsitan citari contingat, statim fugam capiet, uti minatus est per Epistolam* = ad ejus Patruum datam absque indicatione Domicilii. Atque ita conclusit = *Cum igitur non de uno tantum, sed de duobus agatur matrimoniis, propter quod res implicatior evadit, & hæc lis, si per tramites judiciales suum*

jus

jus prosequi velit Oratrix, nunquam finem habitura videatur, cum propter summam repugnantiam d. Francisci ad contestandum, tam propter distantiam Locorum, denique propter Substantiæ inopiam ad litis prosequutionem. Hoc unum superesse videtur remedium, ut scilicet BEATISSIMUS PATER Oratricem liberam declaret, aut certe pro quiete ipsius conscientiæ cum illa ad cautelam dispenset. Quod quidem convenientissimum fore arbitror; alioquin relinquenda est Oratrix in eo infelicitatis statu, ut nesciat, immo nec scire possit, nupta ne sit, an libera.

Ad removendum obicem deficientis Processus, SANCTISSIMUM rogavit Rosa pro jllius sanatione, ejusque Instantia *arbitrio* ejusdem Sacræ Congregationis ex *audientia Sanctitatis Suæ* remissa, in primum ex infrascriptis Dubiis cum Defensore Matrimonii Urbis convenit. Tertio deinde Pontificium adiit Solium pro facultate disputandi secundum etiam Dubium super dispensatione a matrimonio rato, & non consumato, obtinuitque remissionem = *a Monsignor Segretario del Concilio* = proprio SANCTITATIS SUÆ charactere. Hoc sane Rescripto visa est tributa ad formam *Benedictinæ Constitutionis* facultas concordandi flagitatum Dubium. Si enim SANCTISSIMUS per remissionem = *a Monsignor Segretario del Concilio* =, a quo concordari solent Causarum Dubia, petitionem Rosæ *non rejecit*: ergo *commisit*; quum ad alterutrum *Benedictina Constitutio* respiciat, vel =*ut petitionem*= (disputandi de dispensatione a matrimonio rato) REJICIAT, *vel ejus examen alicui ex dictis Congregationibus* COMMITTAT. Adjecta quandoque fuit remissivo Rescripto clausula = *cum facultatibus necessariis, & opportunis quoad concordationem Dubii* = ut in Causa Gentilis Montogli cum Julio Bussi, præscribenda tamen non est Summo Pontifici rescribendi formula, dummodo *committat*. Nisi enim per Rescriptum illud = *A Monsignor Segretario del Concilio* = concordationem Dubii in hac Causa commisisset, eam profecto nec *rejicere*, nec *committere* voluisse dicendum esset, quod de tanto Pontifice cogitari non potest. His igitur de causis secundum etiam, renuente Defensore matrimonii, decretum est Dubium *super Dispensatione a Matrimonio rato*, quod cum altero *super Nullitate* EE. Vestris proponitur.

Arbitrio utendum, ait Rosa, ex Pontificio Rescripto in hac definienda Causa absque solemni Processu, tum quia

Santandriensis Episcopi testimonio *impossibilis* est illius confectio, tum quia ejus supplent vices Santandriensis Curiae Acta. Ex una siquidem parte constat de revocato per Instrumentum consensu ante contractum matrimonium; de contradictione ex altera instrumentariorum Testium assertae stipulationi, & perseverantia consensus ad annum usque 1781., quo Rianus epistolarum commercium cum Rosa intermisit. Eas igitur in utramque partem adesse censet probationes, quae ad decernendam matrimonii validitatem, aut nullitatem per solemniorem *Benedictinae* inquisitionem haberi possent. *Expedit*, inquit *Sac. Conc. Tridentinum Sess.*25. *cap.*18. *de Reform.*, *Legis vinculum quandoque relaxare*, justa scilicet concurrente causa. Maxime si impossibilis sit ejus observantia. *Canon* enim, *seu Lex cum debeat esse possibilis, non vindicat sibi locum in casu, in quo non potest observari*, ut per haec verba notat *Fagnan. in lib.*5. *Decretal. Cap. Absolutos num.*31. *de Haeret.* Reque vera non semel Sacra haec Congregatio in similibus casibus *Benedictinae* rigorem relaxavit, ut *in Baren. Nullitatis Matrimonii* 16. *Martii*, & 4. *Maii* 1754. *lib.* 104. *Decret. pag.* 97. & 145., & *in Theatina Matrim.* 18. *Julii*: & 19. *Septembr.*1761. *lib.*111. *Decret. pag.*281., & 390.

Nullitatem deinde urget matrimonii, de qua sub primo Dubio. Posita siquidem revocatione consensus ex parte Riani priusquam contraheretur, nullum dubio procul fuisset etiam quoad Rosam; quum mutuum absque mutuo consensu induci nequeat matrimonii vinculum, *Sanchez de Matrim. lib.* 2. *disput.* 8. *num.*2., *Pont. eod. tract. lib.* 1. *cap.*6. *num.*7., licet tam illa, quam Procurator voluntatis mutationem ignorassent, *Text. in Cap. fin. de Procurat. in sexto, ibique Passerin. num.*17., *Sanchez de essent. & consens. matrim. lib.*2. *quaest.*11. *num.*6., & *Sac. Congregatio in Eugubina, seu Perusina Matrimonii* 11. *Januarii* 1727. Neque eam turbat sive instrumentariorum Testium contradictio, sive consensus renovatio per epistolas. Testibus praeferendum esse contendit publicum revocati consensus Instrumentum, de cujus veritate testatus fuit Notarius coram Ordinario Avanae. *Attento* enim *Jure Regio* (Catholici nempe Regis, cui subest Avana) *standum est Instrumento publico, quando confectum est a Tabellione bonae famae, & ipsum Instrumentum agnoscente, etiamsi Testes Instrumentarii rem aliter se habere*

bere deponant, ut per hæc verba tradit *Guttier. conf.* 27. *num.*1. *tom.* 13. Epiſtolas vero tribuit dolo Riani, qui poſt ſolemnem conſenſus revocationem, ei potius illudere voluiſſe cenſetur.

Num hæc in graviſſima nullitatis matrimonii Cauſa admittenda ſint, EE. Veſtræ dijudicabunt. Notandum tamen, quod ab uno pendet revocati conſenſus Inſtrumento primi Dubii reſolutio, reſque poſtulat, ut ex canonicis potius, quam civilibus Legibus de illius veritate decernatur. De Jure autem canonico = *Si Teſtes contradicunt Inſtrumento, in quo ſcripti ſunt, prævalent Inſtrumento* =, ut notat *Gloſs. in Can. Si Teſtes cauſ.*4.*quæſt.*3. Animadverſionem quoque merentur Riani epiſtolæ tum præ earum numero, cum ob conſtantem mandati procuræ, ac ipſius matrimonii ratihabitionem: quodque magis eſt, ob demandata Uxori alimenta. *Proteſtans enim* (de ficto, vel revocato in matrimonium conſenſu) *faciendo actum contrarium proteſtationi, videtur ab ea recedere, & ſimpliciter conſentire* = ut per hæc verba monet *Sanchez de Matrimon. lib.*2. *diſput.*45. *ſub num.*19.

Quatenus autem daturi ſint Emi Patres *negativum* reſponſum ad *primum* Dubium, deliberandum erit juxta *ſecundum*, an ſit conſulendum SANCTISSIMO pro diſpenſatione a matrimonio rato, & non conſumato. Quid matrimonii Defenſor in id dicturus, ignoro. Nulli dubium, quin juſta de cauſa diſpenſare valeat Summus Pontifex a matrimonio rato, *Kugler de matrim. quæſt.*23. *An Papa diſſolvere poſſit matrimonium ratum reſponſ. ad* 1., & 2. *object. tom.*1. *pag.*853.. Hoc igitur quærendum, num conſtet de non conſumatione matrimonii cum Roſa de Zarate, & juſta concurrat diſpenſandi cauſa. Quod res ſit de matrimonio tantum rato, ex Actis liquet Santandrienſis Curiæ. Nunquam enim Rianus poſt datum procuræ mandatum in remotiſſimum ſe contulit domicilium Roſæ, cauſamque dedit ejus contumacia judiciali illius inſtantiæ in Santandrienſi Curia = *chiedendo le lettere requiſitoriali, affinche ſi aſſicuraſſe, e mandaſſe in luogo d'iſpezione la perſona dell' indicato D. Franceſco, e condotto ſi condannaſſe a ratificare il detto matrimonio RATO, ed a vivere con eſſa conjugalmente*.

Non obſcure etiam matrimonii conſumationem excludit in ſua Informatione Santandrienſis Epiſcopus, dum in ea eſt ſententia = *ut Beatiſſimus Pater Oratricem liberam declaret,*

ret, aut certe pro quiete ipsius conscientiæ cum illa ad cautelam dispenset = . Hoc ipsum a prima ad ultimam comprobant Riani epistolæ, in quibus tam ante, quam post contractum ab ejus Procuratore matrimonium, futurum pollicebatur accessum ad Sponsam post expedita negotia, & cessata pericula belli. Si fides tandem præstanda est ipsimet Riano, non modo Rosam non adiit, sed nec novit unquam. Ad ejus namque Patruum rescribens die 20. Martii 1783., se a primo matrimonio alienissimum dixit, ac donaturum Rosæ, si ab eo insectando desisteret = *Duemila e tanti Pezzi, a cui in tutta forza mi potrebbero obbligare, atteso che non la conosco*.

Quatuor autem potiores sunt causæ dispensandi a matrimonio rato, = *Prima, notabilis disparitas in qualitate, videlicet quando contrahentes sunt notabiliter conditione impares, & affectione cæca, & levitate quadam ducti, contrahunt matrimonium. Secunda, est gravis timor magni scandali futuri. Tertia, est lepra. Quarta, quando alter conjugatorum asserit, se non habuisse animum contrahendi* = *Corrad. Prax. Dispensat. lib.8. cap.7. num. 27.* Num aliqua in casu nostro ex hisce causis concurrat, Emi Patres videbunt. Nedum sane timor est scandali ob maximam Riani aversionem a primo matrimonio, sed impossibilis etiam est illius conjunctio cum Rosa. = *Matrimonium enim cum ista contractum, nullum profitetur, omneque malum subire, quam ipsius cohabitationem amplecti se malle, multoties testatus est. Quapropter de illius contestatione nulla spes reliqua esse videtur*, = ut inquit Episcopus. Quodque magis est, jam plures secundi matrimonii lapsi sunt anni, pluresque ex eo sunt Filii, quos spurios declarare oporteret. In eo contra est Rosa *infelicitatis statu, ut nesciat, immo nec scire possit, nupta ne sit, an libera. Ex quo*, subdit Episcopus, *multa mala ipsi imminere sentio, utpote juveni, nobili, alias satis diviti, nunc vero tantum non pauperi, utroque Parente denique jam dudum orbatæ*.

Non semel in similibus terminis dispensarunt Summi Pontifices a primo matrimonio rato, ac præ ceteris Gregorius XIII., qui dispensationem indulsit = *Duci Albano, vulgo de Alva de Torres, qui contraxerat primo matrimonium de præsenti per Procuratorem cum Filia Ducis de Alcalà Hispali, & secundo cum alia, quod consumaverat* = teste *Ursaya discept. 21. num.42. tom. 3. part. 2.* Et in

In iisdem terminis dispensandum censuit Sacra hæc Congregatio cum Viro, qui secundum consumaverat matrimonium, *in Chien.* 12. *Martii* 1729. Proposito enim Dubio = *An*, *& quomodo sit providendum* = rescripsit = *Ad D. Secretarium cum Sanctissimo juxta mentem* = seu pro dispensatione a primo matrimonio rato.

Deliberare igitur dignentur EE. Vestræ.

I. *An constet de nullitate matrimonii in casu &c.*

Et quatenus negativè.

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione a matrimonio rato, & non consumato in casu &c.*

Ad primum. Provisum in secundo.

Ad II. Affirmativè, attentis facultatibus.

ROMANA, SEU SAVONEN. SUBSIDII DOTALIS. Testamento jussit anno 1633. Julia Gavotti, ut ex scutis 2000. multiplicum fieret per annos viginti, ejusque deinde fructus in dotalia erogarentur subsidia scutorum 300. pro quolibet favore Puellarum descendentium a Hieronymo, Joanne Lodisco, Nicolao, & Carolo, ejus respective fratribus, & nepotibus = *tam pro auxilio earum maritagii, quam monacationis*. Diversam sequenti anno 1634. dispositionem fecit Joannes Stephanus Gavotti. Investimentum heredibus imperavit annui fructus scutorum 500. auri ex auro in tot Censibus, aut Locis MM. sive Savonæ, sive alibi, *dove sarà piu comodo*. Annua ex his scuta biscentum assignavit = *per dote di Zitelle, e Donne della Famiglia di Casa sua, discendenti dalla linea del suddetto Nicolò abitanti in Savona, che vorranno monacarsi* = sub expressa conditione = *che di questo suo annuo reddito così lasciato, e costituito non si possa dare più di scudi* 400. *per Zitella da monacarsi*. Deficientibus Puellis, quæ monasticum assumerent statum, *Sess.* 22. *cap.* 6. *de Reform.*

mul-

multiplicari præcepit ſcuta 200. ad annum uſque Reditum ſcutorum 400. = *ed allora non vi eſſendo Zitelle da monacarſi, ſi poſſino detti ſcudi 400. annui applicare ad una, o piu Zitelle, e Donne della ſteſſa Famiglia, ſenza potere in tal caso impegnare detto reddito per l'anno ſeguente, ma ſolo ſi aſſegni a tal Zitella da maritarſi l'entrata di un' anno, e non piu* Voluitque poſtremo, quod= *non vi eſſendo di detta Famiglia Donne, e Zitelle da monacarſi, e nemeno da maritarſi, ſi debbano in tal caſo diſtribuire detti ſcudi 400. a povere Zitelle di detta Città di Savona da monacarſi* = quibus etiam non exiſtentibus, inveſtiri mandavit dotale ſubſidium in augmentum Capitalis.

In plures Columnellos diviſa eſt linea Nicolai Gavotti, quorum alii Savonæ, alii Januæ, alii in Urbe domicilium habent. Qui ſunt Savonæ, obtinuerunt anno 1765. de *conſenſu Baronis Angeli Gavotti Romani* cumulum Dotium relictarum a Julia ad annos viginti. Hoc ductus exemplo, SANCTISSIMO nuper ſupplicavit Baro Alexander, Angeli filius, ut ex Fundo ſubſidiorum dotalium a Joanne Stephano relictorum, qui in Statu Eccleſiaſtico exiſtit, ſeu annuo ejus fructu ſcutorum 773. 73. certam arbitrio ſuo concedere dignaretur annuam ſummam Camillæ, & Mariæ ejus Filiabus =*affinchè sin da ora quella porzione, che piacerà alla SANTITA' VOSTRA di aſſegnare, poſſa metterſi a moltiplico per fino a tanto, che verrà il caſo della monacazione, o maritaggio* = ſub conditione tamen = *di lasciare ſoſpeſi tutti quegli anni, in cui vi ſaranno Figlie da maritarſi, o monacarſi nelle altre Famiglie Gavotti, acciò poſſino conſeguire quelle Doti di ſcudi* 400. *di oro in oro lasciategli dal Teſtatore*.

Precibus ad Sac. hanc Congregationem remiſſis, exquiſitaque Savonenſis Epiſcopi informatione, præ ceteris hic refert, quod = *quinque nunc temporis adſunt Puellæ de dicta Familia, videlicet duo ex D. Alexandro, una ex D. Julio, & item duo ex D. Hieronymo, quæ quidem omnes deſcendunt a dicto qu. Nicolao, ſtipite deſignato a Teſtatore; ſed non in omnibus concurrit circumſtantia habitationis a Teſtatore expreſſa. Siquidem primæ duo hic Romæ, tertia ut plurimum Genuæ, & ſolum reliquæ duo hic Savonæ commorantur*. A ferendo tamen ſe abſtinet ſuffragio, ejuſque loco animadverſiones exhibet Hieronymi, Nicolai, & Julii, qui Baroni Alexandro contradicunt. Res igitur ſub infraſcripto proponitur Dubio.

Gra-

Gratia, inquit Baro Alexander, quam postulat, nullum præjudicium infert aliorum Columnellorum Filiabus, ac præsertim Hieronymi, qui Savonæ moratur, quum juxta ejus declarationem, salvæ erunt illarum Dotes = *di scudi* 400. *di oro in oro lasciategli dal Testatore* = Pauperes tantum lædit Savonenses Puellas, quæ in defectum Puellarum Familiæ vocatæ sunt; sed nulla eis, tanquam incertis, fit injuria, si consanguineæ Testatoris, quibus præsumpta favet illius voluntas, præferantur, *Mantic. de conject. lib.* 8. *tit.* 5. *num.* 16., *&* *seq. Rot. in Romana, seu Albanen. Subsidiorum Dotalium* 10. *Decembris* 1756. §. *fin. coram Frangipane*. Reque vera non raro Sacra hæc Congregatio hujusmodi prælationem affinibus & consanguineis indulsit. Ita *in Camerinen. Subsidiorum Dotalium* 8. *Augusti* 1733., *&* *in Romana Subsidiorum Dotalium* 6. Dec. 1778.

Ut proniores sint EE. Vestræ in hac concedenda *gratia*, gravissima memorat Familiæ suæ infortunia, amissum scilicet Vacabilium capitale in summa scut. 27513. 82., & alienum æs a Raimundo Maria Gavotti contractum in ampliori summa scutorum 46580., de cujus solutione testatur ejus Ratiocinator. Ea idcircò premi ait egestate, quæ Nobilem Familiam miseratione dignam reddit, seque hac de causa dotandis Filiabus imparem dicit. Nam *ubi agitur de paupertate probanda ad certum, & determinatum effectum, pauper dicitur, cujus bona non sufficiunt pro illo effectu* = ut monet *Rot. coram Duran. decis.* 98. *num.* 10. Nulloque sibi levamine esse posse dotale alterum subsidium, quod Familiæ suæ fæminis reliquit Hortensia Capizucchi *in Testamento*. Ejus porro compendium in natu minores contulit masculos *in Codicillis*, jamque Ratiocinatoris testimonio, distributi sunt Reditus inter minores ejus Fratres, annuo cuilibet statuto assignamento scutorum 200.

Ad excludendam vero Savonensis domicilii necessitatem observat, expressum illud fuisse quoad Puellas, & Mulieres Familiæ nubentes in Domino, non item quoad nubentes in sæculo; ideoque locum habere argumentum a *discretiva*, de quo ad rem *Constant. vot.* 17. *num.* 12.. Alias admitti deberet absurdum, quod præferre voluisset Testator extraneas Puellas non habitantibus consanguineis. Plura hinc addit de *demonstrativa* domicilii quali-

voca-

tate, quasi adjecta fuerit ad indicandam *originem* Familiæ Gavotti, probatque ex fidibus baptismatis, & matrimonii, Angelum Dominicum Gavotti, a quo ipse descendit, natum Savonæ fuisse post obitum Testatoris anno 1661., deindeque anno 1694. nupsisse Hortensiæ Capizucchi in Urbe. Atque exinde concludit, domicilii qualitatem adiici non potuisse ad distinguendos descendentes Nicolai Savonæ habitantes ab aliis alio emigratis.

Exempla de cetero non desunt neglectæ qualitatis domicilii consanguinearum favore. Res erat in citata *Camerinen. Subsidiorum Dotalium anni* 1733. de dotibus relictis habitantibus = *o in Fabriano, o Serra de Conti* = & tamen concessæ fuerunt consanguineis oriundis ex Apiro per Rescriptum = *Consulendum Sanctissimo pro assignatione scutorum* 200. *pro qualibet* = Hoc ipsum accidit *in Firmana Subsidiorum Dotalium* 12. *Maii* 1759. Quamvis enim vocatæ essent ad subsidium dotale Puellæ = *native di Morrovalle* = interrogati tamen Eminentissimi Patres, an etiam Puellæ ex advenis parentibus, vel alio domicilium transferentes admitti deberent, responderunt = *Affirmative*.

Plurimum tandem urget Baro Alexander exemplum Savonensis Familiæ Gavotti, quæ ipso annuente, viginti annorum cumulum ex dotalibus subsidiis Julia obtinuit. Idem modo sibi licere contendit ex subsidiis Joannis Stephani, ne ad imparia judicetur, contra præceptum *Textus in Cap. In Judiciis de Reg. Jur. in* 6. Maxime, quia Julius Gavotti, qui Savonensem Familiam repræsentat, dum consensum a Barone Angelo ejus patre pro eo cumulo postulavit, in epistola addidit = *che nel modo medesimo, con cui si sostiene per detta mia Sorella, lo potrà chiunque di voi altri, che avrà Figli, ottenere*.

Præ omnibus altera ex parte Savonenses, & Januenses monent Gavotti, opus esse Baroni Alexandro, juxta ipsam Dubii formulam, derogatione voluntatis Joannis Stephani, ut petitum subsidium obtineat. Alia autem ex causa derogari nequeunt defunctorum voluntates, quam *justa, & necessaria*, ut statuit *Sacrum Concilium Trident. sess.* 22. *cap.* 6. *de Reform.*, vel etiam *publica*, ut censet *Covarr. variar. resol. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 7. Talem non esse, inquiunt, causam dotandi Filias Baronis Alexandri, quum *privatum* respiciat ejus commodum, quod Sac. hæc

Con-

Congregatio neglexit *in Romana diei* 24. *Martii elapsi anni*,

Maxime quia enixè prohibuit Testator nubentibus in Domino, & in sæculo majus subsidium scutorum 400. Sic de prioribus Puellis = *con questo però, che di questo suo annuo reddito non si possa dare più di scudi* 400. *per Zitella da monacarsi* = Et sic de posterioribus = *solo si assegni a tal Zitella da maritarsi l'entrata di un anno, e non più* = In his sane terminis, inquiunt exteri Gavotti, quum clausula illa = *e non più* = removeat Testatoris consensum ab actu, eo magis derogationem impedit voluntatis *Pignatell. Consult. Canon.* 149. *num.* 11. *tom.* 4. Accedit dissensus, & contradictio eorumdem de Gavottis, qui collatores sunt dotium: ipsorum insuper præjudicium, quia id controversum subsidium absumeret, quod in defectum Puellarum Familiæ, & Savonæ in augmentum capitalis ex voluntate Testatoris converti debet: & grave tandem præjudicium pauperum Puellarum Savonensium, quæ licet *in specie* sint incertæ, certæ tamen sunt *in genere*. Lædere autem non solet Summus Pontifex, nisi ex *publica* causa jus Tertii, *Amostaz. de Caus. Piis lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 8., *Pignatell. Consult. Canon.* 149. *num.* 5. *tom.* 4.

Vocationem præterea impugnant Filiarum Baronis Alexandri in Urbe commorantium, ob volitum in Dotandis Savonense domicilium, verbis illis = *abitanti in Savona* = Neque eos turbat sive argumentum a *discretiva*, sive asserta originis demonstratio. Ex hoc namque, quod domicilii qualitatem voluerit Testator in Puellis, quæ meliorem eligerent Monasticum statum, a fortiori eam voluisse censetur in eis, quæ nuberent in sæculo, argumento ducto a majori ad minus. Ad demonstrandum vero, quod in vocandis Puellis = *abitanti in Savona* = loquutus fuerit Testator *taxative*, ut Savonensem scilicet Familiam ab aliis emigratis distingueret, probant ex Instrumento emptionis venditionis, longe ante Angelum Dominicum Gavotti, anno scilicet 1610., lares in Urbe constituisse Laurentium. Exemplo tandem esse non posse ajunt cumulum dotium, ab ipsorum altero obtentum, eo quod cecidit gratia super dotalia subsidia Juliæ Gavotti, cujus dispositio diversa est ab altera Joannis Stephani secundum præmissa utriusque verba.

His igitur perpensis, respondere placeat,

An sit consulendum Sanctissimo pro derogatione voluntatis

Jo. Stephani Gavotti sen. ad effectum assignandi subsidia dotalia Camillæ, & Mariæ Gavotti, a quo tempore, & in qua quantitate in casu &c.

Negativè.

Seff.24. cap.1. de Reform.Matrim.

EUGUBINA VISITATIONIS SACRORUM LIMINUM. Refert Eugubinus Episcopus, quod = *prætеritis non multum elapsis mensibus dubium coram me excitatum fuit, an Matrimoniis Famularum, assistere debeant Parochi, in quorum Parochia Puellæ famulatum præstant, vel ii, intra quorum Parochiæ fines earum Parentes suum habent domicilium. Parochi in contrarias scinduntur opiniones. Vetus & numquam interrupta consuetudo in Eugubina Civitate fuit, ut a Parocho illius Parœciæ, in qua famulatum præstant, conjungerentur; præsertim nunquam refragante Parocho paterni domicilii. Et re vera in Cathedralis Ecclesiæ Matrimoniorum libro plura extant exempla usque ab anno 1555., documentum, quod biscentenariam consuetudinem exhiberet. Qui vero contrariam tenent opinionem, asserunt, Matrimonium celebrandum esse coram proprio Parocho, qui alius esse non potest, nisi Parochus domus paternæ, ea freti ratione, quod Famulæ, cum sponsalia contraxerunt, ad paternas remittuntur domos* = & ad hanc dirimendam quæstionem, quid sibi faciendum sit, ab EE. Vestris postulat.

Contrahi quidem debet matrimonium coram proprio Parocho ex dispositione *Sac. Concilii Tridentini sess. 24. cap. 1. de Reform. Matrim.*, Parocho scilicet illius loci, in quo contrahentes habent domicilium, *Pont. de Matrim. lib. 5. cap. 13. num. 2. Sanch. eod. tract. lib. 3. disput. 24. num. 2.* Sed quæstio est de proprio Puellarum in famulatu existentium domicilio, utrum illud nempe sit Domini, vel alterum Parentum. Sacra Episcoporum, & Regularium Congregatio decrevit, Puellas existentes in Monasteriis reverti debere post datam matrimonii fidem ad domos Parentum (quod in more etiam est apud Eugubinos quoad Famulas) & *sic in loco proprii* Do-

Domicilii constitutæ,procul dubio ad Matrimonium ineundum Parocho uti debent , cujus ditioni paterna ædes adscita judicabitur , ut referendo Illius Decretum, in hæc verba concludit *Benedictus XIV. Instit. Eccles.* 33. *num.* 15. *tom.*10. Clarius vero idem Pontifex statuit *ibidem n* 16., quod *si Puella , quæ matrimonii fidem præstitit , in alia Parochia domicilium non habeat , tunc Parochus , quem primo loco nominavimus* (Monasterii scilicet , vel Domini) *Puellam in matrimonium conjunget . Sin autem paternum , maternum , vel fraternum domicilium habebit , tunc Parochus , cui domicilium idem subijcitur , pro conficiendo matrimonio præsens assistet* = memoratque *Statutum Cleri Romani cap.*3. §. 21. , in quo decernitur = *Familiares , & Famulos Cardinalium , seu aliorum Principum . & Prælatorum , nec non aliorum quorumcumque, qui habent domum , & familiam in alia Parochia , ad illam pertinere* .

Benedictinæ Institutioni , & Cleri Romani Statuto consentanea est Urbis consuetudo , quæ = *veluti in conspectu ipsius Sedis Apostolicæ inducta , habetur pro Lege in universo Orbe , & normam Episcopis , aliisque inferioribus Prælatis tribuit* = ut monet *Rot. in Majoricen. Parochialis de Manacor.* 2. *Julii* 1708. , ac tradunt *Ursaya discept.*6. *num.*165. *tom.* 1. *part.*1. , *Ferrar. verb. Matrimonium num.*218. , *& seqq.* Contraria quidem Eugubii viget *biscentenaria* observantia , cujus notissima est virtus, illudque animadversione dignum , quod nulla ante *Benedictinam Institutionem* erat Lex, quæ de Famularum Parocho decerneret . Centenaria autem observantia = *Pro jure , & Lege in iis , quæ non ex scripto descendunt observari solet* = per *Text. in Leg.* 32.*ff. de Legib.* Ponderandum tamen , an *Benedictina Institutio* , quæ Bononiensem respicit Civitatem , & Diæcesim , jus faciat universale . Si accipienda esset pro Lege , Eugubinam fortasse consuetudinem lædere posset . Non raro enim Sacra hæc Congregatio similes consuetudines ex nova Lege neglexit , ac præsertim *in Illerden.* 28. *Maii* 1785. Proposito enim Dubio = *An standum sit decreto Episcopi , in Sac. Visitatione posito , statuente , quod matrimonia benedicantur a propriis Parochis , quorum est matrimonii interesse , an vero consuetudini immemorabili de benedicendis matrimoniis a solo Parocho Cathedralis* = respondit = *Affirmative ad primam partem , negative ad secundam , & amplius* .

Quæritur ergo .

An Matrimoniis Famularum assistere debeat Parochus domicilii paterni, seu potius alter, in cujus Paræcia Puellæ famulatum præstant in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

Sess. 14. cap. 7. de Reform.

GERUNTINA DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE. Dum mense Januario anni 1782. Sacerdos Cajetanus Falbo, Collegiatæ Ecclesiæ Cacurri Canonicus, licitæ vacabat, & ab ipso Episcopo permissæ venationi, universos sinistræ manus digitos ex igneæ ballistæ disruptione amisit. EE. Vestras modo exorat pro dispensatione a contracta irregularitate. De bonis ejus moribus, gravique paupertate plures alii testantur Canonici, Parochus, & Publici Terræ Cacurri Officiales. Experimento constat, eum *bene se gessisse, idoneumque repertum tam in cæremoniis, quam in omnibus aliis Sacrificii functionibus, præcipue ab initio Canonis usque ad sumptinem nihil indecens commisisse*. Omniaque in testimonialibus Literis Geruntinus Vicarius Capitularis confirmans, ita concludit = *Quapropter, si videbitur Emis & Rmis Cardinalibus Sac. Congregationis Concilii, possunt dispensationis gratiam eidem Sacerdoti impertiri.*

Irregularis dubio procul est Sacerdos, cui altera abscissa est manus, vel ad faciendum Sacrum inepta, *ex Cap. Presbyterum 2. de Cleric. ægrotan. vel debilitat.*, reique gravitate, & decentia quandoque Sacra hæc Coogregatio dispensationem denegavit, ut *in Augustana Irregularitatis* 19. *Decembris* 1772., *& in Abellinen. Irregularitatis* 7. *Julii* 1770. Non desunt tamen in durioribus terminis hujusce dispensationis exempla. In *Consentina diei* 13. *Junii* 1725. remissa fuit arbitrio Ordinarii dispensatio Sacerdotis Bernardini Lopez, licet flexibilitatem in dextero brachio amisisset. *In Placentina* 1. *Februarii* 1766., inter supplices Libellos relata, concessa pariter fuit dispensatio Sacerdoti, qui ejusdem brachii usum ex vulnere amiserat; ut *lib. Decret.* 116. *pag.* 50. Eademque nuper *ad sex menses* elargita est dispensatio pauperi Parocho, qui accidentalem sinistri brachii jacturam fecit, *in Burgi S. Sepulcri* 7. *Julii elapsi anni*.

Ad

Ad EE. igitur Veſtras pertinet decernere, num ſimilem mereatur gratiam Sacerdos Falbo, qui ſiniſtræ tantum manus digitis caret: bonis præditus eſt moribus, jugiterque Choro, & Sacris functionibus intereſt: gravi laborat egeſtate, neque ex tenui Canonicatus fructu par eſt alendæ grandævæ ejus Matri, Fratriæ Viduæ, Sororibus, Nepotibusque: ac moralem tandem, Magiſtri Cæremoniarum & Vicarii Capitularis teſtimonio, dat certitudinem, quod Sacrificii functiones ſine periculo, & ſcandalo expleat. Reſpondere igitur dignentur,

An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro diſpenſatione in caſu &c.

TOLENTINA MISSÆ CONVENTUALIS. Jamdiu inter Priorem, & Canonicos Collegiatæ Eccleſiæ S. Jacobi Tolentini diſputatum *primo loco* fuit Dubium = *An, quomodo, & quibus diebus in Eccleſia Collegiata S. Jacobi Tolentini celebrari debeat Miſſa cantata* = proditque *die* 26. *Maii* 1739. Reſcriptum = *celebrandam eſſe juxta Decretum Viſitationis anni* 1727. = Hoc autem erat Decretum = *Epiſcopus viſitavit Chorum, & poſuit punctaturas, ſcilicet pro Feſtis ſolemnioribus juliorum duorum pro Miſſa cantata, & Choro pro quolibet Canonico; Feſtis autem currentibus Julii unius. Mandavit etiam fieri hebdomadarium incipien. a Canonico antiquiori, & in Feſtis mobilibus cantari Miſſam per D. Priorem* = Ob non factam in hoc Decreto inſervientium Miniſtrorum mentionem, contendere ceperunt hodierni Canonici, canendam cum illis eſſe Miſſam ſolemnioribus Feſtis, integrumque eorum emolumentum per Priorem ſolvi debere. Qua de re Sacerdos Maro Pompilj hodiernus Prior EE. Veſtras exorat, ut = *in coerenza ed eſecuzione del d. Reſcritto* (anni 1739.) *ſi degnino confermare, non eſſere atto obbligatorio il canto delle dette Meſſe co' Miniſtri, e molto meno eſſere l'Oratore obbligato a provedere i detti Miniſtri, ed altro occorente per le Meſſe solenni.* *Seſſ.* 24. *cap.* 12. *de Reform.*

Juri, ait Epiſcopus, *conſona & rationabilis mihi videtur Oratoris inſtantia, Nullibi ſiquidem reperitur ſcriptum, ut ad eſſentiam Collegiatæ Miſſa cum Miniſtris celebrari neceſſe ſit; nullum in facto apparet fundationis inſtitutum, quo Prior ad id adigatur; nulla denique in eadem Colle=*

giata

giata urget inveterata consuetudo, quæ id expostulet pernecesse. *Urgent immo contra Canonicos tum Decretum hujus Sacri Tribunalis, quod favore Prioris anno* 1739. *emananavit, tum depositiones Testium, quæ non dicam possibilem, sed nec idealem adstruunt consuetudinem. Optandum equidem esset, non inficior, ut ad decorem Functionum Ecclesiasticarum plurimi inservientes advocarentur, sed quæ decoris sunt, non evadunt necessitatis, nec important perpetuam servitutem in Priore, qui commendari plurimum poterit, sed non cogi. His delibatis, iterum crederem, quod Oratoris votis possint EE. Vestræ indulgere* = De utraque Oratoris instantia sub infrascriptis agitur Dubiis.

Immemorabilem Canonici allegant consuetudinem canendi solemnioribus Festis Missam cum Ministris, eamque desumunt ex antiqua Visitatione anni 1663., in qua requisiti Capitulares ab Episcopo de oneribus Chori, responderunt = *ex consuetudine quolibet die festo de præcepto Missam cantari collegialiter, sed sine Ministris: diebus autem solemnioribus cum Ministris, seu paratam, nec non Vesperas* = Juris etiam addunt dispositionem, ex qua cani debere affirmant Missam conventualem cum Diacono, & Subdiacono, *&c* ad hoc probandum, resolutiones memorant Sacræ hujus Congregationis *in Acerrarum* 23. *Augusti* 1727., & *in Salernitana* 27. *Septembris* 1732. Quærebatur in una sub vigesimo secundo Dubio = *An substineatur Edictum Episcopi, quo sub eadem pœna* (suspensionis) *præcipitur, ut Epistola in Missa Conventuali canatur ab uno ex Canonicis Choro inservientibus, seu potius sit servanda consuetudo canendi d. Epistolam per Clericum inservientem Celebranti* = & Sacra Congregatio respondit = *Missam Conventualem esse canendam cum Diacono, & Subdiacono deleta pœna* = Quærebatur in altera sub Dubio 14 = *An singulis diebus celebranda sit Missa conventualis cum omnibus solemnitatibus* = & rescripsit = *Affirmative*.

Hæc Prior ad assertam consuetudinem *in facto*. Ab anno inquit, 1421., quo Ecclesia S. Jacobi erecta fuit in Prioratum, tres ei ministrabant Sacerdotes, Prior nempe, & Coadjutores duo, quorum numerus, ob Animarum præsertim curam, non patiebatur, ut solemnem canerent Missam cum Ministris. Aucto hinc Sacerdotum numero, conversus est Prioratus, non erectione, sed nomine in Collegiatam, ultroque ex devotione celebrari cepit Missa conventualis cum cantu. Quod autem, subdit, initio fuit voluntatis, fieri non potuit necessi-

ceffitatis ex fimplici Capitularium affertione in Vifitatione anni 1663. Maxime quia confuetudo, de qua mentionem fecerunt, commode intelligi poteft de voluntario ufu poft inductum Collegiatæ nomen, & quia majori ex parte Canonici miniftrare nequeunt Celebranti, quum canonicales eorum Præbendæ, duobus exceptis antiquioribus, fint clericales, ut definivit Sacra *Rota in Tolentina Præeminentiarum* 12. *Februarii* 1748. *coram clar. mem. Card. Buffio*. Qua de caufa fimplex demandatus fuit Miffæ cantus in Vifitatione anni 1727., Decretumque probavit anno 1739. Sacra hæc Congregatio. Affumpti quandoque fuerunt in Celebrantis miniftros exteri Sacerdotes, fed ex mera voluntate Priorum, qui quandoque etiam, Teftium dicto, hujufmodi minifterium interdixerunt. Nec per centenariam autem legitima in facultativis induci valet confuetudo *Text. in Cap. fin. de Confuetud. in fexto, Bellett. Difquifit. Clerical. part.* 1. §. 3. *n.* 35., *& Sac. Congregatio in Placentina* 13. *Septembris* 1777. *ad tertium Dubium*.

Obfervat quoque *ex Jure*, Miniftrorum affiftentiam Miffæ conventuali, in Ecclefia dumtaxat Cathedrali, vel Collegiata, quæ Sacerdotales habet Præbendas, requiri, *Gavant. part.* 2. *tit.* 2. *pag.* 75. *Pignatell. confult.* 91. *num.* 1. *tom.* 4. non item in Collegiata impropria, & nominis, in qua clericales tantum funt Præbendæ, *Suar. in tertiam part. difput.* 87. *fect.* 1. *tom.* 3. *Pafqualig. de Sacrific. nov. Leg. quæft.* 884. *num.* 5. *Fargn. de Jurepatr. part.* 5. *can.* 1. *cap.* 1. *num.* 14. In augmentum de cetero Divini Cultus, & majorem Ecclefiæ S. Jacobi decorem, contribuere fpondet Prior in Miniftrorum ftipendium, fi in id etiam Canonici pro eorum rata concurrant; de qua re fub fecundo quæritur Dubio.

Ne ad hujufmodi contributionem adigantur, ex pluribus Teftibus probant Canonici, nullum fibi jus in Collegiata Ecclefia, præter canonicales Præbendas, & Stallum in Choro, ejufque adminiftrationem cum univerfis Redditibus, & emolumentis fpectare ad Priorem. Cujus ergo, ajunt, eft honor, effe debet & onus, ac unus idcircò Prior Sacras fubminiftrare tenetur fupellectiles, thus, cereos, aliaque pro Divinis Officiis, Sacrifque Functionibus neceffaria. Huic oneri nedum præteritos, fed hodiernum etiam Priorem fatisfeciffe affirmant. Affumere enim confueverunt in Miffis, & Vefperis folemnioribus Miniftros, eofque ftipendii loco participes

face-

facere emolumentorum funerum. Non inficiatur Prior Ecclesiæ regimen cum perceptione Redituum; haud inde tamen inferri posse authumat, quod unus Ministrorum onus ferre cogatur. Rector sane est Ecclesiæ, sed prima simul Capituli Dignitas; & uti talis in solidum cum reliquis Canonicis ad sumptus Missæ conventualis tenetur *ex Constitutione Benedicti XIV.*, *quæ incipit = Cum semper oblatas = la* 103. *tom.* 1., & Sac. Congregationis resolutione *in Asculana* 20. *Januarii* 1735. Et quamvis Prioratus Reditus pinguiores sint canonicalibus Præbendis, gravatur tamen Prior oneribus pauperum, & Curæ.

Dubia sunt.

I. *An, & quomodo sit exequendum Rescriptum* 26. *Martii* 1739 *quoad celebrationem Missæ cum cantu solemnioribus Festis in casu &c.*

Et quatenus affirmative pro ejus cantu cum Ministris.

II. *An, & a quibus solvendum sit dd. Ministrorum stipendium in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 24. Maii 1788. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

EUGUBINA VISITATIONIS SACRORUM LIMINUM. *Seff.24. cap. 1. de Reform. Matrim.*

An Matrimoniis Famularum assistere debeat Parochus domicilii paterni, seu potius alter, in cujus Paræcia Puellæ famulatum præstant in casu &c.

Episcopus per Decretum jubeat, ut matrimonii Puellarum, quæ famulatum Eugubii præstant, assistat Parochus domicilii paterni, materni, fraterni ejusdem Puellæ, quatenus illud habeant in eadem Civitate, si non habeant, assistat Parochus domicilii, in quo degunt, quatenus in eadem Civitate matrimonium contrahant.

GERUNTINA DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE. *Seff.14. cap. 7. de Reform.*

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu &c.

Affirmative, dummodo celebret hora à Populo minus frequentata.

TOLENTINA MISSÆ CONVENTUALIS. *Seff.24.cap.12. de Reform.*

I. *An, & quomodo sit exequendum Rescriptum 26. Martii 1739. quoad celebrationem Missæ cum cantu solemnioribus Festis in casu &c.*

Et quatenus affirmative pro ejus cantu cum Ministris

II. *An, & a quibus solvendum sit dd. Ministrorum stipendium in casu &c.*

Dilata, & scribatur Episcopo juxta mentem, & mens est, quod referat, quot sunt Canonici in Ecclesia Collegiata S. Jacobi, quae Praebendae Sacerdotales, & quae clericales, quot sint Reditus Prioris & singulorum Canonicorum, & qualis annuus fructus ex distributionibus quotidianis, qui annuatim a singulis percipiuntur; referat pariter de consuetudine enunciata in Visitatione anni 1663 & an recenti tempore Missae in diebus saltem solemnioribus cantatae fuerint cum assistentia Ministrorum, & quinam illi fuerint, an Canonici, vel alii Ministri exteri, & cujus sumptibus.

Seff. 24. cap. 12. de Reform.

SUTRINA. Hac Eminentissimi Patres supersedere censuerunt Causa, donec omnia ad ejus definitionem necessaria innotescerent. Duplici enim in Congregatione diei 21. Aprilis elapsi anni proposito dubio, I. *An, & quomodo Beneficiati Ecclesiae S. Andreae teneantur praestare eidem Ecclesiae servitium per hebdomadam.* II. *An iidem Beneficiati participes esse debeant emolumentorum funerum, & Missarum, quae dictae Ecclesiae offeruntur, & Rector ejusdem Ecclesiae cogatur eos privative vocare pro exequiis defunctorum* = rescripserunt = *Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem, nempe quod transmittat Bullas erectionis, sin minus fundationis, nec non referat, an dicti Beneficiati unum Collegium constituant, communi utantur sigillo, massam communem habeant, & de aliis signis collegialitatis prout de Jure, & de qualitate servitii per hebdomadam ab Oratoribus praestiti.*

Mandatis obsequens, Episcopus refert = *Beneficiatos una cum Rectore ita Collegium constituere, ut quum funeribus, aliisque Sacris Functionibus celebrandis opus fuerit, simul congregentur. Caeterum communi carent sigillo, massamque communem nullam habent, praeter funerum emolumenta, quibus exigendis, ac dividendis ex ipsis aliquis quotannis destinatur per secreta suffragia sub Camerarii nomine. Hebdomale servitium jam pridem praestiterunt ad formam Decreti Episcopi Silvestri, sed modo non praestant. Collegialitatis vero signum nullum adest, & de*

ere-

erectione, vel fundatione haud constat, quamvis exquisitiores adhibitæ fuerint diligentiæ.

Ex rationibus igitur deductis in Folio 21. Aprilis superioris anni, iterum quæritur.

I. *An; & quomodo Beneficiati Ecclesiæ S. Andreæ teneantur præstare eidem Ecclesiæ servitium per hebdomadam in casu &c.*

II. *An iidem Beneficiati participes esse debeant emolumentorum funerum, & Missarum, quæ dictæ Ecclesiæ offeruntur, & Rector ejusdem Ecclesiæ cogatur eos privative vocare pro exequiis defunctorum in casu &c.*

Dilata, & scribatur Episcopo juxta mentem.

VITERBIEN. REDUCTIONIS, & SUSPENSIONIS ONERUM. Obtinuerunt primum Centumcellarum Doctrinarii reductionem onerum, quibus tanquam heredes Agathæ Malacrosta gravantur. Proposito enim die 8. Maii 1784. dubio = *An, & quomodo sit locus reductioni* = Sacra hæc Congregatio respondit = *Affirmative juxta votum Vicarii Capitularis* = Nedum deinde ulteriorem reductionem, sed illorum etiam suspensionem ad reparandas hereditarias domos postularunt, acriterque hac de re adversus eos certante Societate Confalonis ejusdem Civitatis pro prætensa substitutionis purificatione, disputatum fuit in Congr. diei 16. Decembris 1786. Dubium = *An, & quomodo sit standum, vel recedendum a decisis sub die 8. Maii 1784., seu potius sit locus substitutioni Societatis Confalonis Centumcellarum* = prodiitque rescriptum = *Quoad primam partem dilata, & Eminentissimus Episcopus statim mandet confici peritiam super restauratione Domorum hæreditatis Malacrostæ, & ad tramites ejusdem peritiæ, prævia Edictorum affixione, deliberet redemptori operis, & deinde eligat Peritum ratiocinatorem, qui conficiat statum activum, & passivum ejusdem hereditatis. Et quoad secundam negative in omnibus.* *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Neque id Doctrinariis arridet. Damnosam afferunt hereditati deliberationem operis minori oblatori. Asportari enim in Centumcellas solent lateres, & muralis terra nuncupata *Pozzolana* ab Urbe, nilque, inquiunt, verisimilius, quam quod ad majus captandum lucrum, graviora in eorum locum saxa, aridamque Faber murarius

ſubſtituat arenam. Huic malo occurri poſſe fatentur per deputationem Præfecti, vulgo *soprastante*, ſed eos terret ſumptus, & colluſionis periculum cum Fabro. Supplicant ergo, ut permittatur opus conductitiis Fabris ſub directione Joſephi Guaſco architecti, qui peritiam confecit. Hoc inſuper petunt, ut liceat ſibi proprio eorum Collegii nomine, & ſumptu ſecundam conſtruere contignationem in altero ex hæreditariis ædificiis, cujus opus æſtimat Peritus in ſcutis 641. 83. $\frac{1}{2}$, ac in tota operis impenſa comprehendit, precibuſque Eminentiſſimus favet Episcopus in hæc verba = *Exiſtimarem, non devenienddum eſſe ad Edictorum publicationem propter ejuſdem Collegii utilitatem. Nam ob cauſas in precibus expreſſas, ad ædium reſtaurationem recurrendum dumtaxat operæ pretium duco ad peritiam architecti Joſephi Guasco, quam in actis meæ Curiæ juratam exhibuit.*

Reparationum ſumptum conſtituebant Doctrinarii in ſcutis 2000. Eum modo evehit architectus Guaſco ad ſcuta 4463. Alia his addit ſcuta 2263. pro novis operibus, quæ in majorem proponit utilitatem, integramque ſtatuit expenſarum ſummam in ſcutis 6726. Tres ſunt hereditariæ Agathæ Malacroſta ædes; curſualium nempe equorum diverſorium, ſeu *Osteria della Posta*, conductitia domus e conſpectu *Eccleſiæ S. Mariæ*, & altera *al Vicolo detto dell' Archetto*. Singularum reparationes, & addimenta deſcribit Guaſcus in peritia, ac noviſſima ejus *appendice*, diſtinctiſque diagrammatibus. Hæc ego coram EE. Veſtris proferam, illas Doctrinarii circumferent impreſſas. Quid ille in *appendice* præſertim, ſeu declaratione peritiæ referat, innuam.

Genericam eorum, quæ ad reparationem, & ampliationem ædium requiruntur, mentionem facit, aſſueta cujusque operis omiſſa dimenſione, & æſtimatione. Pro neceſſariis diverſorii reparationibus ſummam præſcribit ſcutorum 2863., eamque absque novis operibus infructiferam affirmat, quum ædificii commoda non augeret. Pro novis operibus vero, pro ſecunda ſcilicet contignatione quam ſuo nomine, & ſumptu conſtruere flagitant Doctrinarii, ſeparatoque fænili, alia requiri ait ſcuta 1653., quæ proprium, & dd. ſcutorum 2863. fructum redderent, annuumque Reditum a ſcutis 110. ad ſcuta 400., ad rationem ſcutorum 9. in ſingula centum augerent. Ad reparandam rurſus domum è conſpectu *Eccleſiæ S. Mariæ* neceſſariam autumat ſummam ſcutorum 1400., quæ abſque ul-

ulteriori ſumptu ſcutorum 450. pro novis additamentis nullum quoque parerent fructuum, Redituumque *ſimul* annuum a ſcutis 79. 40. ad scuta 140., ad rationem ſcutorum 8. in ſingula centum accreſcerent. Sumptus denique, concludit, reparationis tertiæ domus *al Vicolo dell' Archetto*, ſcutorum eſſet 200., noviſque additis operibus, ſcutorum 360., quæ annuam penſionem ſcutorum 9. 60. ad ſcuta 36. ad rationem ſcutorum decem pro quolibet centenario attollerent. Hæc in ſumma eſt periti Guaſco relatio.

Plura tamen ponderanda. *Primo* ſcilicet, an deferendum ſit uni Guaſco, *generice* de reparationibus, & meliorationibus loquenti, ſeu alter potius in gravi Pii Operis ſumptu deputandus ſit Peritus, qui accuratius referat. *Secundo*, an ex præmiſſis Doctrinariorum rationibus interverti debeat Sacræ hujus Congregationis praxis de deliberandis hujuſmodi operibus minori oblatori. Ac *tertio* demum, an concedenda ſit iiſdem Doctrinariis facultas ædificandi proprio ſumptu, & nomine ſecundam diverſorii contignationem, ut inferioris ædificii beneficio annuum ſibi ex alieno fundo conſtituant Redituum ſcutorum 9. in ſingula centum juxta relationem Periti, vel tribui potius debeat hujuſmodi lucrum Pio operi, cujus eſt diverſorium.

Dignentur itaque EE. Veſtræ decernere.

An, & quomodo sit ſtandum, vel recedendum a deciſis ſub die 16. *Decembris* 1786., *quoad primam Dubii partem in caſu &c.*

Dilata, & ſcribatur Epiſcopo juxta mentem.

FIRMANA. Jamdiu Clemens VIII. ineunte anno 1591. Parochialem Eccleſiam S. Pauli Civitatis novæ in Collegiatam erexit. In primam ejus Dignitatem cum actuali Animarum cura deſignavit Archipresbyterum, qui cum Canonicis octo *Capitulum conſtituerent*. Quatuor his addidit Beneficiatos, ac binos Clericos, diſtinctoſque ſingulis aſſignavit Reditus; annua ſcilicet ſcuta centum Archipresbytero *ultra incerta*; cuilibet Canonico quadraginta; Beneficiato triginta; Clerico viginti. Quidquid autem

Seſſ. 21. *cap.* 7. *& Seſſ.* 23. *cap.* 1. *de Reform.*

autem ex assignatis Reditibus *pro tempore excrevisset, vel superesset*, dividi mandavit = *inter Canonicos, & Beneficiatos prædictos proportionabiliter, & pro rata*. Capitulo deinde addixit Benedictus XIII. universa B. Virginis Misericordiæ bona in quotidianas distributiones. Idem de bonis suppressæ Ecclesiæ Animarum purgantium fecit Firmanus Archiepiscopus Borgia = *demptis prius scutis viginti singulis annis tribuendis alicui ex Canonicis, qui Archipresbyterum coadjuvet in cura Animarum*, Auctoque demum Animarum numero, alterum hodiernus Archiepiscopus, Capituli sumptu, Coadjutorem dedit Archipresbytero.

Parochialem ab erectione Collegiatæ non habuerunt Domum Archipresbyteri. Orta igitur hac de re, & super augmento congruæ, aliisque extrajudiciali quæstione inter hodiernum Archipresbyterum Aloysium de Angelis, & Capitulum, exequi adversus illum fecerunt Canonici coram A. C. Monitorium jact. jact. super executione Bullæ erectionis. Auctoritatem contra imploravit Archipresbyter Sacræ Congregationis, precibusque Firmano Antistiti pro Informatione, audito Capitulo, remissis, mutatæ sunt Canonicorum voluntates. Capitulariter enim congregati approbarunt die 11. Augusti 1786. jam dispositas conventiones, quod tradi scilicet deberent Archipresbytero ædes juxta Ecclesiam, ac Pluviale, & Velum humerarium pro Functionibus parochialibus, exemptusque esset ab annua præstatione scutorum quinque pro distributione candelarum in Festo Purificationis Deiparæ, aliorumque scutorum 2. pro oleo lampadis. Hæc omnia tamen ad illius vitam. Consulente hinc Archiepiscopo, aliud die 7. sequentis Septembris actum est Capitulum, deliberatumque fuit de perpetua dd. conventionum observantia = *A condizione però, che per iscansare appunto qualunque altra controversia, o litigio, e pretensione, che si potesse avere da qualsivoglia altro futuro Arciprete, debba non solo di questo concordato farsene formare Istromento fra Noi, ed il presente Signor Arciprete, accettando l'espresso concordato anche a nome de suoi Successori colla generale rinuncia ad ogni altra pretensione, ma inoltre riportarne l'approvazione . . . . dalla Sede Apostolica*.

Utriusque Capitularis resolutionis approbationem ab EE. Vestris postularunt Canonici, eorumque petitioni indulgendum censuit Archiepiscopus, hæc addens = *Ex hujusmodi concordia aliquod levamen eidem Archipresbytero cer-*

certissime comparatur, qui sane ab annua impensa nummorum septem, & a locatione domus liberatus, non tam ægre Capellanum, qui ei vicariam præstet operam, poterit retinere. Sed ita censerem approbari posse concordiam, ut manutentio domus quod expensas magnas ad Capitulares (quorum est Cura habitualis) *pertineat semper, & correspectiva jurium cessio, quam favore Capituli absolvit Archipresbyter, non trahatur ad jura usque nunc incognita, & quæ in posterum possent aliunde insurgere. Præsertim vero firmum remaneat penes Capitulares ipsos onus retinendi alium Capellanum, qui eumdum Archipresbyterum in Animarum cura adjuvet* = Mutato deinde consilio, tres approbationi concordiæ restiterunt Canonici, Coadjutores duo, totidemque Clerici. Res igitur EE. Vestrarum judicio sub infrascripto proponitur Dubio.

Illegitimas dicunt Canonici resolutiones capitulares, de quibus agitur, ob neglectos in celebratione utriusque Capituli Beneficiatos, & Clericos. Quum enim per assignationem domus, onerumque lampadis, & ceræ assumptionem, iis etiam capitularis massa decresceret, deliberari idcirco non potuisse contendunt per unum Capitulum de re ad singulos uti singulos spectante, *Card. de Luc. de Decim. disc.* 3. *num*. 61.. *Urceol. de Transact. quæst*. 32. *num. fin*. Plus æquo insuper indultum inquiunt Archipresbytero congrue proviso. Ultra annua siquidem scuta centum, in Clementina Constitutione assignata, quotidianas percipit distributiones, quæ ab anno 1781. inclusive, quo Archipresbyteratum obtinuit, ad elapsum annum 1787., summam attigerunt scutor. 521. 35., seu scutorum 74. 50. in singulos annos, & in congruam de Jure imputantur *Piton. discept. eccles*. 46. *num*. 9. His accedunt emolumenta Stolæ, quæ ad unum spectare asserunt Archipresbyterum, ac veluti in genere certa, congruam augent, *Piton. d. discept*. 46. *num*. 2..

Si per duplex igitur sæculum satis Archipresbyteris fuit hujusmodi congrua, & graves ipsis non fuerunt conductio domus, candelarum distributio, & lampadis manutentio, nulla, concludunt, est ratio, cur hodiernus Archipresbyter post eamdem acceptam congruam, pluriumque annorum silentium, de ea modo ad obtinendam domum, onerumque levamen queratur, *Barbos. vot. decis*. 124. *num*. 63. *& Rot. in Recen. dec*. 232. *num*. 1. *part*. 2., idque ei concedatur, quo ipsius Decessores per biscentenariam non indiguerunt, quodque magis est, cum gravi incommodo

Ca-

Capituli, cui præter ordinaria Collectarum, Cathedratici, passivorum censuum, & similia onera, extraordinaria imminet fatiscentis Ecclesiæ impensa. Parochus enim congrue provisus, vel parochialem domum ære suo construere, vel in Paræcia conducere tenetur, *Ferrar. in Bibliot. legal. verb. Parochus art.* 2. *num.* 14.

Neque æstimandum esse ajunt Canonici, quod præ frequentia Populi pluribus Archipresbyter indigeat Adjutoribus pro recta Animarum cura. Quandoquidem uno excepto, quem suo alit sumptu, alii duo ex providentia Benedicti XIII., & hodierni Antistitis Firmani sunt Coadjutores, qui eum in Animarum cura adjuvant, congruam non minuunt. Justam pariter concedendæ domus causam non arbitrantur recessum a lite. Hæc namque instituta fuerat a Capitulo per expeditionem Monitorii coram A.C., nec tale ex præmissis dici poterat jus Archipresbyteri, ut spem obtinendæ Causæ, justamque transigendi rationem haberet, *Valeran. de Transact. tit.* 2. *quæst.* 3. *num.* 1. Quatenus vero approbandæ essent resolutiones capitulares, eos tantum ad illarum executionem cogendos esse sustinent, qui in deliberationem convenerunt, non item illos, qui contrarium tulerunt suffragium, mandatumque Procuræ ad eam impugnandam dederunt; quum deterior ex unius facto fieri non debeat alterius conditio, *Text. in Leg. Nemo debet ff. de reg. Jur.*

Hæc vero Archipræsbyter. Omnia, inquit, in controversis resolutionibus servata fuerunt solemnia, convocatio nempe Capituli, Capitularium fere omnium interventus (fuerunt enim septem) & majoris partis consensus. de quibus *Gloss. in Clementin. Ut iis de ætat. & qualit. Cleric.* Utraque ergo censeri debet canonica, sed posterior diei 7. Septembris 1786. præferenda; quum in iis, quæ voluntatis sunt, posteriora derogent prioribus, *ad Text. in Leg. Sed & posteriores ff. de Legib.*, *& in Leg. Pacta novissima Cod. de Pact.* Necessariam autem quoad Parochialem domum affirmat Capituli providentiam, eo quod præ maxima conductitiarum ædium difficultate = *va di tanto in tanto mendicando l'albergo con scandolo universale, e con disdoro di questa Patria* = ut localis testatur Magistratus, pluresque alii affirmant Testes, maximumque ex hoc Animabus præjudicium, dum nonnulli Parochiani = *nei casi improvisi muojono senza i necessarj Sagramenti* =. Nec mirum, quod tanto ejus Decessores tempore de Parochiali domo soliciti

non

non fuerint; nam fere omnes, ad ejus differentiam, fuerunt Cives, propriisque domibus instructi.

Justa se provisum negat congrua, vixque in jurato suo calculo annua sibi, detractis oneribus, superesse asserit scuta quinquaginta, quae paria non sunt congruae ejus sustentationi in repraesentantia Parochi, & primae Dignitatis Capituli, gravibusque, quibus subest laboribus in ampla sex millium Animarum cura, eique idcirco invidendum non esse ait tenue compendium scutorum circiter viginti, quod per assignationem domus, levemque exonerationem a contributione candelarum, & olei pro lampade, in singulos annos consequeretur. Maxime, quia in ejus correspectivitatem amplissimam emittere teneretur renunciationem = *ad ogni altra pretensione* = quam ex hoc capite fovere posset. Univit Benedictus XIII. *Mensae Capitulari, illiusque Capitulo, & Canonicis, ac Beneficiatis* bona omnia Societatis Misericordiae, quae valoris modo sunt scutorum 10270. = *ut ex praefatis, ac praesentibus ipsius Mensae Capitularis respective bonis praebendae Canonicatuum, & Beneficia Beneficiatus, & Clericatus proportionabiliter in fructibus augeantur* = Comprehensus autem non fuit in divisione hujusmodi bonorum Archipresbyter, licet prima Capituli Dignitas, integrique eorum fructus partiti fuerunt inter Canonicos, & Beneficiatos, quorum singulis assignata etiam fuit = *una domus habitabilis sita intra Terram* =. Suam ergo, inquit Archipraesbyter, praetendere posset portionem, eique correspective renunciaturus erit. Secum tamen reputent Emi Patres, num Canonicorum, Beneficiatorum, & Clericorum nomine comprehendere voluerit Benedictus XIII. Archipresbyterum, & num jus ei sit impugnandi divisionem *quinquaginta* annorum spatio observatam.

Nilque referre contendit, quod non omnes Capitulares in resolutionem diei 7. Septembris convenerint. Ubi enim Transactio utilis est universis, qualem ipse ex correspectiva dd. iurium renunciatione eam autumat, de qua est quaestio, tunc paucorum dissensus, veluti irratioabilis, a legitima Potestate suppletur, *Text. in Cap. Ad audientiam in fin. de Eccles. aedifican.*, *Gonzal. ad reg.* 8. *Cancell. Glofs*.47. *num*.37. Orat postremo pro approbatione resolutionis juxta Votum Archiepiscopi, paratus tamen ad indefinitam renunciationem, si ita EE. Vestris placeat, parumque sibi interesse concludit, a quibus exequenda sit, dummodo exequatur.

Dubium.

An, & quæ resolutio Capitularis sit approbanda, & quomodo, & a quibus sit exequenda in casu &c.

Non proposita cum seqnentibus.

Seß.22. Decret. de observ., & evitan. in celebrat. Miß, & Seß. 25. cap. 4. de Reform.

CERVIEN. Usufructuariam Joannes Fabri heredem scripsit anno 1440. uxorem ejus Albinam, proprietarium Altare S. Sebastiani, quod in Collegiata S. Petri Massæ Fiscaleæ Ecclesia extruxerat. Electionem Presbyteri, qui Sacra in eo, aliaque omnia cum Canonicis Divina Officia solemnioribus Festis in Ecclesia perageret, Officialibus mandavit Societatis B. M. Virginis de Consortio, quorum Sacrarium sub invocatione *SS. Annuntiatæ* eidem adhæret Ecclesiæ. Onera insuper Capellano imposuit faciendi Sodalium arbitrio Sacra in Cappella de Consortio, residendi in Oppido Massæ, manutenendi hereditaria bona, & *apparamenta Calicis*, & commodandi *dicto Consortio dicta paramenta Altaris S. Sebastiani, casu quo non essent ad Altare bo. mem. Virginis de Consortio*, ipsisque Consortii Officialibus in executores testamentarios designatis, bonorum omnium inventarium post suum, & Uxoris obitum confici mandavit.

Devastatum alterum Societas acquisivit Altare in Ecclesia, illudque sub invocatione SS. Conceptionis, Beatæque Virg. Consortii titulo refecit anno 1620. Receptus deinde fuit Capellanus S. Sebastiani in Canonicum, & nulla ad exitum decimi septimi sæculi de Sacrorum celebratione in Sacrario Societatis contentio fuit. Anno tandem 1704. ceperunt hac de re inter Canonicum Capellanum Franciscum Bonafinum, & Societatem jurgia, mandavitque Cerviensis Episcopus Ricamontius per decretum Sacræ Visitationis = *per Rectorem prædictum continuari in celebratione Missarum ad tenorem ejus obligationis in Oratorio B. M. Virginis de Consortio omnibus diebus festivis, & inserviendi in Functionibus festivis spectantibus ad d. Societatem* = Aliter initio se gessit clericus Hipolytus Casoni, Bonafini successor, ultroque ad annum 1719., tum ante susceptum Sacerdotium per Substitutum, cum post per se ipsum, Divina omnia in Sacrario Consortii celebravit. Quum id vero deinde ne-

negligeret, judiciali opus fuit Vicarii Generalis Cerviæ præcepto, cui decretum accessit Episcopi Spreti in Sac. Visitatione. Per alium saltem celebrare tentavit; sed instituta supersedit lite, & ad annum 1748., quo decessit, mandatis paruit.

Acriores ad hæc tempora fuerunt contentiones cum tertio Capellano Ambrosio Casoni. Onus primum excutere contendit sub Episcopo Pizzolanti; sed metu pœnæ obolorum quinquaginta pro qualibet omissione, assueta munia ad annum 1765. in Sacrario explevit. Iterum eo anno in Jus venit coram Vicario Generali, iterumque post passam executionem mandati pro pæna, aliquot annis obtemperavit. Certamen tertio renovavit sub hodierno Episcopo Donati, reque anno 1768. in Sacra Visitatione discussa, per concordiam declaravit = *velle omnia peragere ad prædictam formam fundationis* = confirmavitque Episcopus = *omnia Decreta præcedentia facta a nostris Prædecessoribus*. Causam hoc non obstante restituit anno 1786., sed prævia confirmatione decretorum Pizzolanti, & Donati, damnatus a Vicario Generali fuit I. ad celebrandam = *sive per se, sive per alium Missam pro commoditate Confratrum sub pæna juliorum decem pro qualibet deficientia*. II. ad explendas = *omnes Sacras Functiones in dicto Oratorio ad placitum d. Societatis*. III. ad tradenda = *Sacra Paramenta, & Calicem dictæ Societati toties quoties eidem placebit, sub pæna juliorum decem pro qualibet deficientia*. IV. ad impetrandum Societatis assensum in locationibus ad longum tempus, permutationibus, contractibusque emphyteuticis bonorum Beneficii. V. ad conficiendum eorumdem bonorum inventarium. Et VI. demum ad solvendas omissionum pænas.

Hisce gravatus decretis, Sacram adiit Congregationem, requisitusque notat Episcopus = *quod enunciatus Casoni non sine industria præteriit in sua expositione verba Testatoris*, ibi = *Si placuerit Societati Consortii.. quod Presbyter, qui fuerit ductus.. teneatur officiare Cappellam B. Mariæ de Consortio* = *Quæ quidem verba non abs re meos Prædecessores, meque ipsum in prima hujus meæ Diœcesis Visitatione in Sententiam adduxerunt autumandi, Testatorem nomine Cappellæ Oratorium, quod eidem Ecclesiæ adnexum est, ab eaque ingressum habet, innuere voluisse; eo magis quia ita ab immemorabili ratum exercitumque fuisse docebatur. Quam meam profecto, meorumque Prædecessorum sententiam ratam habuisse, eique acquievis-*

se eumdem Casoni innuit decretum tunc a me prolatum, ibi = *Unde ipse D. Canonicus quievit*, *& declaravit*, *se velle omnia peragere* = *quod itidem ex industria idem Casoni præterire curavit* = Atque hinc concludit = *nihil innovandum esse*, *si ita Emis*, *& Sapientissimis Patribus visum fuerit* = Ut omnia autem ab EE. Vestris statuantur, quæ incumbere possunt Capellano ex Testamento, ampliatae sunt per infrascripta Dubia quæstiones.

PRIMA omnium celebrationem respicit Missæ in Sacrario. Suum Casonus cohibere studet ministerium ad Altare Consortii in Collegiata Ecclesia, idque ex eo desumit, quod juxta authenticam Testamenti copiam ab ipso productam, onus Testator imposuit celebrationis Missæ in Cappella B. Mariæ de Consortio, *si placebit Societati Consortii B. M. V. de Consortio de dicta*, seu ut ipse interpretatur, *de dicta Ecclesia*, in qua olim Sodales faciebant Sacra. Contemplari immo non potuisse, ait, Altare Sacrarii, utpote extructum anno 1687. longe post Testamentum ex cæmeterio, producitque ad hoc probandum Testes, quorum alii tamen non de constructione Sacrarii in loco cæmeterii, sed de illius testantur exitu = *al publico Piazzale*, *che anni sono era cimiterio* =, alter vidisse asserit anno 1777., in nova Sacræ Mensæ constructione ex marmore, præexistentem inscriptionem anni 1687., quasi eo primùm anno extructum fuisset Sacrarii Altare. Sub aliorum Testium fide, & ex Inscriptione Altaris Ecclesiæ, nempe = *Hoc opus lapsu temporis devastatum*, *a Confraternitate Consortii SSmæ Domini Matri Virgini Mariæ jam dicatum*, *ad hanc formam redactum fuit anno salutis* 1620. = majorem ostentat illius antiquitatem. Præsumptam addit Testatoris voluntatem, qui celebrationem Missæ festivæ, arbitrio Societatis commissam, voluisse potius censetur in Altari Ecclesiæ, in quo reliqua omnia Divina Officia, singulis præsertim sabbathis celebrari consueverant, eamque potius voluisse in Ecclesia, in qua sepultum est ejus cadaver. Contrariam postremo observantiam, de qua in enarratione facti, ignorantiæ tribuit Testamenti, & iterata Episcoporum decreta, veluti contraria fundationi, contemnit.

Literam Societas opponit Testamenti, in quo usus non fuit Testator simplici Altaris Consortii nomine, sed latiori altero Cappellæ, quod Sacrario potius convenit, *Rot. cor. Olivat. decis.* 239. *num.* 20., *&* 21. Alteramque ad hoc comprobandum exhibet authenticam pariter Testamenti

menti copiam, in qua mentio non fit Societatis Consortii *de dicta* (Ecclesia) sed *de dicta Terra*, licet verbum *Terra* leviter obumbratum sit superimposito atramento. Hæc sunt integræ dispositionis verba = *Jussit d. Testator, quod si placebit Societati Consortii B. M. V. de Consortio de dicta Terra, quod Presbyter, qui ductus fuerit ad officiandum dictum suum Altare, quod teneatur officiare Cappellam B. V. Mariæ de Consortio* = Visitationum addit Decreta, Resjudicatas, observantiam, quæ non parum ad interpretandam Testatoris voluntatem conferunt, quod demandando scilicet Sacrorum celebrationem in Cappella B. V. Mariæ de Consortio, Cappellam respexerit Sacrarii, ab Altari Ecclesiæ distinctam. Maxime, quia præcipua erga Societatem fuit ejus voluntas; omnemque ei Pii Operis administrationem permisit.

Quæ agere Cappellanus deberet in Sacrario ex verbis illis = *teneatur officiare Cappellam B. V. Mariæ de Consortio* = in SECUNDO quæritur Dubio. Universas ei Societas tribuere contendit Sacrarii Functiones, ordinarias scilicet, & extraordinarias Supplicationes, Novitiorum vestitiones, Confratrum funera, Sacrarumque Reliquiarum expositiones. Hac, inquit, de causa mandavit Testator, ut eligeretur Præsbyter *idoneus*, *& sufficiens ad officiandum*, qui omnes nempe Sacerdotales Functiones explere valeret, eademque ratione usus non est simplici *celebrationis* verbo, sed latiori altero *officiare*. Præ omnibus vero observantiam urget, & decreta, quorum iterum, atque iterum memini. Notandum contra rogat Capellanus, in eodem sensu accipiendum esse ejus ministerium quoad Cappellam B. Mariæ de Consortio, ac demandatum est quoad Ecclesiam. In hac autem tenetur dumtaxat = *una cum aliis Canonicis Collegiatæ S. Petri dicere, & celebrare omnia Divina officia* = ad quæ non pertinere ait Supplicationes, ceterasque Functiones, quæ præter Sacra, Divinumque psalmorum cantum, a Societate fiunt; *Bellarm. lib.* 1. *de bon. oper.*

TERTIUM succedit Dubium de celebratione Missæ in Sacrario *per se ipsum*. Ita explendam esse autumat Societas ob residentialem Beneficii qualitatem, *Covarr. var. resol. cap.* 13. *num.* 3.; & observantiam, quam hic etiam memorat. Negat Capellanus, quia expressum non est in Testamento onus celebrandi *per se ipsum*, *Fagnan. in Cap. Conquerentem de Cleric. non residen. num.* 66., & quia non

non desunt *Doctores*, qui in Beneficiis etiam residentialibus facultatem tribuunt celebrandi per alium, *Nicol. Lucuqr. Can. lib.* 3. *tit.* 41. *num.* 18., *Monacell. formul. legal. part.* 2. *tit.* 15. *num.* 17.

Ex eodem residentiae onere Capellanum cogere nititur Societas, juxta QUARTUM Dubium, ad celebranda per *se ipsum* ad Altare S. Sebastiani Divina Officia Festis principalibus, aliisque diebus, quibus ea non agit in Sacrario. Restringendum contra ait Capellanus hujusmodi onus ad Festos principales ex verbis illis Testamenti = *deputent unum Presbyterum, qui sit idoneus, & sufficiens ad officiandum Altare S. Sebastiani; qui & una cum Canonicis dictae Ecclesiae Collegiatae S. Petri sit obligatus dicere, & celebrare omnia Divina Officia, quae erunt dicenda in dicta Ecclesia in Festis principalibus* = iterumque pro libertate contendit celebrandi dicta Officia per alium.

Sacrarum Supellectilium commodatum postulat sub QUINTO Dubio Societas ex literali Testatoris praecepto. Conditionem defecisse sustinet Capellanus, sub qua demandatum fuit, nempe = *casu, quo non essent* (paramenta) *ad Altare B. M. Virginis de Consortio* = Quorumdam enim Sodalium testimonio = *la Compagnia è provveduta di sacri apparamenti a sufficienza per ogni bisogno.* = Deficiente siquidem dispositionis conditione, & ipsa deficit dispositio, *Fagnan. in lib.* 3. *Decretal. Cap. Prudentes num.* 14. *de donat.*

Paucis agunt Litigantes de paenis sub SEXTO. Neglexit profecto Capellanus executionem decretorum Episcopi, demandatam omittendo Divinorum celebrationem in Sacrario, sed contumaciam excusat ex justa renuendi causa, ex volito nempe per Testatorem ministerio ad unum, ut ipse censet, Altare B. Mariae de Consortio in Ecclesia. Si hoc erit in resolutione primi Dubii EE. Vestrarum judicium, prodesse poterit excusatio, *Polit. de verb. obligat. quaest.* 10. *disert.* 9. *num.* 10. *tom.* 4. Si aliter decernent, inobedientia non vacaret culpa, ex qua debetur paena, *Fagnan. in lib.* 3. *Decretal. Cap. Si quis num.* 52. *de Regular.*

Solicitus non est Capellanus de SEPTIMO, eo quod nec distraxit unquam, nec distracturus erit bona Beneficii. Ex perpetua de cetero Officialium designatione in executores testamentarios, vetitam arbitratur Societas absque ejus consensu dictorum Bonorum permutationem, locatio-

nem ad longum tempus, emphyteusim. Possibiles autem hujusmodi contractuum casus exigunt, ut decernatur, num præter Apostolicum Beneplacitum, de quo in *Extravag. Ambitiosæ de reb. Eccles. non alien. in sexto*, necessarium etiam sit Societatis assensus.

Ut ad refectionem bonorum Beneficii Capellanum compellat, urget OCTAVO Societas præceptum Testatoris = *quod Presbyter, qui ductus fuerit, teneatur manutenere omnes terras, vineas, prata, & pasculos* = ac dispositionem Juris, ex qua ad hujusmodi manutentionem tenentur Beneficiati, *Card. de Luc. de Benefic. discurs.* 184. *num.* 13. Paratum contra se dicit Casonus ad simplicem manutentionem, de qua loquitur Testator, ad novas scilicet in locum demortuarum subrogandas arbores, & vites, non item ad refectionem Ædium, quæ absque sua culpa in pessum iverunt, vel ibunt, quum Beneficiatus uno onere gravatus, ab altero liberatus censeatur, *Lotter. de re benefic. lib.* 2. *quæst.* 8. *num.* 61., *Polit. de Jurepatr. disert.* 3. *num.* 31. *tom.* 5.

Deliberandnm NONO de confectione Inventarii, ejusque sumptibus. Neutrum sibi, & Beneficio incumbere, ait Capellanus, quum inventarium imperaverit Testator primo dumtaxat mortis suæ tempore in hæc verba = *Jussit Testator, quod post ipsius Testatoris mortem fiat unum inventarium de omnibus bonis, & quod Commissarii sui teneant dictum inventarium* = Beneficio, reponit Societas, conducit, ut ejus bona, quorum nullum est inventarium, ex integro describantur, ne quid ex incomperto illorum statu detrimenti capiat. Fieri autem debere contendit hujusmodi descriptionem sumptibus Beneficii, cujus in utilitatem vergit.

His omnibus igitur perpensis respondere dignentur Emi Patres.

I. *An Beneficiatus Altaris S. Sebastiani erecti in Ecclesia Collegiata Terræ Massæ Fiscaleæ teneatur officiare, & celebrare Sacrum in Cappella B. M. Virginis Consortii in Oratorio dictæ Ecclesiæ ad placitum ejus Confratrum; seu potius ad Altare B. M. Virginis Consortii existens in dicta Ecclesia Collegiata in casu &c.*

II. *An idem Beneficiatus teneatur intervenire supplicationibus ordinariis, & extraordinariis, vestitionibus Novitiorum, tumulationi Confratrum, & expositionibus publicis Sacrarum Reliquiarum faciendis in dicto Oratorio, & Cappella in casu &c.*

An

III. *An teneatur officiare, & celebrare Sacrum in dicta Cappella, ac intervenire ut supra in Oratorio per se ipsum, vel per alium in casu &c.*

IV. *An teneatur officiare Altare S. Sebastiani Festis principalibus, aliisque diebus, in quibus Confratres dictæ Societatis Consortii non soleat agere Divina Officia, & Functiones pariter per se ipsum, vel per alium in casu &c.*

V. *An teneatur commodare Paramenta Sacra, & Calicem Altaris S. Sebastiani dictæ Ven. Societati Consortii ad omnem requisitionem Confratrum ejusdem in casu &c.*

VI. *An Beneficiatus supradictus incidit in pœnas contentas in decreto, seu decretis Cerviensis Episcopi Pizzolanti in casu &c.*

VII. *An licitum sit eidem Beneficiato permutare, locare ad longum tempus, vel in emphyteusim dare bona dicti Beneficii S. Sebastiani sine Beneplacito Apostolico, vel Sac. Congregationis, & irrequisitis Confratribus Commissariis in casu &c.*

VIII. *An Beneficiatus supradictus teneatur reficere bona dicti Beneficii in casu &c.*

IX. *An sit locus confectioni Inventarii bonorum, & jurium spectantium ad d. Beneficium S. Sebastiani, & cujus sumptibus confici debeat in casu &c.*

CAL-

CALLIEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM QUOAD TERTIUM DUBIUM. Tria erant hujus Causæ Dubia. Respiciebat *primum* facultatem Conservatorum Societatis S. Mariæ Misericordiæ Callii quoad distributionem subsidiorum dotalium in genere: Assignationem Dotis Puellæ Biscaccianti *secundum*: Sumptus litis *tertium*, ita conceptum = *An, & cujus sumptibus conficiendæ sint expensæ litis in casu &c.* = Quæ in Congregatione diei 15. Decembris 1787. fuerint *primi*, & *secundi* resolutiones, non oportet hic memorare. De una enim agitur resolutione *tertii*, quæ fuit = *Affirmative propriis sumptibus Conservatorum, qui liti consenserunt*. Ex hac porro ratione recessum flagitant Conservatores *a decisis*, quod Societatis deduxerint jura *tanquam Rei*, coactique ab Episcopo, qui in executionem Rescripti 6. Maii 1786. = *Episcopo pro informatione, & voto, auditis, iisdemque præfixo termino ad deducendum jura sua in Sac. Congregatione* = terminum ipsis præscripsit unius mensis = *a doverci dedurre qualchè ragione esclusiva del ricorso* = Num satis vero fuisset hisce obtemperare mandatis, & Societatis jura coram Episcopo potius quam Sacra Congregatione deducere, & num privatam potius, quam Societatis Causam egerint Conservatores, ex jam degustatis illius meritis EE. Vestræ decernent. Ponderandum tamen, quod in sequelam demandatæ productionis jurium *in Sacra Congregatione* permissa fuit Societati defensio.

Sess.22. cap. 6. de Reform.

Quæritur ergo.

An sit standum, vel recedendum a decisis quoad tertium Dubium in casu &c.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

PARMEN. Heredem scripsit anno 1733. Sacerdos Petrus Maria Bosi Collegium Doctorum Theologiæ Civitatis Parmæ cum onere præsertim celebrandi in quacumque Ecclesia die 4. Decembris cujusque anni Festum S. Bernardi Episcopi, & Protectoris = *fin tanto che, con il cumulo delli redditi di d. Eredità detto Collegio avrà comprato un sito in questa Città di Parma, o pure a minor spesa di d. Eredità si prevalga di una casa di ragione della medesima Eredità, se quella sarà abile e capace a formare un' Oratorio, quale dovrassi o nell' uno, o nell' altro modo erigere, e quella dedicare a d. S. Bernardo nel quale Oratorio dovrà d. Collegio poscia in perpetuo celebrare, e solennizzare la sudd. Festa con la Messa cantata, intervento dello stesso Collegio &c. come così d. Testatore hà gravato, e grava il sud. Collegio a fare tutto cio al più presto, che sia possibile* = eique in casu inadimplementi Episcopalem mensam substituit.

Non multo post annum 1739., quo Testator decessit, extructum fuit Oratorii ædificium; sed præ illius angustia, in diversum Bibliothecæ, & Congregationum usum conversum est, & in altera ex parochialibus Ecclesiis Civitatis celebratum ad hæc tempora fuit Festum. Semper tamen animo novum ædificium agitarunt Theologi, & ex annuis hereditariis fructibus, qui omnibus detractis oneribus, scutorum sunt 600., cumulum fecerunt sc. 2000., reliqua in ampliandam bibliothecam, in dotes, & eleemosynas erogata summa. Mutato deinde consilio, EE. Vestris supplicavit Collegium pro facultate subrogandi in locum novi Oratorii decentem aliquam alterius Ecclesiæ Cappellam, ejusque petitioni ex hoc potissimum favit Episcopus, quod = *Civitas isthæc Ecclesiis, & Oratoriis plus etiam satis est ornata*; quodque = *unicum Festum S. Bernardi in d. Oratorio ex Testatoris voluntate celebrandum est, ac per consequens integri anni fluxu relatum Oratorium nulli prorsus usui esset*.

Ut omnia vero ad deliberandum cognoscerent, novam EE. Vestræ imperarunt informationem, ut referret nempe Episcopus = *convocato Capitulo per secreta suffragia de ejus consensu quoad substitutionem Mensæ Episcopalis, & de consensu Rectoris Ecclesiæ, omniumque interesse habentium quoad Altare designandum* = Secundo igitur Parmensis Antistes refert, novum Divi Bernardi Altare non arridere Capitulo, ne rei novitate motus, divertat Populus ab Ecclesia Cathedrali, in qua ejusdem Sancti Festum celebratur, consensum contra præstitisse Rectorem Ec-

clesiæ S. Andreæ Apostoli, in qua Altare illud designatum est. In animadversionibus Partium, quas informationi inseruit, notanda potissimum sunt Capituli vota = *ut tota æris summa, quæ ex hæreditatis fructibus annuatim obvenientibus in Oratorii constructione fuerat congerenda, Sacelli Cathedralis nostræ, ad quod Divi Bernardi Sacra Lispaua adservantur*, *commodo atque utilitati impendatur* = Hoc non obstante, primam informationem confirmat Episcopus, & hæc addit in secunda = *minime*, inquit, *verendum est, ob petitam ab Oratoribus extructionem Altaris, Divo Bernardo dicandi, imminuendum esse ejus cultum, & Populi affluentiam ad sæpedictum Sacellum Ecclesiæ Cathedralis*.

Oratorum petitioni expressa resistit Juris dispositio. Quidquid enim Testatores in pios usus destinarunt, *fideliter & plenarie in usus prædictos expendi debet*, ex Gregoriana Constitutione *in Cap. Tua nobis* 17. *de Testam.* Potissimum si ædificationem mandaverint Ecclesiæ, quæ inter præcipua religionis, & pietatis opera numeratur, *Barbos. de Jur. Eccles. lib.* 2. *de Eccles. ædifican. cap.* 2. *num.* 1. *Amostaz. de Caus. piis lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 1. Commutari quidem valent eorum voluntates, sed *ex juxta*, & *necessaria causa*, ut statuit *Sac. Concilium Tridentinum Sess.* 22. *cap.* 6. *de Reformat*, sive etiam *publica*, ad monitum *Divi Bernardi Abbatis lib.* 3. *cap.* 4. *de considerat. ad Eug. Pap.*, quem sequitur *Fagnan. in Cap. Nimis sub num.* 6. *de Fil. Presbyt.*

Res igitur in nostro themate a causis pendet commutandi Oratorium in Cappellam, tales ne sint, ut a Canonicis Sanctionibus recedatur. Jam eas habent Emi Patres ex facto, suaque prudentia deliberare poterunt de necessitate construendi novum Oratorium, quod *integri anni fluxu* (excepto Divi Bernardi Festo) *nulli prorsus usui esset*; illudque in Civitate, quæ *Ecclesiis*, & *Oratoriis plus etiam satis est ornata*. Addi etiam posset, quod parcere cupit Theologorum Collegium impensæ Oratorii, ut redundantes hereditatis fructus in eleemosynas, dotes, aliaque pia opera a Testatore præscripta convertat. Notandum insuper ex Testamento, quod novum omnino non præscribitur Oratorium, sed in altera quoque ex hereditariis domibus permittitur. Levis autem commutatio a consecranda domo ad Sacram Ecclesiæ S. Andreæ Cappellam. Consensus tandem accedit, & approbatio Episcopi, cujus Mensa substituta est Collegio, si piam Testatoris voluntatem non adimpleat.

Justa ne sit contradictio Capituli ob diminutionem cultus ad alterum Ecclesiæ Cathedralis Altare, de qua contra opinionem Episcopi timet, EE. Vestræ decernent. Consideranda tamen ejus petitio, ut = *tota æris summa, quæ ex hereditatis fructibus in Oratorii constructione fuerat congerenda, Sacello Cathedralis nostræ commodo, atque utilitati impendatur*. Non absurda enim videri posset hujusmodi applicatio, si demandatum Theologis Festum in eodem permitteret Sacello. At nulla, inquiunt Theologi, pauperibus utilitas, si totum id, quod in novum impendi deberet Oratorium, ad simplex quærendum jus celebrandi annuum Festum in alieno Sacello impenderetur. Longe siquidem minori sumptu dominium acquirent Cappellæ in Ecclesia S. Andreæ.

Deliberare igitur dignentur Emi Patres.

An, & quomodo sit consulendum SSmo pro commutatione voluntatis in casu &c.

Die Sabbathi 7. Junii 1788. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

QUatuor hic ex præcedenti Folio diei 24. Maii decidendæ proponuntur Causæ. Reliquarum speciem habent Eminentissimi Patres ex præsenti.

FIRMANA,

An, & quæ resolutio Capitularis sit approbanda, & quomodo, & a quibus sit exequenda in casu &c. *Sess.21. cap.7., & Sess.23. cap. 1. de Reform.*

Approbandam esse resolutionem diei 7. Septembris 1786. juxta votum Archiepiscopi.

CERVIEN.

I. *An Beneficiatus Altaris S. Sebastiani erecti in Ecclesia Collegiata Terræ Massæ Fiscaleæ teneatur officiare, & celebrare Sacrum in Cappella B. M. Virginis Consortii in Oratorio dictæ Ecclesiæ ad placitum ejus Confratrum; seu potius ad Altare B. M. Virginis Consortii existens in dicta Ecclesia Collegiata in casu &c.* *Sess.22. Decret. de observ., & evitan. in celebrat. Miss., & Sess.25. cap. 4. de Rvform.*

II. *An idem Beneficiatus teneatur intervenire supplicationibus ordinariis, & extraordinariis, vestitionibus Novitiorum, tumulationi Confratrum, & expositionibus publicis Sacrarum Reliquiarum faciendis in dicto Oratorio, & Cappella in casu &c.*

III. *An teneatur officiare, & celebrare Sacrum in dicta Cappella, ac intervenire ut supra in Oratorio per se ipsum, vel per alium in casu &c.*

IV. *An teneatur officiare Altare S. Sebastiani Festis principalibus, aliisque diebus, in quibus Confratres dictæ Societatis Consortii non solent agere Divina Officia, & Functiones pariter per se ipsum, vel per alium in casu &c.*

V. *An teneatur commodare Paramenta Sacra, & Calicem Alta-*

Altaris S. Sebastiani dictæ Ven. Societati Consortii ad omnem requisitionem Confratrum ejusdem in casu &c.

VI. *An Beneficiatus supradictus incidit in pœnas contentas in decreto, seu decretis Cerviensis Episcopi Pizzolanti in casu &c.*

VII. *An licitum sit eidem Beneficiato permutare, locare ad longum tempus, vel in emphyteusim dare bona dicti Beneficii S. Sebastiani sine Beneplacito Apostolico, vel Sac. Congregationis, & irrequisitis Confratribus Commissariis in casu &c.*

VIII. *An Beneficiatus supradictus teneatur reficere bona dicti Beneficii in casu &c.*

IX. *An sit locus confectioni Inventarii bonorum, & jurium spectantium ad d. Beneficium S. Sebastiani, & cujus sumptibus confici debeat in casu &c.*

Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. & amplius.

Ad II. Affirmative in omnibus.

Ad III. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, & amplius.

Ad IV. Affirmative ad formam Testamenti, etiam per alium, & amplius.

Ad V. Affirmative in casu necessitatis, & amplius.

Ad VI. Affirmative, sed pro Gratia absolvendum, & amplius.

Ad VII. Negative in omnibus, & amplius.

Ad VIII. Affirmative a die adeptæ Possessionis.

Ad IX. Affirmative ad formam Testamenti sumptibus Beneficii, & amplius.

Sess.22. cap. 6. de Reform.

CALLIEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM QUOAD TERTIUM DUBIUM.

An sit standum, vel recedendum a decisis quoad tertium Dubium in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess.22. cap. 6. de Reform.

PARMEN.

An, & quomodo sit consulendum SS.mo pro commutatione voluntatis in casu &c.

Affirmative juxta Votum Episcopi.

RO-

ROMANA SUBSIDII DOTALIS. Assignavit Paulus Paganini mense Februario 1620., cessitque in tot Locis Montium Archiconfraternitati SS. Annuntiatæ Urbis scuta triginta millia cum onere erogandi post ejus obitum fructus in spirituales dotes scutorum 100. pro qualibet, vel etiam temporales, si Puellæ in Domino nubentes deficerent. Cessionem hanc confirmavit mense Augusto ejusdem anni *irrevocabilmente*, rogavitque Officiales Societatis, ut nominationem permitterent ejus pronepti Magdalenæ Paganini nuptæ Theodosio de Rubeis, deindeque illius Filiæ natu majori = *di due Zitelle l'anno per monacarse, o maritare* = In postremis demum Tabulis præscripsit anno 1623. = *che la Signora Maddalena sua pronipote, moglie del Signor Teodosio Rossi, ed il detto Signor Teodosio mentre vivono, e dopo di essi li loro Figlioli, Eredi, e Successori, tanto maschi, come femine in infinito, possino nominare ogni anno la metà delle Zitelle per monacarsi, o maritarsi con dote di scudi 100. per ciascheduna.* Sess. 22. cap. 6. de Reform.

Orta, eo defuncto, inter Societatem, & Magdalenam de viribus cessionis, & Testamenti quæstione, res anno 1624. composita fuit per Transactionem, cumulateque exequuta est pii Cedentis, & Testatoris voluntas. Aliæ deinde aliis de causis sub annos 1632., & 1686. initæ fuerunt Concordiæ, ratumque habuerunt Collatores dotium respectivum eorum jus nominandi Puellas pro medietate. Perpetuo autem subsidio fuit descendentibus fœminis Magdalenæ pium Legatum. Plures enim a Clemente IX., Clemente X., Clemente XI., Innocentio XIII., aliisque Romanis Prontificibus impetrarunt dotium cumulos, ad summam quandoque scutorum trium, & quatuor millium. Num ex una vero ipsarum medietate, vel ex altera etiam Societatis, non constat. Acris tamen in id contentio fuit anno 1748. inter quatuor Filias, binasque Philippi de Rubeis Neptes, & Societatem, ac duo præ ceteris in hac Sacra Congregatione disputata fuerunt Dubia, tertium nempe = *An in casu, quo dicta subsidia (reservata descendentibus Magdalenæ) non sufficiant pro alimentis, & dotibus dd. Virginum de Rubeis, quæ sunt in numero sex, eisdem providendum sit pro supplemento ex altera medietate eorumdem subsidiorum, quæ distribuuntur a Ven. Archiconfraternitate SS. Annuntiatæ Urbis* = & quartum = *An dd. Virginibus assignanda sint dd. subsidia, quæ ut supra distribuuntur ab eadem Archi-*

chiconfraternitate, *& in qua summa pro earum qualibet* = . Re igitur in strenuo Partium conflictu discussa, prodiit die 30. Martii rescriptum = *Ad III.*, & *IV. affirmative juxta mentem*.

Quae fuerit mens, colligitur ex confirmatoria resolutione diei 3. Augusti ejusdem anni; quod praestari scilicet deberent = *alimenta in scutis tribus menstruis pro qualibet*, *subsidia vero dotalia juxta earum statum*, *& praesentem conditionem*, *ita tamen*, *ut nubentes in Domino*, *nubant extra Urbem*, *& ad Emum Praefectum pro executione* = . Quae vero in executionem hujusce rescripti taxata fuerit dotium quantitas, alter innuit ex Brevibus Clem. XIV., de quibus infra, in scutis nempe septingentis, quatenus in saeculo, & scutis 745. si in Domino nupsissent. Hoc ducta exemplo, alimenta pariter, & dotem postulavit anno 1767. Anna de Rubeis Julii filia, obtinuitque ab eadem Sacra Congregatione sub die 29. Augusti menstrua scuta quinque pro alimentis, & dotem *juxta votum Emi Protectoris*, in scutis videlicet 700. pro nuptiis carnalibus, & scutis 745. pro spiritualibus *ex fructibus dimidiae partis dotalitii Paganini ad successores respectu juris nominandi spectantis*.

Eamdem dotis quantitatem, & menstrua scuta b. 50. pro alimentis obtinuerunt die 14. Martii 1770. a Clem. XIV. Ludovica, Maria Feancisca, & Anna Maria Alexandri de Rubeis filiae, iterumque die 21. ejusdem mensis quatuor filiae Geltrudis de Rubeis nuptae Jo. *B*aptistae Veri Manni, quas inter Maria oratrix, ac in executionem utriusque Pontificii Brevis demandavit sub eadem die 30. Emus Cardinalis Corsinius, Societatis Protector, praescripta subsidia = *ex medietate Legati Paganini* = . Quoties postremo novissimis temporibus actum est de alimentis, vel ea Sacra haec Congregatio ex medietate subsidiorum Societatis denegavit, ut ex resolutione diei 10. Maii 1777., vel ea ex altera dumtaxat medietate concessit, ut die 20. Augusti 1785.

Mense Junio 1786. soluta fuerunt Annae Mariae de Rubeis, alteri ex Filiabus Alexandri nuptae Vincentio Gaudenzi, in computum ejus Dotis scuta 521. 50., quae ex medietate subsidiorum, ad consanguineas Testatoris spectantium, deposita erant. Alia ad totum annum 1787. deposita sunt scuta 108. 32., deficiuntque ad integram quantitatem scutorum 700. in Clementino Brevi praefinitam, scuta 70. 18., quae tam cito cumulari nequeunt. Detractis enim ex dicta subsidiorum medietate, quae scutorum est

eſt 350., annuis aliarum Fæminarum de Rubeis Livellis, & alimentis in ſumma ſcutorum 302., vix Ratiocinatoris Societatis teſtimonio, annua ſuperſunt ſcuta 48. Hoc advertens Maria Veri Manni, quæ Joanni nupſit Candelori, dotemque ſibi ſcutorum 700. ſub alterius Clementini Brevis fide conſtituit, EE. Veſtras exoravit pro ſubſidiaria illius ſolutione ex medietate dotium Societatis. Suam Emus Protector non aperuit ſententiam quoad dotem; attento tamen bono Oratricis jure, & paupertate, capiendam eſſe cenſuit proviſionem = *quod ſupradicta Archiconfraternitas teneatur uſque ad exitum Cauſæ ſolvere eidem Oratrici annua ſcuta triginta ipſi jam aſſignata loco alimentorum a San. Mem. Clemente XIV.*, *quam ſubminiſtrationem Oratrix uſque nunc ab eadem Confraternitate recepit* = Edito hinc ſub die 18. Auguſti 1787. reſcripto= *Ponatur in Folio, citato Defenſore Archiconfraternitatis, firma interim remanente præſtatione ad formam Brevis Sa. Mem. Clementis XIV.* = infraſcriptum concordatum eſt Dubium.

Legatorum diviſio inter deſcendentes Magdalenæ & Societatem, activum reſpicit jus conferendi dotes, non item paſſivum, quum indiſtincte vocatæ ſint pauperes Puellæ, ſive in Domino, ſive in ſæculo nubentes. Æquum ergo dicit Oratrix, ut tanquam conſanguinea Teſtatoris, extraneis præferatur Puellis, ſuamque dotem ex medietate etiam ſubſidiorum Societatis conſequatur, *Mantic. de conject. lib.*8. *tit.*5. *num.*17., *Amoſtaz de Cauſ. piis tit. de relict. ad pauperes num.*10., & paſſim Sacra hæc Congregatio *in Nullius, ſeu Montis Caſini Diſtributionis Subſidiorum Dotalium* 24. *Septembris* 1729. *ad I. Dubium*, *in Panormitana Subſidiorum Dotalium* 15. *Januarii* 1731., & 20. *Auguſti* 1735., & *in Romana, ſeu Sabinen. Subſidiorum Dotalium* 27. *Martii* 1762. Maxime quia vocatæ ſunt ad ſubſidia illa Puellæ incertæ, & nulli idcirco fit injuria, *Rot. cor. Sa. Mem. Clem. XIII. deciſ.*227.*num.*2., & 7. Valde tamen confidit in reſolutione anni 1748., paremque indulgentiam, ac Filiæ Nepteſque Philippi de Rubeis, ab EE. Veſtris auguratur. Addi etiam poſſet, quod ob tenuem quantitatem fructuum, qui detractis aliarum Conſanguinearum livellis & alimentis, ex altera ſubſidiorum medietate quotannis ſuperſunt, diu expectare deberet dotis ſuæ cumulum, & inanis quodammodo Pontificia Gratia evaderet, contra regulam *Textus in Cap.*16. *de Reg. Jur. in ſexto*.

Strenue Oratrici obſiſtit Societas, eique dotem, & alimen-

ta ex propria subsidiorum medietate inficiatur. Alimenta, inquit, non propter dotem, sed propter obsequia debentur matrimonialia, *Hostien. in Cap. Per vestros 7. de Donat. int. Vir., & Uxor. num.6.*, *Boss. de Matrim. tom.2. cap.4. §. 1. num.95.*, ideoque præstanda sunt a Viro, cessavitque per matrimonium Pontificia munificentia. Animadversionem tamen merentur votum Emi Protectoris, rescriptum 18. Augusti, quo firmam voluerunt EE. Vestræ præstationem alimentorum ad formam Brevis, & concordatum Dubium, in quo de una quæritur dote. Præstandam vero non esse contendit dotem ex proprio subsidiorum semisse, quum consultum sit Consanguineis ex altera medietate, *Ursaya discept. Eccles.2. num. 86. tom.3. part.2.*, *Rot. in Nuperr. decis. 31. n.7. tom.4.* Potissimum, quia octavo Oratrix distat gradu a Testatore, & ad effectum, de quo agitur, censeri potius debet extranea, ut Sacra hæc censuit Congregatio *in Romana Subsidiorum Dotalium* 15. *Decembris* 1736., *& in Ferrarien. Subsidiorum Dotalium* 11. *Januarii* 1766. Indulsit quandoque ultra quartum gradum Consanguineis, sed concurrente earum vocatione, qua destituta est Oratrix quoad portionem subsidiorum Societatis, ut *in Veliterna Subsidiorum Dotalium* 8. *Junii* 1771.

Ipsum deinde urget Societas Clementinum Breve, ex quo suum jus Oratrix desumit. Initio siquidem distinxit Clemens XIV. descendentium jus a jure Societatis, dotemque deinde Oratrici, ejusque Sororibus præstari mandavit *ex prædictis Reditibus*. Ex hoc autem concludit, quod ad propria respexerit descendentium subsidia, de quibus distinctam mentionem fecerat. Idque comprobat ex decreto executoriali, quo dotes imperavit Emus Protector = *ex medietate pii relicti Paganini*. Resolutioni autem anni 1748. alias opponit annorum 1767. 1777., & 1785., quarum novissimæ, licet respiciant alimenta, statum a majoritate rationis faciunt quoad dotes, quum = *dotis favor provenit a Jure positivo*, *ille vero alimentorum descendit a Jure naturali*, ut observat *Rot. cor. Molin. dec. 1092. num. 3.* His omnibus accedit, quod dotalia Societatis subsidia destinata primum sunt Puellis in Domino nubentibus, quæ nunquam in genere deficiunt. Ponderandum ergo, num illorum applicatio nuptæ in sæculo derogationem saperet voluntatis.

Quæritur ergo.

An Dos sc.700. assignata Mariæ de Rubeis Veri Manni a S. M. Clemente XIV. præstanda sit ex medietate dumtaxata

xat subsidiorum dotalium Paganini, quæ distribuuntur ad nominationem heredum Magdalenæ Paganini, & Theodosii de Rubeis, seu potius in ejus defectu ex altera etiam medietate subsidiorum, quæ distribuuntur ab Archiconfraternitate SS. Annuntiatæ in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

FERRARIEN. CAPELLANIÆ. Herèdem scripsit Jacobus Busi Rosam Dunelli ejus uxorem in usufructu, Posthumum, quem ex ea sperabat, in proprietate. In casu vero, quod speratus non nasceretur Filius, fiduciarium instituit Com. Jacobum Cicognara sub lege erigendi ex universa hereditate = *un Beneficio semplice nella Chiesa di Gambulaga con obbligo al Cappellano di celebrare ogni anno quel numero di Messe dovrà stabilirsi da d. Sig. Cicognara, ò suoi nell'atto di fondare d. Beneficio*. Usufructuaria absque Posthumo defuncta, Beneficium erexit anno 1748. cl. mem. Cardinalis Crescentius Ferrariensis Archiepiscopus, reservato Comitibus de Cicognara, eorumque Filiis, & Descendentibus in infinitum jure nominandi Rectorem, injunctoque eidem Rectori onere celebrandi = *ad Altare S. Josephi pro Anima Testatoris, aliorumque Defunctorum de familia Testatoris ejusdem Missas* 150. *in singulos annos*. Atque hinc in assignatione Fundi cautum præ ceteris sibi suisque Descendentibus voluerunt Comites de jure = *di eleggere e nominare il Cappellano* = reservata Ferrariensi Archiepiscopo = *l'istituzione, e provisione respettivamente del Sacerdote da nominarsi, qual Sacerdote debba celebrare ogni anno all'Altare di S. Giuseppe in detta Chiesa di Gambulaga Messe* 150. *ogni anno, cioè ogni giorno di Festa di precetto; ed il rimanente ne giorni a di lui arbitrio, e il sud. Rev. Sacerdote pro tempore dovrà celebrare le dd. Messe senza pregiudizio della Sagrestia*. *Sess. 25. cap. 5. de Reform.*

Capellaniam hactenus obtinuerunt Sacerdotes, licet alter ex ipsis celebrare consueverit Sacra per alium. Vivente adhuc Sacerdote Antonio Michelini eorum novissimo, ab hac Sacra Congregatione postulavit Com. Philippus Cicognara, ut declararetur clericalis, sibique ad eam nominare liceret Clericum Vincentium ejus filium annorum sexdecim. Eo vero, pendente informatione Emi

Archiepiſcopi defuncto, deſignatam nominationem explevit, cenſuitque Emus Antiſtes = *non agi hic de Capellano, qui ex Teſtatoris mente actu, non aptitudine, ut ajunt, ſit Sacerdos, omnibus iis deficientibus in hac fundatione præceptivis verbis, qualitatem ſacerdotalem pollentibus* = ideoque = *ſpectata qualitate Capellaniæ, ejuſdemque Clerici Cicognara ſtatui eccleſiaſtico vocatione, bonis moribus, nobilitate inſimul generis petitam gratiam concedi poſſe, niſi aliter EE. Veſtris videatur* = De qualitate igitur Capellaniæ, viribuſque nominationis ſub infraſcriptis quæritur Dubiis.

Clericalem Capellaniæ qualitatem deſumit Orator ex Teſtamento, ac erectionis decreto, in quibus mentio fit de Capellano *in genere* abſque ſacerdotali qualitate, eique *ſimplex* imponitur celebrationis onus, nullis omnino adhibitis verbis, ex quibus obligatio celebrandi per ſe ipſum induci ſolet. Capellani ſiquidem nomen, in ſimplici præſertim, de quo agitur, Beneficio, convenit etiam Clerico, *Lotter. de Re Benefic. lib.2. quæſt.47. numer.60.* Simplex vero celebrationis onus ſacerdotalem non exigit qualitatem, *Card. de Luc. de Benefic. diſc. 61. num.3., diſc.96. num.4., & 11., & in annot ad Concil. diſc.20. num. 13.*, nec perſonale Capellani miniſterium, *Ferrar. in Biblioth. legal. verbo Capellania num.20.*

Aliter tamen de eodem Capellano loquuti fuerunt Comites de Cicognara in dotatione Capellaniæ. Eum porro non ſemel & iterum, ſed tertio quoque verbo appellarunt *Sacerdotem*. Num ſpecifica hæc demonſtratio genericam vincat Teſtamenti, & Decreti erectionis deſignationem, EE. Veſtræ decernent. Prætereundum vero non eſt, talem præſumi legem fundationis, qualem Fundator, vel ejus heres ad actum deduxit, *Piton. de contr. Patron. allegat.42. num.16.* Convenit quidem Sacerdotis nomen ſimplici etiam Clerico in minoribus Ordinibus conſtituto, *Piton. ibid. allegat. 17. num. 3.*, ſed ubi Capellanum appellat, cui onus eſt celebrandi, de Sacerdote ſaltem intelligitur habitu, *Pignatell. conſult. can.2. num.18., & ſeqq. tom. 7. Amoſtaz. de Cauſ. Piis. lib. 3. cap.5. num. 3., & ſeqq.*. Ad differentiam caſus, quod ipſum reſpiciat præſentationis, inſtitutionis, vel collationis actum; nam tunc de Sacerdote etiam accipitur actu, *Fagnan. in lib.1. Decretal. Cap. Ut Abbates de ætat., & qualit. num.54., & ſeqq.*, *Barboſ. de Jur. Eccleſ. lib.3. cap.5. num.33.*, *Ferrar. in Biblioth. legal. verb. Capellania num.32., & ſeqq.*

Con-

Constans accedit observantia. Semper enim a die erectionis Capellaniæ præsentati ad eam fuerunt Sacerdotes. Non parum sane ad arguendam sacerdotalem Beneficii qualitatem, observantiæ deferunt *Card. de Luc. de Benefic. disc.*61. *num.*13., *Constantin. vot.*306 *num.*6., *Piton. de controv. Patron. allegat.*17. *sub num.*3. Spernendam vero autumat Orator hujusmodi observantiam veluti facultativam, ad tradita per *Garz. de Benefic. part.* 7. *cap.*1. *num.*88. *Lotter. de Re Benefic.lib.*2. *quæst.*47. *n.*28. Eo magis, quia alter ex Capellanis celebrare consuevit per alium. Notandum contra, quod = *stat bene simul, ut Capellanus debeat esse Sacerdos, & nihilominus Missas celebrare possit per substitutum* = ut inquit *Fagnan. in Cap. Ut Abbates de ætat., & qualit. num.*60.

Quatenus autem conveniant Emi Patres in sacerdotalem Capellaniæ qualitatem, deliberandum erit, juxta secundum Dubium, de viribus præsentationis Clerici Vincentii. Obstat ejus ætas annorum 16., quum promoveri nequeat ad Sacerdotium intra annum, ut in Capellaniis habitu sacerdotalibus requiritur, *Ferrar. in Biblioth. legal. verb.Capellania num.*23. Res alia ex parte est de Clerico descendente Jaacobo Cicognara, quem Testator nuncupavit *suo amorevole*, ac de Capellania Jurispatronatus ejus Familiæ. In similibus porro terminis indulsit Sacra hæc Congregatio impuberi tresdecim annorum Clerico *in Anconitana Capellaniæ* 12. *Junii* 1762.

Respondere igitur dignentur EE. Vestræ.

I. *An Capellania, de qua agitur, sit clericalis, seu potius actu, vel habitu sacerdotalis in casu &c.*

Et quatenus sit actu, vel habitu sacerdotalis.

II. *An, & quomodo sit providendum in casu &c.*

FIRMANA CAPELLANIÆ. Legavit anno 1717. Franciscus Liberati Rectori pro tempore Parochialis Ecclesiæ S. Nicolai Montis Georgei annuum fructum scutorum biscentum cum onere celebrandi qualibet feria *Sess. 25. cap.5. de Reform.*

ria

ria VI. Sacrum ad Altare S. Francisci de Paula. Heredibus vero deficientibus, integram eidem Altari reliquit hereditatem, binis aliis Parocho imperatis hebdomadalibus Sacris, prætulitque ad Capellaniam descendentes Francisci Pucci *essendo Sacerdote alcuno*, alterumque in eorum defectum *della discendenza di Belardino Morganti in caso si volesse far Sacerdote; volendo che questi siano sempre preferiti anche nella sudetta Messa di tutti li venerdì dell'anno, e che il Rettore, o Rettori di d. Cura siano esclusi in caso come sopra*.

Defectis heredibus, lineaque Francisci Pucci extincta, delata fuit hereditas Cappellæ, Sacrarumque celebrationem, ob defectum Clerici in familia Morganti, assumpsit Parochus Joseph Rastrelli. Cum primum vero initiatus fuit Tonsura Aloysius Morganti, ultro ejus favore Capellaniam dimisit. Diu non permansit Aloysius in vocatione, nomenque dedit militiæ in Præsidio Anconæ. Ab ea deinde adversæ valetudinis causa dimissus, in Patriam rediit, vitamque agit ab Ecclesiastico statu alienissimam. Reintegrationem idcirco ab hac Sac. Congregatione postulavit Parochus ad Capellaniam, omniaque comprobans, ita in sua informatione conclusit Archiepiscopus = *Capellaniam laicalem voluit Testator, sed non aliter ad eam vocavit unum ex familia Morganti, quam in casu = si volesse far Sacerdote = & cum onere, ut bis per hebdomadam, vel per se ipsum vel per alios celebraret. Hinc hisce omnibus, quæ statui clericali dumtaxat conveniunt, renunciasse videtur idem Clericus, ac propterea etiam Capellaniam resignasse, semel ac statum militarem fuerit amplexus. Auditus porro Clericus ipse, cui, & Parocho terminum assignavi unius mensis, ut jura propria respective coram EE. Vestris deducant, nil curat, sive retinere, sive dimittere Capellaniam cogatur. Sed ejus Pater jura Filii tueri viriliter intendit* = Edito hinc die 24. Novembris elapsi anni 1787. rescripto = *Ponatur in Folio citatis interesse habentibus* = diu post citatos Morgantios dilata est Causæ propositio. In eorum tandem contumaciam, de caducitate Clerici Aloysii a Capellania, vel præfixione termini ad assumendum Sacerdotium sub infrascriptis Dubiis quæritur.

Clericus, inquit Parochus, qui militiam armatam assumit, Ecclesiasticis omnibus Beneficiis cadit, quum per electionem status incompatibilis cum Clericatu ea dimisisse censeatur, *Gloss. in Cap. fin. verb. redierit de Cleric. non resid. Clar. lib. 5. Sentent. §. fin. quæst. 73. sub num. 6. vers.*

verf. item Clericus, *Tondut. de Penfion. cap.77. num.* 1., nec ad illa amplius per abdicationem militiæ reftituitur, *Fargn. de Jurepatr. part.* 2. *can.* 26. *caf.*2. *num.* 3., *Barbof. in Cap. fin. num.* 1, & 2. *de Cleric. conjugat.*, & *de Jur. Ecclef. lib.* 1. *cap.* 39. *§.* 2. *num.* 79. Num id in fimplici etiam procedat Capellania, ac de Clerico, qui militari abjecto cinculo, ad Sacerdotium afcendere poteft, Eminentiffimi Patres decernent. Notandum tamen, adeo Clericum Aloyfium ab Ecclefiaftico ftatu abhorrere, ut= *nil curet, five retinere, five dimittere Capellaniam cogatur*.

Hac fane de caufa contendit Parochus fub fecundo Dubio, præfigi faltem ei debere terminum ad affumendum Sacerdotium. Laicalis fane Capellania, de qua agitur, nedum a laicis, fed ab infantibus etiam, & fæminis retineri poteft, *Rigant. ad reg.* 58. *Cancell. num.* 54., & *Sac. hæc Congregatio in Vrbevetana* 11. *Decembris* 1784. Hoc vero fallit, ubi expreffa, vel tacita refiftit Teftatoris voluntas, *Rigant. ibid.*, *Card. de Luc. de Benefic. difc.* 61. *num.* 4. Haud enim repugnat, laicalem diverfis refpectibus effe Capellaniam, & quoad Capellanum ecclefiafticam, & facerdotalem, *Cæf. de Graff. decif.* 114. *de Præben. per tot.* Qualis autem fit erga Clericum Morganti Teftatoris voluntas, ex iis defumitur verbis = *in cafo fi voleffe far Sacerdote*= Si verba igitur hæc ad neceffitatem affumendi Sacerdotium ab EE. Veftris referantur, locus effe poffet præfixioni termini, quum jam Clericus Aloyfios vigefimum quartum expleverit annum, *Lotter. de Re Benefic. lib.* 2. *quæft.* 47. *num.* 20., *&* *Sacra Congregatio in Perufina Capellaniæ* 15. *Januarii currentis anni ad II. Dubium*.

Quæritur ergo.

I. *An fit locus caducitati Capellaniæ inftitutæ a Francifco Liberati in cafu &c.*

Et quatenus negativè.

II. *An, & quomodo fit providendum in cafu &c.*

BRA-

Sess. 23. cap. 1. & Sess. 24. cap. 12. de Reform.

BRACHAREN. Insignis Collegiata Oppidi de Barcellos ex Dignitatibus constat quinque, Canonicis octo. Secunda Dignitas est Cantoratus maximus, quem cum unito subcantoratu obtinet clericus Cajetanus Pereira de Lago Portocarrero. Præter innata Dignitatis officia, alia Cantori incumbunt Præsidis, & Parochi Chori. Plerique Capitulares sive ob habituales infirmitates, sive ex Indultis, publicisque Officiis a Choro absunt. Quatuor cum Cantore ad illius servitium supersunt, quorum duo tantum sunt Sacerdotes. Ex his Cantor ob assertum defectum vocis, redituumque tenuitatem EE. Vestris supplicavit anno 1780. pro dispensatione a Choro, & residentia, ac facultate explendi suum munus per alium. Præcibus ad Officialem Bracharensem pro informatione, & voto remissis cum clausula *interim ad sex menses, si tamdiu necessitas duraverit*, in omnibus ille Oratori favit, rescripsitque Sacra hæc Congregatio die 20. Januarii 1781. pro gratia ad triennium = *firma remanente obligatione residendi, quatenus teneatur ex lege fundationis, & quoad exercitium cantus tantum*.

Licet autem in executoriali hujusce rescripti judicio de residentiali Cantoratus qualitate ex fundatione constitisset, Oratorem tamen liberavit Officialis a Choro, & residentia. Recursum hac de re ad Sacram ipsam Congregationem habuerunt Capitulares, ac iterum & tertio requisitus, non transmisit Officialis, ut imperatum fuerat, executorialia Acta, vixque in secunda informatione retulit, quod = *exilitas vocis, & tenuitas redituum verificatæ fuere* = iterumque in tertia = *causas, ob quas Cajetanus Pereira obtinuit Indultum non residendi, adhuc existere, & permanere* = Re ad folium *citata Parte* sub die 22. Maii 1784. delegata, Sacræ Congregationis judicium declinavit Cantor, impetravitque sequenti anno Apostolicas abessendi Literas. Rursus tamen ad preces Capitularium remissa fuit Causa ad Sac. Congregationem, exquisitoque voto Ministrorum Datariæ, in ea fuerunt sententia = *quod Indultum prædictum, subdole exortum, utpote subreptionis vitio infectum, nullum prorsus ac irritum, perinde ac si concessum non fuisset, declarari debeat*. Edito hinc sub die 9. Septembris 1786. rescripto *Ponatur in Folio*, pluries ad deducenda jura sua interpellatus est Cantoris Patronus in Urbe. In ejus tandem contumaciam infrascripta proponuntur Dubia.

Respicit primum executorialem Bracharensis Officialis sententiam. Legitima ad eam tuendam allegari posset justi-

iæ

tiæ præsumptio, de qua *Canonistæ in Cap.* 1. *de Offic. Judic. Ordin.*, & *Polit. de Judic. dissert.* 11. *num.* 4. *to.* 4., vel justa saltem dici posset quoad absentiam a Choro, quam Sac. hæc Congregatio indulserat; quum Sententia pro parte utili sustineatur, ad *Text. in Cap. Cum tempore de Arbitr.*, & *Cap. Dilectus*, *il primo de Præben.* Notandum tamen, quod una eademque oratione Pereiram liberavit Officialis a Choro, & residentia. Hoc sane casu excessus Judicis executoris in uno, totam Sententiam vitiat, juxta *Fagnan. in cit. Cap. Cum tempore num.* 18.. In hoc autem reponunt Capitulares excessum, quod firmam voluit S. Congregatio obligationem residendi, quatenus Orator ex lege fundationis teneretur, eamque contra hujusmodi legem solvit Officialis, spreta etiam Canonici Juris dispositione, quæ absentiam in residentialibus Beneficiis interdicit, ut in *Cap. Nonnulli* 3. *de Cleric. non residen.*

Literarum Apostolicarum executionem impugnant Capitulares sub secundo. Pontifici sane reticuit Pereira pendentiam litis in hac Sac. Congregatione, ut in eorum voto referunt Ministri Datariæ. Pontificiæ autem Gratiæ, Literæ, Indulta ob hujusmodi reticentiam subreptitia declarantur in Decreto Innocentii XII., ejusque confirmatorio Clementis XIII., quibus inhæret dd. Ministrorum opinio. Sua ergo prudentia deliberent Eminentissimi Patres, exequi ne debeant Apostolicæ absessendi Literæ per eum impetratæ.

Quoad tertium postremo observant Capitulares, majorem partem fructuum Cantoratus destinatam esse, ex speciali Petri II. Lusitaniæ Regis munificentia, in quotidianas distributiones, quæ ex dispositione *Sac. Concil. Tridentini sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* non debentur Beneficiato non residenti, quum sint præmium *actualis*, & *personalis servitii in Choro*, juxta *Cap. Consuetudinem de Cleric. non residen. in* 6. Hoc ipsum sustinent de reliquis Beneficii fructibus, eo quod plures, ut asserunt, per annos abfuit Pereira ab Oppido Barcellos, licet contrariam fundationis legem, rescriptumque Sac. Congregationis non ignoraret. Statuit enim *Tridentina Synodus sess.* 23. *cap.* 1. *de Reform.*, absentem a Beneficio residentiali *pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere*. Ponderare tamen dignentur EE. Vestræ, num Sententia Officialis Bracharensis sufficientem in Pereira inducere potuerit bonam fidem, ne hisce Beneficii fructibus privetur.

Deliberandum igitur,

I. *An Sententia executorialis Officialis Bracharensis sit confirmanda, vel infirmanda in casu &c.*

II. *An Literæ Apostolicæ sint exequendæ in casu &c.*

III. *An sit locus repetitioni quoad reditus, & distributiones a Cajetano Pereira exactas pro tempore non residentiæ, & respective amissioni redituum, & distributionum non exactarum pro eodem tempore in casu &c.*

Seff. 22. cap. 6. & Seff. 25. cap. 11. de Reform.

ASCULANA. Capellaniam moriens instituit Cæsar Tibaldeschi annui reditus scutorum circiter quinquaginta cum hebdomadali onere Missarum sex ad Altare SS. Crucifixi Ecclesiæ Parochialis S. Victoris Asculi, reservavitque jus nominandi Capellanum certo Parochianorum ordini. Quamlibet fieri vetuit Missarum reductionem, diminutionem, translationem, & in casu alienationis bonorum, nova in fructiferis Prædiis mandavit investimenta. Hereditaria Asculi est domus, in qua Maria Rosa Raimondi, usufructuaria Tibaldeschii heres, phtysi decessit. Eam hac de causa nemo conducit, gravique opus esset sumptu, ut sine periculo habitari possit. EE. igitur Vestras rogavit Vincentius Ventura Capellaniæ possessor, ut illam vendere, pretiumque in aliis bonis stabilibus, vel consignativum censum investire liceret, prodiitque die 16. Junii 1787. rescriptum = *Episcopo pro informatione, & voto, prævia Edictorum affixione favore majoris oblatoris, cum onere solvendi fructus compensativos donec promptum inveniatur investimentum.*

Exposita comprobavit Asculanus Antistes, retulitque, quod = *demandata Edictorum affixione, unicus oblator comparuit, qui scuta sexcentum quinquaginta obtulit cum obligatione solvendi fructus compensativos ad rationem scutorum quatuor pro quolibet centenario & anno, donec in bonis stabilibus pecuniæ investimentum reperiatur* = Addidit rursus, quod = *juxta Peritorum judicium, domus valor est scutorum 648., & ob 7.* (seu juxta exhibitam peritiam, scutorum 643. 07.) *& pro eadem in partibus necessariis resarcienda & reparanda, ut deinde locari possit, summa scutorum 48. & ob. 90. requiritur. qua facta restauratione, retulerunt iidem Periti, pensionem annuam do-*

domus ascendere posse ad scuta 18. Et in hæc demum verba conclusit = *Hisce in circumstantiis cum ex venditione domus cum onere solvendi fructus compensativos, isti in summa oblata scutorum* 650. *annuatim summam constituant scutor.* 26., *&* e *contra ex annua locatione domus scuta* 18. *retrahi tantum possint ex Peritorum relatione, dubitari nequit de utilitate alienationis in casu, quo annui reditus investimenti in posterum faciendi correspondeant fructibus compensativis. Eoque magis, cum circa infectionem d. Rosæ vera sint exposita, qua de causa nullus usque adhuc repertus est, qui illam conducere voluerit.*

Instantiam deinde variavit Orator, petiitque facultatem investiendi pretium domus in consignativo censu, tum quia Peritorum testimonio aucta nimis sunt in viciniis Asculanæ Civitatis rusticorum Prædiorum pretia, tum quia uberiores ex censu haberentur fructus. Res ad *Folium* remissa fuit cum clausula *citata Parte*, attento *Nihil transeat*, per Executores testamentarios apposito. Hoc vero ob finitum eorum munus, per decretum *lacerato*, Oratori per supplicem Libellum restiterunt Parochiani, seu Capellaniæ Patroni, ac infrascripta modo proponuntur Dubia.

Perniciosam Capellaniæ asserunt Parochiani venditionem domus oblato pretio (quod per errorem supponunt scutor. 850.) eo quia illius valor ad majorem ascendit summam scutorum 885., ideoque permittendam non esse, ex censura *Textus in Extravag. Ambitiosæ de reb. Eccles. non alienan.* In hypothesi vero, quod utilis esset, nec permitti debere contendunt censuale investimentum pretii, spernique præceptum Testatoris de investienda pecunia in stabilibus, contra monitum *Sac. Concil. Tridentini Sess.*25. *cap.*4. *de Reform.*

Quæ nam contra sint alienandi causæ, quæ ex alienatione utilitas, jam EE. Patres ex informatione Episcopi norunt. Neminem sane latet, quam perniciosa domibus sit insanabilis phtysis, qua opus sit impensa, ut ab ea purgentur. Ponderare tamen dignentur EE. Vestræ, num expediat vendere domum, quæ ipsius Episcopi testimonio, mediocri indiget sumptu, *ut deinde locari possit*, & num præsens potius æstimari debeat compensativorum fructuum utilitas, quam dubius futuri investimenti eventus. Evidens autem in alienandis Ecclesiæ bonis requiritur utilitas, *Petra ad Const. Ambitiosæ per tot. de Reb. Eccles. non alien.* Hac concurrente, alienandi facultatem indulsit Sac. hæc Congregatio *in Bononien. Beneplaciti*

28. *Martii* 1744. licet prohibitioni Testatoris dissensus accederet Substituti. Ea vero deficiente denegavit *in Firmana Venditionis Horti* 2. *Augusti* 1749.

Quatenus igitur EE. Vestræ necessariam, & utilem censeant venditionem domus, deliberandum erit de investimento pretii. Ne juxta petitionem Oratoris fiat in censu, expressa urget Testatoris voluntas, quæ sine justa & necessaria causa commutari non debet, *Sac. Conc. Trident. sess.* 22. *cap.* 6. *de Reformat.* Juris etiam obstat dispositio. Licet namque æquiparentur census stabilibus, eorumque nomine veniant, *Cenc. de censib. quæst.* 30. *n.* 6., *Card. de Luc. eod. tract. disc.* 17. *num.* 2., idoneum tamen non reputantur investimentum pro celebratione Missarum, ut declaravit Sac. hæc Congregatio *in Fundana* 28. *Februarii* 1654. *tom.* 19. *Decret. pag.* 319. *a terg.* Permissi quandoque fuerunt; sed in defectum investimenti in stabilibus, ut *in Neapolitana* 3. *Augusti* 1658. *lib. Decret.* 21. *pag.* 337. *a terg.*, & nuperrime *in Camerinen.* 24. *Novembris elapsi anni* 1787. Quandoque etiam fuerunt absolute prohibiti, ut *in Firmana Oneris Missarum* 23. *Junii* 1764. Ponderanda tamen difficultas investiendi pecuniam in rusticis Asculani Territorii Prædiis, de qua testantur Periti.

Dubia sunt.

I. *An sit locus venditioni domus in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An investiendum sit ejus pretium in stabilibus, seu potius in censibus, ita ut sit consulendum SSmo pro commutatione voluntatis in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 21. Junii 1788. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

ROMANA SUBSIDII DOTALIS.

An dos sc. 700. assignata Mariæ de Rubeis Veri Manni a fa. mem. Clemente XIV. præstanda sit ex medietate dumtaxat subsidiorum dotalium Paganini, quæ distribuuntur ad nominationem heredum Magdalenæ Paganini, & Theodosii de Rubeis, seu potius in eius defectu ex altera etiam medietate subsidiorum, quæ distribuuntur ab Archiconfraternitate SS. Annuntiatæ in casu &c. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Negativè ad primam partem, Affirmativè ad secundam.

FERRARIEN. CAPELLANIÆ.

I. *An Capellania, de qua agitur, sit clericalis, seu potius actu, vel habitu sacerdotalis in casu &c.* *Sess. 25. cap. 5. de Reform.*

Et quatenus sit actu, vel habitu sacerdotalis.

II. *An, & quomodo sit providendum in casu &c.*

Ad I. Affirmativè ad primam partem, Negativè ad secundam.

Ad II. Provisum in primo.

Sess. 25. cap. 5. de Reform.

FIRMANA CAPELLANIÆ.

I. *An sit locus caducitati Capellaniæ institutæ a Francisco Liberati in casu &c.*

Et quatenus negative,

II. *An, & quomodo sit providendum in casu &c.*

Ad I. Negativè.

Ad II. Præfigatur ab Archiepiscopo terminus unius anni Clerico Aloysio ad assumendum Sacerdotium, quo termino elapso, fiat locus caducitati.

Sess. 23. cap. 1. & Sess. 24. cap. 12. de Reform.

BRACHAREN.

I. *An Sententia executorialis Officialis Bracharensis sit confirmanda, vel infirmanda in casu &c.*

II. *An Literæ Apostolicæ sint exequendæ in casu &c.*

III. *An sit locus repetitioni quoad reditus, & distributiones a Cajetano Pereira exactas pro tempore non residentiæ, & respective amissioni redituum, & distributionum non exactarum pro eodem tempore in casu &c.*

Ad I. Esse confirmandam, quoad triennale Indultum subrogandi alium in cantu tantum.

Ad II. Negativè.

Ad III. Affirmativè quoad Distributiones; quo vero ad fructus Præbendæ serventur disposita à Saç. Concilio Tridentino.

Sess. 22. cap. 6. & Sess. 25. cap. 11. de Reform.

ASCULANA.

I. *An sit locus venditioni domus in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An investiendum sit ejus pretium in stabilibus, seu potius in censibus, ita ut sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis in casu &c.*

Ad I. Affirmativè juxta votum Episcopi.

Ad II. Affirmativè ad primam partem, Negativè ad secundam.

ASCU-

ASCULANA. Duplex Cathedralis Ecclesiæ Asculi, ut plerisque aliis est patrimonium, Capituli unum, fabricæ alterum. Utrumque in inventario Ecclesiæ refertur, & a Canonicis administratur. Pluries his Asculani Episcopi in Sac. Visitationibus interdixerunt, ne impensam scutorum decem ex reditibus fabricæ absque eorum licentia excederent, vel quidquam in proprios usus, resque Capitularis Feudi Maltineani erogarent, ut cl. mem. Cardinalis Bernerius anno 1595., ejusque successores Monti, & Gambi annis 1673., & 1714. Refert immo in suo decreto Episcopus Gambi, cl. mem. Cardinalem Alphunsum de Comitibus, uti delegatum Sacræ Congregationis Episcoporum & Regularium decrevisse anno 1607. contradicentibus Canonicis = *ne aliquid de introitibus, reditibus, & bonis quibuscumque ad fabricam Ecclesiæ præd. spectantibus, sive in proprios, aut capitulares usus, sive in occurrentes exigentias, & necessitates Castri Maltineani, atque dominii, ac jurisdictionis illius expendere possint, aut valeant, præterquam pro juridictione tuenda*. *Sess.22. cap. 9. de Reform.*

Ad EE. Vestras occasione visitationis Sacrorum Liminum retulit anno 1781. hodiernus Episcopus, quod = *Canonici tractandis hisce bonis* (Fabricæ) *destinati, nullam gestæ administrationis Episcopo reddunt rationem; ex quo fit, ut nulla prorsus diligentia in excolendis prædiis, & in aliis quibuscumque negotiis agendis cum maxima redituum jactura soleant adhiberi, utque reditus ipsi sine ullo consilio, ac misere profecto dissipentur. Iis enim parare munera, sumptus litium persolvere, atque id genus alia præstare solent, quibus omnibus occurrere Canonici ære proprio tenerentur* = petiitque, ut Sacræ Congregationis imperio = *Nihil hac in re Capitulum sine assensu Episcopi peragere deinceps possit; ut Episcopo rationem reddere quotannis debeant Canonici, qui bonorum administrationi præsunt; ut novos tandem inferiores administros, negotiorumque gestores designare liceat Episcopo, si necessitas utilitasque postulaverit*. Ita autem ei Emi Patres die 6. Julii 1784. rescripserunt = *Ad Canonicos quod attinet... nec a te remissius agendum est, ut bonorum, quæ administrant rationem reddant, adversus quos etiam ex providentia Tridentina tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus jus tuum exercere non solum potes, sed etiam debes; quoniam Ecclesiæ patrimonium sub tutela tua est, nec tua sine culpa dilabitur, si male eorum vitio geritur, & administratur*.

Plu-

Plura hinc ad rectam bonorum fabricæ administrationem mandavit Episcopus, sed tergiversantibus Canonicis, alia ab hac Sacra Congregatione postulavit, ut nempe = *Episcopus ipse, etiam reluctantibus Canonicis possit in hac rerum eversione* (fusius enim malam illorum administrationem exposuit) *rusticas reficere domos, opportunisque legibus locare prædia; utque insuper exequi non antea debeant Quæstorum schedulæ; quam ab ipso quoque subscriptæ fuerint, nec explere Æconomi, ac Depositarii munus, nisi datis fidejussoribus, ulli unquam liceat* = prodiitque die 28. Maii 1785. rescriptum = *Scribatur Episcopo, qui referat de provenientia bonorum, & onerum iisdem infixis, & qui terminum præfigat Capitulo, & Canonicis ad deducendam jura, si quæ habent, in Sacra Congregatione*. Omnia Asculanus Antistes adimplevit, monuitque, jam se de provenientia, & oneribus bonorum Ecclesiæ in prima informatione retulisse. *Plura*, dixerat, *Ecclesia ipsa possidet bona, partim, ut ferunt, in antiqua Præbendarum distributione eidem addicta, partim piorum Hominum Legatis deinceps acquisita, quæ Capitulum administrare consuevit, quæque in conservanda Ecclesiæ fabrica, & in aliis ejusdem indigentiis debent occupari*. Caussa tandem ad *Folium* ablegata, quatuordecim concordata fuerunt Dubia. Quantum vero de his sollicitum fuit Capitulum, tantum ab elapso anno in suis deducendis juribus contumax fuit, remque post plurimas dilationes huc deduxit, ut Episcopo urgente, ejusque Promotore Fiscali dumtaxat informante, inveteratæ tandem controversiæ proponantur.

Præ omnibus quæritur, cujus ære agendæ sint Capituli res & lites, proprio ne, vel fabricæ. Is certe, qui ex litibus, rebusque gestis sentit commodum, sentire etiam debet sumptus incommodum, *Cap. Qui sentit, de regul. Jur. in sexto*. Num in propriis ergo negotiis uti valeat Capitulum pecunia fabricæ, distinctosque ejus reditus in proprium commodum absumere, EE. Vestrarum judicio relinquitur. Negant *Van-Espen in Jus Eccles. part. 2. tit. 34. cap. 3. num. 17.*, *Pignatell. consult. canon. 50. n. 1. tom. 6.*, *Scarfanton. ad Ceccoper. lucubrat. canon. lib. 4. tit. 5. tom. 2. in animadvers. num. 1. & seq.*

Secundum Dubium respicit factum, abuti ne consueverint Canonici reditibus fabricæ. Si antiqua respiciantur tempora, quorum desunt monumenta, hujusmodi forsan abusus caussam dedit decretis Bernerii, Monti, & Gambi. Si novissima; nonnulli sunt solutionum *ordines* pro liti-

litibus actis nomine Capituli, eaque potissimum *super juribus associationis cadaverum, & emolumentis funerum* cum Patribus Conventualibus Asculi, de qua *in Asculana Funerum super Manutentione* 12. *Junii* 1778., & 4. *Junii* 1785, *coram Azedo*. Ejus autem censetur litis interesse, cujus nomine agitur, *Scarfanton. ad Ceccoper. lib.4. tit.13. num.20., & seq. tom.2.*

Res est in *tertio* de executione decreti editi anno 1595. a cl. mem. Bernerio. Mandavit sane Asculanus ille Antistes, ne Camerarii pro tempore impensam excederent scutorum 10. ex reditibus fabricae, nisi = *re prius in Capitulo proposita, & cum consensu Vicarii Generalis* = neque majorem sub poena restitutionis impenderent summam = *nisi re prius ad Illmum, & Rmum Dominum delata, & licentia in scriptis obtenta*. Decretum hoc, utpote editum in Sac. Visitatione, vim Legis habere censent *Gonzal. ad Reg.8. Cancell. gloss. 9. §. 1. num. 18., Massubr. de Synod. cap.4. num.41.*, illudque consentaneum dicit Promotor Fiscalis dispositioni *Juris*, quum administratio bonorum Ecclesiae moderari debeat ab Episcopo, Sacra haec Congregatio *in Juvenacen. Administrationis* 18. *Junii*, & 22. *Novembris* 1736. Secum vero reputent Emi Patres, num aestimari debeat decretum, quod usu ab initio receptum non demonstratur, longeque ultra quadragenariam neglectum apparet. Pro negativa est sententia *Fagnani in lib. 1. Decretal. Cap. Treugas num. 68. de Treug., & Pac.*

Ex iisdem rationibus urget Promotor Fiscalis sub *quarto* executionem decretorum Monti, & Gambi, qui in Sacra pariter Visitatione Canonicis interdixerunt, ne fabricae reditus in proprios, eorumque Feudi Maltineani usus converterent. Eoque libentius exequenda esse contendit, quia illud ipsum, contradicentibus Canonicis, mandavit Cardinalis de Comitibus, Sacrae Congregationis Episcoporum, & Regularium delegatus. Sed neque haec decreta, licet dispositioni Juris consentanea, observata unquam fuisse constat, neque aliunde de decreto Delegati, quam ex referente altero Episcopi Gambi docetur.

Succedit *quintum* de reintegratione ejus, quod ex reditibus fabricae in alios usus conversum est. Dubium hoc pendet a resolutione secundi. Si enim de illorum abusu apud EE. Vestras constabit, *reintegrare tenentur* (Canonici) *Ecclesiam de eo, quod converterunt in alios usus*, ut inquit *Pignatell. consult. canon. 50. num. 5. tom. 6.*

Non excedunt solutionum ordines quinquennium, ab anno scilicet 1780. ad annum 1784., sed rationem quoque habendam esse censet Promotor Fiscalis anterioris temporis ob negligentiam Canonicorum in servandis scripturis. Deliberandum tamen, an hodierni Canonici luere etiam debeant Decessorum pœnam.

Præcedentium consectarium est *sextum*. Œconomo fabricæ præcepit hodiernus Episcopus, ne quidquam pro sumptibus extraordinariis solveret absque ejus licentia. Sua eum potestate usum fuisse ait Promotor Fiscalis, quum ex notatis in tertium Dubium, primus redituum fabricæ moderator sit Episcopus. Mitius vero ejus præceptum fuisse altero Cardinalis Bernerii, qui nulla inter ordinarias, atque extraordinarias expensas facta distinctione, eas absque sua licentia in scriptis ultra summam scutorum decem *indefinite* prohibuit.

Quod hodierno Œconomo Episcopus mandavit, servandum esse contendit Promotor Fiscalis ab illius successoribus, ut in *septimo* proponitur Dubio. Ita plane videri posset, quum datum non fuerit præceptum personæ Œconomi, sed officio; mandatumque fuerit = *di non dovere in avvenire pagare Bollettini &c. senza la nostra approvazione*. Ubi enim in præceptis contemplatur persona ratione officii, successores dubio procul afficiunt, ut in similibus terminis dixerunt *Surd. cons.*262. *num.*40., *& seqq. lib.*2., *Gratian. discept.* 538. *num.*41.

De cautione, per Depositarium & Œconomum præstanda, *octavum* agit. Quilibet sane, qui aliena gerit negotia, satisdare tenetur, ne quid ejus dolo, aut culpa detrimenti capiat Dominus, *Piton. Discept. Eccles.* 145. *n.*28. Potissimum vero administrator bonorum Ecclesiæ, quæ mulieribus, pupillis, & minoribus æquiparatur, *Sac. hæc Congregatio in Viterbien. Dotium* 11. *Aprilis* 1761. *ad VIII., & IX. Dub.* Synodalem Promotor Fiscalis addit Legem, qua Asculanus Episcopus Marana *cap.*18. *de Eccles. bon. non alien.*, & *Pior. Locor. Administr.* §.8. mandavit, ne administratores Locorum Piorum admitterentur = *nisi præstita idonea cautione, coram nostro Vicario Generali juraverint, se fideliter administraturos, & redditiones rationum reddituros, facta obligatione in forma Cameræ reliquatum solvendi*. Cujus autem virtutis sin Synodales Leges, probant *Barbos. ad Concil. Trident. sess.*24. *de Reform.*, *Gonzal. ad regul.* 8. *Cancell. Gloss.* 9. §. 1. *num.* 18.

Impugnat Promotor Fiscalis sub *nono* Canonicis filiis familias

has facultatem exercendi munia Ecclesiæ Cathedralis, seu ejus Sacrarii absque idonea pariter cautione ab Episcopo approbanda. Si EE. Vestrarum judicio, inquit, præstanda erit cautio ab Œconomis sui juris, juxta proximum Dubium, multo magis ad eam cogendi sunt filii familias, qui facili negotio ex notissimis ipsorum privilegiis Ecclesiam fraudare, atque eludere possent.

Versatur *decimum* circa redditionem rationis. Interprete quidem non indiget *Sacrum Concil. Trident. Sess.* 22. *c.* 9. *de Reform.* Expresse enim cogit Locorum Piorum administratores, & præsertim *fabricæ cujuscumque Ecclesiæ etiam Cathedralis* ad reddendam *singulis annis* Ordinario rationem. Idque etiam ex Jure Canonico probant *Card. Petr. ad Constit.* 1. *Anastasii V. sect.* 2. *num.* 35. *tom.* 6., *Fermosin. ad tit.*, & *cap. unic. de corpore vitiat. quæst.* 4. *num.* 22. *tom.* 3., & *Sac. hæc Congregatio in Neritonen. Redditionis Rationis* 1. *Martii* 1738., & *in Piscien.* 21. *Julii* 1753. *ad I. Dub.* Utrum vero restringi debeat Conciliaris terminus, & grave illud onus imponi reddendi rationem ad nutum Episcopi intra annum, EE. Vestræ decernent.

Servari quidem debent apud Capitula Cathedralia rationum libri, & scripturæ, *Franc. de Eccl. Cathedr. cap.* 22. *num.* 23., & *cap.* 23. *per tot.*, & *Sac. Congregatio in Ferrarien. Confraternitatis* 14. *Septembris* 1782. *ad IX. Dub.*, sed ponderandum erit juxta *undecimum* Dubium, an Ecclesiæ Depositarius, & Œconomus servare teneatur solutionum ordines, eosque post redditam etiam rationem describere. Ad perfectam sane rationis rationem pertinet Librorum, & Scripturarum exhibitio, eaque expleta, quælibet cessat administratoris obligatio, ad *Text. in Leg. Cum servus ff. de condit.*, & *demonstrat.*, *Escobar de ratiocin. cap.* 2. *num.* 5., & 6. Is vero servare debet Scripturas, & Libros, cui reddita est ratio, eique exhibitionis onus incumbit, si iterum erroris causa dispungi debet, *Rot. apud eumdem Escobar dec.* 5. *n.* 3., & 7.

Coerceri ne, & puniri ab Episcopo valeant computorum Revisores, si exhibitos ordines scindant, vel comburant, *duodecimo* quæritur loco. Hanc ei potestatem tribuunt *Franc. Leo in Thesaur. For. Eccles. part.* 2. *cap.* 2. *num.* 71., *Saravia de Adjunct. cap.* 24. *num.* 20., *Monacell. in Formul. legal. tit.* 12. *formul.* 9. *num.* 5. Qua vero plecti valeant pœna, decerni posset ex qualitate delicti. Rei namque sunt falsitatis & furti, qui alienas, sive publicas, sive privatas lacerant scripturas, *Genua de Script.*

priv. lib. 1. quæst. 5. num. 1., & 2., *Naurat. de Rationar. pag. 100.*, & *Rainald. vot. 164. num. 8.*, & *seq.*

Fieri non debere contendit sub *decimo tertio* Promotor Fiscalis locationes bonorum, inaudito Episcopo, ne patrimonium fabricæ, hactenus a Canonicis neglectum, majorem jacturam patiatur. Non agitur hic de locationibus ad longum tempus, quæ absque Beneplacito Apostolico fieri non possunt juxta *Extravag. Ambitiosæ de reb. Eccl. non alien.*, sed de illis, quæ ad triennium permittuntur. Sua ergo prudentia deliberent Emi Patres, num ex causis in prima, & secunda Episcopi informatione adductis, cohibenda sit libertas, quæ Canonicis tanquam administratoribus, in hisce conficiendis locationibus competit, *Card. de Luc. de Locat. disc. 23. num. 4.*; & *seq.*

Decimum quartum superest Dubium, an liceat Episcopo locare bona Ecclesiæ, seu fabricæ, reluctantibus etiam Canonicis, ubi constet de præjudiciali illorum administratione. Hoc ad majorem Ecclesiæ utilitatem expedire ait Promotor Fiscalis, ut Sacrum nempe illius patrimonium rectius, prudentiusque administretur. Perpetua tamen esse posset litium causa quoad præjudicialem administrationem, de qua ceteroquin Canonici reddituri erunt Episcopo rationem.

I. *An liceat Canonicis, & Capitulo Ecclesiæ Cathedralis Asculi ex pecuniis, seu reditibus fabricæ ejusdem Ecclesiæ conficere sumptus litium, aliarumque rerum, quæ spectant ad ipsum Capitulum, & non tangunt interesse ipsius Ecclesiæ, vel fabricæ, seu potius fieri debeant ex reditibus ipsius Capituli, & Canonicorum in casu &c.*

II. *An constet, quod Canonici, & Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Asculi ex pecuniis, seu reditibus Ecclesiæ, vel fabricæ ejusdem Ecclesiæ confecerint sumptus litium, aliasque expensas, quæ spectant ad ipsum Capitulum, & non tangunt interesse ipsius Ecclesiæ, seu fabricæ in casu &c.*

III. *An sit servandum, & exequendum decretum clar. mem. Cardinalis Bernerii jam Episcopi Asculani editum in Sac. Visitatione de an. 1595. in casu &c.*

IV. *An sint servanda, & exequenda Decreta Sacræ Visitationis Episcoporum Philippi Monti de anno 1673., & Gambi de an. 1714. quoad expensas respicientes Castrum Maltineani in casu &c.*

V. *An, & quomodo sit providendum quoad præteritum tempus in casu &c.*

VI. *An*

VI. *An sustineatur Episcopi præceptum præsenti Œconomo factum, ne absque illius assensu quidquam solvat in causam sumptuum extraordinariorum, exceptis solitis, & consuetis sumptibus in Ecclesiæ servitium in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

VII. *An hoc idem præceptum ab omnibus futuris Œconomis servandum sit in casu &c.*

VIII. *An Œconomus Ecclesiæ, sive sit de gremio Capituli, aut secus, compellendus sit idoneam cautionem præstare, ab Episcopo approbandam in casu &c.*

IX. *An Canonici Filiifamilias, seu legitimis exceptionibus obnoxii possint exercere munia, deputationes, se offiucia cujuscumque generis, & speciei spectantia ad Ecclesiam Cathedralem, seu ejus Sacristiam absque idonea cautione ab Episcopo approbanda in casu &c.*

X. *An Depositarius, & Œconomus teneantur reddere rationem Episcopo singulis annis, ac atiam intra, & extra annum, concurrente tamen in hoc posteriori caju legitima causa in casu &c.*

XI. *An item teneantur conservare, & registrare ordines solutionum, seu bollectenos, etiam post redditas rationes, & completum syndacatum a Canonicis revisoribus in casu &c.*

XII. *An liceat Episcopo mulctare, & in qua pœna Canonicos revisores, & alios de Capitulo scindentes, aut igni tradentes præfatos ordines, & bollectenos in casu &c.*

XIII. *An in locationibus bonorum faciendis per idem Capitulum, pro majori utilitate Ecclesiæ sit audiendus Episcopus sub pœna nullitatis in casu &c.*

XIV. *An, & quoties Episcopo constet de præjudiciali Capituli administratione bonorum Ecclesiæ, liceat eidem eadem bona locare, etiam reluctantibus Canonicis in casu &c.*

Non proposita cum sequentibus.

RIPA.

Sess. 24. cap. 18. de Reform.

RIPANA. Ad Dubium = *An constet de nullitate concursus, ita ut sit locus novo examini in casu &c.* = respondit Sac. haec Congregatio die 19. Januarii hujus anni = *Negative*. Recessum modo postulat Sacerdos Bonfinius Gervasi *a decisis*, omniaque ad suadendam concursus nullitatem regerit argumenta in praecedenti hujus Causae Folio relata. Potissimum vero neglectam urget Benedicti XIII. Constitutionem *Pastoralis Officii*. Quatuor sane *pro forma*, ac sub decreto *irritanti* Examinatores requirit in concursu Paenitentiariae, nec valide idcirò, juxta Gervasium, fieri potuit concursus, de quo agitur, per extrasynodales Examinatores tres, ut in terminis dixit *Rot. in Melphicten. Paenitentiariatus* 28. *Novembris* 1732. §. *Ad narratorum coram cl. me. Card. Calcagnino*. Omissum praeterea dicit juramentum, *in Encyclica* Sacrae Congregationis praescriptum, quod *de forma* pariter est *substantiali*, ut monet *Ferrar. in Bibliot. legal. verb. Concursus art. 2. num. 40.* Nec facile credendum esse contendit, quod illud Examinatores in praecedentibus concursibus praestitissent, ut ex ore Cancellarii Episcopalis deponunt Testes. Duo enim ex ipsis, Neronius nempe, & Thomasius praecedens examinatorum munus non probant, tertius cognomine Grammaccius, si novis credendum est Gervasii Testibus, nunquam ante concursum Paenitentiariae Examinator fuit. Quae contra sint nova Sacerdotis Goberti jura, ignoro. Deliberandum igitur.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

MA-

MACERATEN. DISPENSATIONIS. Hujus Causæ species est in Folio diei 3. Februarii elapsi anni 1787. ejus vero resolutio in altero 19. subsequentis Maii. Proposito enim dubio = *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione* = responsum fuit = *Negative*. Ad hoc, si fieri posset, eludendum rescriptum, gratiam retinendi Rectoratum Immaculatæ Conceptionis cum Canonicatu Divi Blasii Montis Milonis extorquere tentavit Canonicus Assortati a Dataria Apostolica; sed spe dejectus, ad Sacram hanc rediit Congregationem, additumque est ad instantiam Milonensis Communitatis, & Cleri secundum Dubium super restitutione fructuum, quos hactenus ille ex Rectoratu percepit. *Sess. 24. cap. 17. de Reform.*

Iterum, qui Assortato contradicunt, ad suadendam Rectoratus incompatibilitatem cum Canonicatu, expressam urgent Testatoris voluntatem. Jussit enim, ut illum consequeretur Sacerdos = *ne forastiere, ne Cappellano della mia Chiesa, e molto meno di S. Biagio* = eaque ratione jussit, ut Sacerdotum numerus in Oppido augeretur. In tertium quidem Conceptionis Cappellanum nominavit Antonium Scolastici, qui Capellaniam S. Blasii possidebat, sed ea lege, ut = *osservi il num. 19. della mia disposizione* = ut Capellaniam scilicet Divi Blasii dimitteret.

Exemplum est Canonici Jacobi Palmucci, qui utriusque Ecclesiæ Capellanias, seu Canonicatus ex Pontificia Gratia retinuit. Id vero ex duplici æquissima ratione accidisse constat, tum quia ad ejus Familiam spectabat juspatronatus Capellaniæ Conceptionis, tum quia in maximis rei familiaris angustiis versabatur. Dives contra est Assortatus, & Rectoriæ patronatus, quem germanus ejus frater Dominicus *hac pendente litei* acquisivit pretio = *di scudi* 560. *moneta* = simonia infectus censetur a *Card. de Luc. de Jurepatr. disc.* 5. *num.* 10., & *disc.* 56. *num.* 18., & *seq.*

Hæc in summa Communitas, & Clerus quoad primum Dubium. Quo vero ad secundum; per triennium fere perceptos ostendunt Rectoriæ fructus ab Assortato, eosque reddendos esse sustinent a die captæ possessionis, & *cui de Jure*, quatenus Rectoratu privetur. In iisdem terminis, eademque incompatibilitatis ratione damnavit *S. Rota* Canonicum Scolastici ad restituendos fructus Rectoriæ in summa scutorum 302. 12., ut in decisione *Maceraten. Rectoriæ super Fructibus* 5. *Julii* 1762. *coram Azpuru*.

Quæ

Quæ sint nova Assortati jura, desumere dignentur Eminentissimi Patres ex circumferendis forsan ejus Scriptis, ut assueta prudentia decernant.

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.*
Et quatenus in decisis.

II. *An, cui, & a quo tempore sint restituendi fructus Rectoriæ, de qua agitur in casu &c.*

Seß. 25. *cap.* 4. *de Reform.*

NULLIUS GUASTALLÆ. Latissimi olim erant fines Paræciæ Plebis S. Petri in Territorio Guastallæ, nec facile unus Pastor universas pascebat Oves. Tribus idcirco in ejus ambitu erectis Oratoriis, totidem constituti fuerunt amovibiles Capellani Curati. Horum alter Habitatoribus præest Villæ SS. Philippi, & Jacobi, cui pro congrua sunt pia quædam Legata annui reditus scutorum 30. cum onere Missarum 174., duplicisque officii Defunctorum. Voluntariæ addebantur Parochianorum largitiones, ex quibus decenter vivebat, sed ditiorum emigratione maximopere imminutæ sunt, & ob defectum concurrentium a biennio vacat Capellania. Unum Habitatores d. Villæ superesse autumant hujusce incommodi remedium, si EE. Vestrarum auctoritate, quam supplices implorant, onera reducantur.

Difficillime inveniri posse ait Episcopus, *qui hujusmodi onus* (Capellaniæ) *subire velit ob tenuitatem redituum provenientium ex majori parte a voluntaria Parochianorum largitione, quæ hisce temporibus notabiliter imminuta est ob plurium habitatorum locupletum ex eo loco emigrationem, & etiam mortem* = Distinctam exhibet Legatorum notulam, vixque detractis oneribus Missarum, & Quartæ, superesse demonstrat Capellano annua scuta de-

decem. Et ita concludit = *Quapropter mihi rem consideranti aliud non suppetit remedium præter institam Legatorum reductionem, si ita videbitur huic Sacræ Congregationi*.

Imminuti profecto non sunt Legatorum fructus, Sacrorumque eleemosyna taxam attingit perpetuæ, si unum excipias Legatum Simonis Gatti, qui pro menstruis Sacris quinque fundum reliquit annui nunc reditus scutorum 2. & ob. 80. Ubi autem in eadem consistunt quantitate, paresque oneribus sunt fructus, denegari solet ab hac Sacra Congregatione Missarum reductio, ut *in Ostunen. Reductionis Missarum 4. Decembris 1734.*, *& in Derthonen. Absolutionis, & Reductionis Missarum 7. Julii elapsi anni 1787. ad I. Dubium*. Alia etiam esse potest reductionis causa, *quæ sit sufficiens, ut institutor circa onus Missarum, si viveret, mutaret voluntatem, vel saltem deberet rationabiliter mutare*, *Pasqualig. quæst. 1178. numer. 1.* Num talis vero sit Capellani manutentio pro Animarum cura, aliorumque redituum tenuitas, ob quam nullus est Sacerdos, *qui hujusmodi onus subire velit*, & num verisimiliter ob hanc causam, voluntatem mutarent Legantes, qui ad unum respexerunt suarum Animarum suffragium, EE. VV. dijudicabunt.

In debilioribus autem terminis Missas reduxit Sacra hæc Congregatio *in Syracusana Missarum 10. Martii 1759.* Valde siquidem imminutæ erant Canonicales Præbendæ Collegiatæ Ecclesiæ S. Bartholomæi Civitatis Siclis, penitusque Chori servitium negligebatur. Duplici ergo proposito Dubio, I. *An sit locus reductioni Missarum, & respective augmento eleemosynæ, & qua quantitate in casu &c.* = II. *Ubi, & per quos sint celebrandæ dd. Missæ, & in quam causam erogandum augmentum prædictum* = responsum fuit juxta Canonicorum vota ad primum = *Affirmative pro reductione, & pro augmento arbitrio Episcopi* = ad secundum = *Missas esse celebrandas in Altaribus a Testatoribus designatis privative a Dignitatibus, & Canonicis Ecclesiæ Collegiatæ, ita ut augmentum prædictum stet loco distributionum quotidianarum*.

Ea quidem notanda, quæ *Sacrum Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 4. de Reformatione* Episcopo permittit, ut Parochi Coadiutores de congrua provideat, vel scilicet, ut = *competens* (ejus arbitrio) *assignetur portio ex fructibus, ad Ecclesiam matricem quomodocumque pertinentibus* = vel = *si necesse fuerit, compellere possit Populum*

ea subministrare, quæ sufficiant ad vitam dictorum Sacerdotum sustentandam = sed æque ponderandum, quod non loquitur Sacrosancta Synodus de antiquis Capellanis curatis, sed de *Sacerdotibus, qui de novo erunt Ecclesiis, noviter erectis, præficiendi* = quodque Villa SS. Philippi, & Jacobi *quingentorum saltem pauperum* est societas, alio ditioribus emigratis:

Deliberare itaque dignentur EE. Patres.

An, & quomodo sit locus reductioni onerum in casu &c.

Die

Die Sabbathi 12. Julii 1788. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

ASCULANA. *Sess.22. cap. 9. de Reform.*

I. *An liceat Canonicis, & Capitulo Ecclesiæ Cathedralis Asculi ex pecuniis, seu reditibus fabricæ ejusdem Ecclesiæ conficere sumptus litium, aliarumque rerum, quæ spectant ad ipsum Capitulum, & non tangunt interesse ipsius Ecclesiæ, vel fabricæ, seu potius fieri debeant ex reditibus ipsius Capituli, & Canonicorum in casu &c.*

II. *An constet, quod Canonici, & Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Asculi ex pecuniis, seu reditibus Ecclesiæ, vel fabricæ ejusdem Ecclesiæ confecerint sumptus litium, aliasque expensas, quæ spectant ad ipsum Capitulum, & non tangunt interesse ipsius Ecclesiæ, seu fabricæ in casu &c.*

III. *An sit servandum, & exequendum decretum clar. mem. Cardinalis Bernerii jam Episcopi Asculani editum in Sac. Visitatione de an. 1595. in casu &c.*

IV. *An sint servanda, & exequenda Decreta Sacræ Visitationis Episcoporum Philippi Monti de anno 1673., & Gambi de an. 1714. quoad expensas respicientes Castrum Maltineani in casu &c.*

V. *An, & quomodo sit providendum quoad præteritum tempus in casu &c.*

VI. *An sustineatur Episcopi præceptum præsenti Œconomo factum, ne absque illius assensu quidquam solvat in caussam sumptuum extraordinariorum, exceptis solitis, & consuetis sumptibus in Ecclesiæ servitium in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

VII. *An hoc idem præceptum ab omnibus futuris Œconomis servandum sit in casu &c.*

VIII. *An Œconomus Ecclesiæ, sive sit de gremio Capituli, aut secus, compellendus sit idoneam cautionem præstare, ab Episcopo approbandam in casu &c.*

IX. *An Canonici Filiifamilias, seu legitimis exceptionibus obnoxii possint exercere munia, deputationes, se offiucia cujuscumque generis, & speciei spectantia ad Ecclesiam Cathedralem, seu ejus Sacristiam absque idonea cautione ab Episcopo approbanda in casu &c.*

X. *An Depositarius, & Œconomus teneantur reddere rationem Episcopo singulis annis, ac atiam intra, & extra annum, concurrente tamen in hoc posteriori caju legitima causa in casu &c.*

XI. *An item teneantur conservare, & regisfrare ordines solutionum, seu bollectenos, etiam post redditas rationes, & completum syndacatum a Canonicis revisoribus in casu &c.*

XII. *An liceat Episcopo mulctare, & in qua pœna Canonicos revisores, & alios de Capitulo scindentes, aut igni tradentes præfatos ordines, & bollectenos in casu &c.*

XIII. *An in locationibus bonorum faciendis per idem Capitulum, pro majori utilitate Ecclesiæ sit audiendus Episcopus sub pœna nullitatis in casu &c.*

XIV. *An, & quoties Episcopo constet de præjudiciali Capituli administratione bonorum Ecclesiæ, liceat eidem eadem bona locare, etiam reluctantibus Canonicis in casu &c.*

Ad I. Negativè ad primam, affirmativè ad secundam partem.

Ad II. Præfigendum esse terminum Canonicis ab Episcopo ad reddendam rationem coram Eodem.

Ad III. Affirmative.

Ad IV. Affirmative.

Ad V. Ut ad secundum.

Ad VI. Affirmative.

Ad VII. Affirmative.

Ad VIII. Affirmative.

Ad IX. Affirmative, si fuerint a Capitulo electi, & quoad reditus Fabricæ provisum in antecedenti.

Ad X. Quoad reditus Fabricæ Affirmative; quo vero ad reditus Capituli, Episcopus utatur jure suo ad formam Concilii Tridentini.

Ad XI. Negative post redditam rationem; teneri vero Caqitulum servare documenta exhibita in redditione rationum.

Ad XII. Affirmative arbitrio Episcopi ad formam antecedentis.

Ad XIII.

Ad XIII. Quoad bona Fabricæ Affirmative ; quoad bona Capituli Negative.

Ad XIV. Episcopus utatur jure suo ad formam Concilii Tridentini.

RIPANA ; *Sess.24.cap.18. de Reform.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Consulendum SSmo pro sanatione Concursus, & amplius.

MACERATEN. DISPENSATIONIS. *Sess.24. cap. 7. de Reform.*

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.* Et quatenus in decisis.

II. *An, cui, & a quo tempore sint restituendi fructus Rectoriæ, de qua agitur in casu &c.*

Ad I. In decisis, & amplius.

Ad II. Negativè in omnibus.

NULLIUS GUASTALLÆ. *Sess.25. cap. 4. de Reform.*

An, & quomodo sit locus reductioni onerum in casu &c.

Affirmative ad rationem manualis quoad Legatum Simeonis Gatti tantum ; in reliquis negativè, & Ordinarius provideat augmento Congruæ ad formam Concilii Tridentini.

SANTANDRIEN., SEU CUBANA MATRIMONII. *Sess.24. cap. 1. de Reform.*

Proposita hæc Causa fuit die 26. elapsi Aprilis sub duplici Dubio, I. *An constet de nullitate Matrimonii*, & quatenus negativè, II. *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione a Matrimonio rato, & non consumato.* Ad primum Emi Patres rescripserunt, *Provisum in secundo*; ad secundum, *Affirmative, attentis facultatibus.* Matri-

trimonii amplius nullitatem non urget Rosa de Zarate; sed de una agens dispensatione, confirmationem flagitat secundæ resolutionis, quæ iterum ex Pontificio Rescripto ad examen venit. Præcedenti igitur resumpto Folio 26. Aprilis, brevibusque ponderatis scriptis, quæ hinc inde a Defensoribus Matrimonii, & Rosæ circumferuntur, deliberare dignentur EE. Vestræ.

An sit standum, vel recedendum a decisis quoad secundum Dubium in casu &c.

Iterum proponatur.

Sess. 14. cap. 2., & 7. Sess. 21. cap. 2., & Sess. 23. cap. 14. de Reform.

VISEN. DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE. Denegata primum fuit die 27. Novembris 1784. Sacerdoti Julio Emmanueli a Valle Lobo per Rescriptum *negative* dispensatio ab irregularitate, quam ob actum bellum, assumptumque Sacerdotium per saltum, ac ementitis Ordinarii Literis contraxisse fatebatur, eique deinde in Congregatione diei 18. Augusti elapsi anni data est Gratiæ spes per Rescriptum *expectet*. Tertio nunc EE. Vestrarum clementiam implorat, Testibusque, coram Ordinario productis, addito juramento, erroneam ostendit prioris ejus supplicis Libelli assertionem, cui Folium diei 11. Septembris 1784. necessario adhæsit, quod Sacrum nempe celebrasset. Testatur sane Ordinarius, nunquam eum = *nec publice, nec privatim præfatum Præsbyteratus Ordinem exercuisse, prout mihi ex fide dignis Testibus, ipsiusque jurejurando juridice, ac legitime compertum est*.

Præcedentibus igitur resumptis Foliis, respondere dignentur Emi Patres.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

Sess. 24. cap. 12. de Reform.

SUTRINA. Iterum EE. Vestræ die 24. elapsi Maji hac supersederunt Causa, ut de qualitate servitii Beneficiatorum S. Andreæ Roncilionis, ac præsertim hebdomadalis Episcopus referret. Hæc igitur, mandatis parens, Sutrinus habet Antistes. *Sacræ Visitationis tempore meus Prædecessor Episcopus Silvestri ad sedandas Beneficiatorum que-*

querelas, qui majori sese conclamabant premi onere, quam tenues ferrent Beneficiorum fructus, rescripsit eorum precibus = col lasciare nel suo primiero immemorabile vigore ed osservanza l'Eddomada per servizio della Chiesa, permettiamo solamente all'Eddomadario la libera applicazione delle Messe = Quibus ex verbis arguere proclive est, Beneficiatorum hebdomadale pensum constitisse non in Horarum Canonicarum recitatione in Choro, aut in alio hujusmodi servitii genere, quod nunquam subierunt, sed in celebratione Missæ cum obligatione eam applicandi pro Benefactoribus per turnum; a qua applicationis obligatione dum eos exemit, voluit tamen firma remanere, & in sua immemorabili vi consistere obligationem celebrandi per turnum= Suo hinc nomine quærit, ut EE. Vestræ = *mihi declarare non dedignentur, an talia Beneficia simplicia dici possint. Casus enim nunc urget, quo alter ex Beneficiatis ad Canonicatum in Ecclesia Collegiata Roncilionis nominatus fuit, ideoque opus est mihi decidi, an simul cum Canonicatu Beneficium retineri possit.* Qua de re tertium prioribus additur Dubium.

Omnia per novissimam informationem præsto sunt, quę ad rectam primi, & secundi Dubii definitionem EE. Vestræ præscripserunt. Quoad tertium vero, residentialem suadere posset Beneficiorum qualitatem antiquissima consuetudo celebrandi pro Benefactoribus Sacrum *per turnum*. Sed ponderanda sunt, quæ in Foliis 21 Aprilis 1787., & 24. elapsi Maii deducta fuerunt, illorum nempe collationes, tanquam de simplicibus, unionesque Sutrino Seminario; ultimus status, & collegialitatis defectus. Iis ergo resumptis deliberandum erit.

I. *An, & quomodo Beneficiati Ecclesiæ S. Andreæ teneantur præstare eidem Ecclesiæ servitium per hebdomadam in casu &c.*

II. *An iidem Beneficiati participes esse debeant emolumentorum Funerum, & Missarum, quæ d. Ecclesiæ offeruntur, & Rector ejusdem Ecclesiæ cogatur eos privative vocare pro exequiis Defunctorum in casu &c.*

III. *An ipsius Ecclesiæ Beneficia sint simplicia, ita ut retineri valeant cum Beneficiis residentialibus in casu &c.*

RO-

Seff. 24. *cap.* 12. *de Reform.*

ROMANA DISTRIBUTIONUM. Coadjutore ob gravem ætatem impetrato, Moriconem se in Sabinis recepit anno 1768., de licentia Sac. Congregationis ad biennium, Sacerdos Philippus Tuschius Beneficiatus S. Mariæ Transtyberim. Prorogatum deinde fuit abessendi Indultum ad annum 1780., sequenti vero quinquennio neglectum. Re igitur comperta, nedum destitit Beneficiatorum Collegium a solvendis distributionibus, sed Tuschium etiam in Jus vocavit anno 1785. coram Eminentissimo Urbis Vicario = *ad dicendum causam quare absit a sua residentia, sin minus declarari, ipsum incurrisse in pœnas contra non residentes*. Sanctissimo hinc supplicavit Tuschius pro sanatione, precibusque ad Sac. hanc Congregationem remissis, rogatus de more fuit Eminentissimus Vicarius pro informatione, & voto. His redditis, iterata fuit ineunte Januario 1786. in eodem Vicariatus Tribunali instantia *ad dicendum causam quare*; eaque de causa EE. Vestræ rescripserunt = *quoad futurum ad aliud biennium arbitrio Eminentissimi Urbis Vicarii ad formam præcedentis, constito prius eidem de justa causa; quo vero ad præteritum Orator utatur jure suo in Curia Eminentissimi Vicarii, quatenus inibi lis introducta fuerit, sin minus ponatur in Folio*. Exclusa deinde pendentia litis ob defectum mandati procuræ in asserto Tuschii Patrono, aliud prodiit Rescriptum = *Ponatur in Folio citata Parte*, cujus vi infrascriptum modo proponitur Dubium.

Collegio favet Eminentissimus Vicarius, omnemque neglectæ prorogationis indulti excusationem reiicit. *Senectutem*, inquit, *egestatem, morbum nihil moror. Egestas enim vix ad rem facit: valetudo autem mala, aut senectus mirum si aliquando quemquam, nullis præsertim, ut hic, distentum negotiis, in memoria prohibuerit habere rem tam necessariam, tamque utilem, quales illæ erant prorogationes*. Sub publica immo Moriconensis Notarii fide refert = *Sacerdotem Tuschium tam bene valere, ut nemo magis, tamque recte atque expedite sua quæque officia fungi, quam quisquis nullo detinetur vel animi vitio, vel corporis egritudine* = Neque morandum, concludit, contrarium Medici, & Chirurgi testimonium = *qui rem indicant quasi nuperam, immo vere solummodo præsentem, ut proinde nequeat ad quinquennes, vel sexennes Tuschii negligentias excusandas valere*.

Tuschio interim defuncto, heredum jura tuetur illius Procurator, tanquam dominus litis effectus, bonamque osten-

tat

tat fidem, qua post expiratum indultum perceptae & consumptae fuerunt distributiones, ne restituantur, per *Text. in Leg. Cum de indebito* 25. *ff. de Probat.* Ex *Cap.* Insuper *unic. de Cleric. non residen. in sexto*, & *Sac. Conc. Tridentino sess.* 24 *cap.* 12. *de Reform.*, pluribusque *Doctoribus* suadere nititur, nullo Tuschium ad eas lucrandas egisse indulto, eo quod ex necessaria absfuerit adversae valetudinis causa, ob quam iter habere non poterat absque *un probabile rischio di morire per la strada*, juxta opinionem Medici, & Chirurgi, de quibus Eminentissimus Vicarius in suo loquitur voto. His addit, quod privatio distributionum ex causa absentiae, non latae, sed ferendae est sententiae, ideoque infligi non debet Tuschio, qui nunquam deficientis indulti tempore constitutus fuit per interpellationem in mora, ut ex dispositione *Sac. Concilii in cit. sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* probant *Reinfest. Jus Canon. lib.* 3. *tit.* 4. §. 4. *num.* 125., *Leo in Thesaur. For. Eccles. cap.* 3. *num.* 152., *Pignatell. consult.* 5. *num.* 1. *tom.* 1., *Garz. de Benefic. part.* 3. *cap* 2. *n.* 151. Maxime, quia in bona erat fide, quod pari ejus Agens solicitudine prorogationes indulti, & distributionum exactionem curaret. Ad aequitate tandem alienum dicit, quod restitui debeant distributiones, quas Tuschii Coadiutor per quotidianum Ecclesiae servitium acquisivit.

Rem contra esse ajunt Beneficiati de distributionibus quotidianis, quae ex ipsamet *Sess.* 24. *cap.* 12. *Concilii Tridentini* ab iis dumtaxat lucrantur, *qui statutis horis interfuerint*, ipsoque facto, absque ulla privationis intimatione per absentiam amittuntur, *Piton. discept. Eccles.* 34. *numer.* 3., *Pignatell. consult.* 114. *num.* 8. *tom.* 9. Nil autem prodesse contendunt heredibus Tuschii servitium praestitum ab illius Coadiutore, quum non excusetur ex hoc capite Coadiutus a residentia, *Monacell. tit.* 13. *to.* 2. *formul.* 12. *num.* 69., *Piton. discept. Eccles.* 85. *num.* 20. Necessariam praeterea fuisse affirmant abessendi licentiam tum de Jure ex *Cap. Relatum de Cleric. non residen.*, *ibique Gloss. verb. Praelatorum*, *Pignatell. consult.* 36. *numer.* 2. *tom.* 3., *Piton. discept. Eccles.* 37. *num.* 7., *Lotter. de re benefic. lib.* 3. *quaest.* 27. *num.* 122., cum ex propriis Constitutionibus, in quarum cap. XII. haec habentur = *Se uno parte da Roma senza licenza dell' Eminentissimo Titolare, e quivi si ammali, si abbia per assente* = Iterumque in cap. XIII. = *Porti la fede giurata del Medico, e prenda la licenza dall' Eminentissimo Titolare, ed allora si abbia per infermo*. Atque ex ore tandem Secre-

tarii Communitatis Moriconis probant, integro, de quo agitur, quinquennio semper Tuschium fuisse = *di perfetta salute, forte, robusto* = ita ut quotidie celebraret Sacrum, Divinumque recitaret Officium, *e per suo divertimento alle volte se ne va a caccia a volatili*.

Ex his igitur deliberandum erit.

An sit locus repetitioni distributionum solutarum tempore deficientium indultorum in casu &c.

Seß. 14. cap. 7. de Reform.

LEMOVICEN. DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE. Miles cum Commilitone, alapa percussus, singulari certamine pugnavit mense Majo elapsi anni 1787. clericus Franciscus du Soulier, jamque, nullo accepto vel illato vulnere, vestimenta ad pugnandum deposita colligebat, cum evaginatum adhuc apponere debuit gladium irruenti Commilitoni, qui in illud prorupit, seque ipsum transfodit. Abjecta deinde militia, apud pium doctumque Semovicensis Diæcesis Parochum Theologiæ studio vacavit, ac in Episcopali tandem Ordinandorum Seminario receptus, EE. Vestras rogat pro dispensatione ab Irregularitate. Hæc omnia confirmat Episcopus, testaturque, quod = *Hoc homicidium, licet non voluntarium, tam egre tulit dictus du Soulier, ut ejus exomologesim, ac ceterorum peccatorum, vix elapsis octo diebus, fecerit* = quodque = *nulla lis mota ob supradictum homicidium, nullaque satisfactio expostulata, nec a consanguineis occisi, nec a quibuslibet aliis* = Qua de re nihil obstare censet = *quominus Sanctissimo Papæ nostro, preces dicti du Soulier offeras* (Emum Sac. Congregationis alloquitur Præfectum) *ejusque Sanctitatem inducas, ut benigne, & cum indulgentia eas excipiat* = & in hæc verba concludit = *Nobis pergratum erit, si*

E. Ve-

E. Vestra Diœcesano nostro gratiam, & indulgentiam impetraverit, & benevole exceperit vota.

Gravissima in Clericum homicidiam est *Sacri Concilii Tridentini* censura *Sess.* 14. *cap.* 7. *de Reform.* Præcipit enim, ut = *nullo tempore ad Sacros Ordines promoveri possit.* Loquitur tamen de homicidio voluntario, illudque excipit *non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo* commissum. *Cum promovendis in homicidio voluntario nunquam meminerim dispensatum*, inquit *Fagnan. in Cap. Henricus num.* 41. *de Cleric. pugnan. in duell.*, & comprobat Sacra Congregatio *in Lamacen. Irregularitatis* 13. *Septembris* 1738. Non item in homicidio casuali, vel ad repellendam vim commisso; nam indulgentiæ sunt exempla *in Placentina* 30. *Septembris* 1724., & *in Elboren. Irregularitatis* 16. *Martii* 1737. *ad II. Dubium.*

Involuntarium Episcopus appellat homicidium Clerici de Soulier, ac veluti patratum ad repellendam vim, qua in eum Commilito post certamen irruebat. Quærendum tamen, an voluntarium fuerit in causa, ob illicitum susceptum certamen: omni enim Jure prohibitum est duellum, *Fagnan. in cit. Cap. Henricus num.*2., & 3. *de Cleric. pugnan. in duell.*. Hæc sane recepta est distinctio. Aut dans operam rei illicitæ futurum prævidere potuit homicidium, causamque præbuit ad illud ordinatam, & tunc homicidium, licet accidentale, voluntarium censetur in causa, *Cap. Continebat*, & *Cap. Suscepimus de homicid.* Aut homicidium prævidere non potuit, causamque non præbuit ad illud ordinatam, & in hoc casu voluntarius in causa non est effectus, *Cap. Quæsitum de Pœnit.*, & *remiss.*, *Fagnan. in Cap. Si Constiterit num.*40. *de accusat.*

Vix unus præterea a die patrati criminis numeratur annus. Ad concedendam autem irregularitatis dispensationem præcipue considerandum = *An tantum tempus excesserit a die perpetrati homicidii, ut illius memoria sit obliterata in loco*, & *sic cesset scandalum*, & *honor, ut vir sanguinolentus ministret in Altari, quæ fuit causa instituendi hujusmodi irregularitatem* = ut per hæc verba monet *Fagnan. in cit. Cap. Henricus num.*35. *de Cleric. pugnan. in duell.* Alii satis esse censent triennium cum emendatione vitæ, ut *Abb. in Cap.* 21. *num.*2. *de accus.*, *Antonell. de Regim. Eccles. lib.* 1. *cap.*6. *num.* 17., requirunt alii decennium, quo deleri solet memoria facti, ut *Doctores* allegati in Rotali decisione *Melevitana Pecuniaria* 8. *Februarii* 1751. §.15. *cor. cl. mem. Elephantutio*.

Animadversionem contra meretur, quod *tam ægre tulit dictus du Soulier homicidium, ut ejus exomologesim, ac ceterorum peccatorum, vix elapsis octo diebus fecerit*, quod *nulla lis mota ob supradictum homicidium, nullaque satisfactio expostulata, nec a Consanguineis occisi, nec a quibuslibet aliis*, quodque pergratum sibi esse ait Episcopus, si petita dispensatio Oratori concedatur. Plurimi enim Episcopi preces fecit Sacra hæc Congregatio *in Consentina Irregularitatis* 20. *Martii* 1786.
His igitur perpensis, deliberare dignentur Emi Patres.
An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu &c.

Die Sabbathi 9. Augusti 1788. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

PRiores quatuor Causæ, quas hic definiendas subiicio; ex novissimo sunt Folio diei 12. elapsi Julii.

VISEN. DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Sess. 14. cap. 2. & 7., Sess. 21. cap. 2., & Sess. 23. cap. 14. de Reform.

Prævio recessu à decisis, consulendum SSmo pro absolutione, & dispensatione; Et ad mentem.

SUTRINA:

Sess. 24. cap. 12. de Reform.

I. *An, & quomodo Beneficiati Ecclesiæ S. Andreæ teneantur præstare eidem Ecclesiæ servitium per hebdomadam in casu &c.*

II. *An iidem Beneficiati participes esse debeant emolumentorum Funerum, & Missarum, quæ dictæ Ecclesiæ offeruntur, & Rector ejusdem Ecclesiæ cogatur eos privative vocare pro exequiis Defunctorum in casu &c.*

III. *An ipsius Ecclesiæ Beneficia sint simplicia, ita ut retineri valeant cum Beneficiis residentialibus in casu &c.*

Ad I. Iterum proponatur; In reliquis dilata.

RO-

Sess. 24. *cap.* 12. *de Reform.*

ROMANA DISTRIBUTIONUM.

An sit locus repetitioni Distributionum solutarum tempore deficientium indultorum in casu &c.

Iterum proponatur.

Sess. 14. *cap.* 7. *de Reform.*

LEMOVICEN. DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE.

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu &c.

Negativè.

Sess. 22. *cap.* 6. & *Sess.* 25. *cap.* 4. *de Reformat.*

FANEN. ERECTIONIS CAPELLANIÆ. Quae fuerit testamentaria Hipolytae Torelli Gisberti dispositio, quæ causæ concedendi Lelio Rinalducci, mediato illius heredi, facultatem permutandi proprium prædium *li Pozzetti* cum altero in vocabulo *S. Cristina*, Missarum onere gravato, *ex Foliis* habentur *dierum* 29. *Julii* 1786., & 16. *Junii* 1787. Sciendum modo, annuos fructus permutati prædii *li Pozzetti*, & alterius *le Caminate*, qui testimonio Episcopi, *explorato decennio*, *summam annuam scutorum Rom.* 75. *æquare solent*, destinatos esse celebrationi Missarum cum eleemosyna obolorum 10. pro qualibet, nulla designata Ecclesia, vel Capellano.

Ad obtinendam permutationis licentiam, in votis habere dixit Rinalduccius institutionem pii Legati in titulum ecclesiastici Beneficii. Rogat nunc, ut perpetuae Capellaniæ erectio sub hisce conditionibus permittatur. I. Ut institui valeat in suburbana ejus Ecclesia (quæ in Parochia existit Rosciani, ac uno & altero lapide a Fanensi distat Civitate) sub invocatione B. M. Virginis Rosarii, & titularium Sanctorum Vincentii Ferrerii, & Aloysii Gonzaga. II. Ut sit mere laicalis, ac de suo, ejusque heredum, & successorum patronatu. III. Ut ex integris dd. prædiorum reditibus celebrare teneatur Capellanus pro anima Testatricis annuas tantum Missas 350., partim nempe in dicta Ecclesia diebus Dominicis, & Festis de præcepto, pluribusque B. M. Virginis, & SS. Vincentii Ferrerii, Aloysii Gonzagæ, Andreæ Abellini, & Paterniani festivitatibus, partim in alia Ecclesia vel Cappel-

pella, per Oratorem, ejusque uxorem Cleopatram *di Montevecchio*, ac post ipsorum obitum per Capellánum eligenda. Et IV. demum, ut singulis diebus Dominicis docere debeat de licentia Parochi Doctrinam Christianam per dimidiam horam, reliquis vero festivitatibus Dominicalem recitare orationem, Angelicamque B. M. Virginis salutationem cum versiculo *requiem aeternam* post Missam.

Confirmat Episcopus, quod *cum neque Ecclesiam, neque Altare, neque Capellanum Hipolyta statuerit* (celebrationi Missarum) *Lelio hinc ut heredi, libera est de singulis facultas arbitrandi* = ideoque concludit = *si in Ecclesia rurali (quae publico usui est, atque ad eumdem Lelium pertinet) statutis ab ipso diebus hujusmodi Missae celebrarentur, reliquae vero, quae numerum adimpleant, in qualibet Ecclesia in commodum Oratoris, Uxorisque suae; id nec adversus, nec praeter voluntatem Testatricis fieri videretur. Neque ex hac, quam postulat, Jurispatronatus erectione quidquam vel incommodi vel detrimenti consequitur. Immo aliqua forte commodi accessio fiet; cum inde facile futurum sit, ut id in beneficium transeat alicujus idonei ad Sacros Ordines assequendos, cui vel Beneficium Ecclesiasticum desit, vel angusta domi res patrimonium non suppetat.*

Adversari fatetur Missarum reductioni voluntatem Testatricis; sed haec ex ore Rinalduccii observat. *Hipolyta*, inquit, *Legatum irritat, si quando Domini de Simonettis exortam quamdam litem adversus Romulum filium prosequerentur de expensarum reintegratione, cui filius succumberet. Atqui litem prosequuti reipsa sunt, quae non antea quievit, quam per transactionem soluta ab ipso Lelio oratore expensarum controversarum pars fuerit. Quod quidem factum certissime constat. Quapropter nullum amplius Missarum celebrandarum obligatio habere locum videtur. Nihilo tamen secius onus hoc suscipiet Orator, si tamen gratiam, quam postulat, ab EE. Patribus assequatur.*

Non adversatur Testatricis voluntas erectioni Capellaniae in suburbana Oratoris Ecclesia. Nullum enim celebrationis locum designavit. Distinguunt Doctores inter Missas manuales una vice celebrandas, & perpetuas. Illae secundum aliquos, ubi designata non sit Ecclesia, celebrari debent ob praesumptam Testatoris affectionem in tumulante, *Mantic. de conject. ult. volunt. lib.* 8. *tit.* 6. *num.* 6. *in fin.*, *Ricc. in prax. resol.* 159. *part.* 3., *de Leon.*

de

de Offic. Capell. quæst. 5 *sect.* 2. *num.* 29. Aliæ vero, de quibus agitur, *ubi magis libuerit heredibus seu executoribus testamentariis*, ut per hæc verba tradit *Pasqualig. tom.* 2. *de Legat. pro celebrat. Missar. quæst.* 996. *num.* 4. Missarum tamen celebratio in Ecclesia Oratoris necessariam quodammodo redderet illarum reductionem. Loci enim distantia majorem exigeret eleemosynam, quam si in qualibet alia Civitatis Fani Ecclesia celebrarentur Sacra. Hæc vero quoad reductionem Missarum est difficultas. Earum Legatum, inquit Episcopus, caducatum esset ob actam litem cum illis de Simonettis; *nihilo tamen secius hoc onus suscipiet Orator, si tamen gratiam, quam postulat, ab EE. Patribus assequatur*. Sed ipsius Episcopi testimonio, jam Orator per solemnem Transactionem = *prædictarum expensarum* (litis) *refectioni prò rata scutorum biscentum de suis pecuniis concurrere non renuit*, & *Juri supprimendi Legati sponte renunciavit* = & hac potissimum de causa licentiam obtinuit permutandi prædium *li Pozzetti* cum altero *S. Cristina*, ut *in Folio* 16. *Junii elapsi anni* 1767.

Nil contra Orator per hujusmodi permutationem detraxit primo Missarum Legato, seu Capellaniæ erectæ in Ecclesia Monialium S. Archangeli; nam ultra congruum fundum, largitus ei fuit scuta 80. supra æstimationem prædii *S. Cristina*. Eam immo laudabili fecit consilio erigendi ex secundo Legato alteram Capellaniam, licet ob purificatum casum litis; jam illud ex mente Testatricis resolutum fuisset. Ex hac pia voluntate renunciavit *Juri supprimendi Legati*, eique fortasse EE. Vestræ, hujusce renunciationis intuitu, reductionem etiam concessissent Missarum, si tunc postulasset.

Petita autem facultas celebrandi partem Missarum 350. *in quella Chiesa, O CAPPELLA, che gli verrà destinata dall' Oratore medesimo, e dalla Contessa Cleopatra di Montevecchio sua Consorte, loro vita naturale durante*, voluntatem innuunt explendi celebrationem in privata Oratoris Cappella. Hoc adversari forsan posset voluntati Testatricis, quæ illam in publica demandavit Ecclesia per hæc verba = *Si faccino celebrare tante Messe in perpetuo per l' Anima della Signora Testatrice in quella CHIESA, che ad esso Signor Romolo* (primo hæredi) *parerà* = ac difficiliorem etiam de ea efficeret redditionem rationis Ordinario.

Aliena de cetero a Jure non esset Jurispatronatus reservatio. Nedum enim fieri potest a Fundatore Beneficii, sed ab ejus

ejus etiam hærede, licet nihil de suo in dotem conferat, *Card. de Luc. de Jurepatr. disc.* 55. *num.* 13., *Vivian. eod. tract. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 13. *part.* 1. Doctrinæ tandem Christianæ expositio, Dominicalis orationis, & Angelicæ salutationis recitatio præferri quidem non debent Sacrificiis, *Pasqualig. de Sacrific. nov. Leg quæst.* 1006. *&* 1007. *tom.* 2., *Amost. de Caus. piis lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 40., *& lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 10., *& seqq.*, sed optima essent pietatis, & religionis opera, quatenus EE. Vestræ reductioni Missarum indulgeant.

Deliberandum igitur.

An, & quomodo sit locus erectioni Capellaniæ in casu &c.

Affirmativè juxta Votum Episcopi, dempta reductione Missarum.

ALBINGANEN. MISSÆ CONVENTUALIS. Gravia Canonicis Collegiatae Ecclesiæ Portus S. Mauritii sunt onera, tenues reditus. Canonicales Præbendæ tresdecim, una excepta scutorum 34., ab annua summa scutorum 21. ad scuta gradatim descendunt tria. Duæ enim scutorum sunt 21., altera 15., binae 13., una 11., altera 8. 50., quatuor 60., ultima scutorum trium. Tenentur contra Canonici annuas canere Missas 611. circiter, aliasque lectas 306. pro Benefactoribus *in specie*, & ultra quotidianum servitium Chori, plura alia exercere pietatis, & religionis opera. Præter octavarium sane SSmi Corporis Christi, sexque novendialia, sexagies SS. Sacramentum infra annum exponunt: Psalmum quolibet feria sexta recitant *Miserere*: Litanias cum Psalmo *De profundis* singulis Sabbathis, & Dominicis: terque tertiam SS. Rosarii partem in hebdomada. Sunt etiam ex Capitulari massa scutorum 652. 50. quotidianæ distributiones, de quibus tres alii participant, Præpositus nempe, ac duo Æditui Sacerdotes, Præbendis destituti, sed gravi detracto sumptu ceræ pro sacris Functionibus, annuoque salario Organistæ, Sacristæ, & Campanarii, tenuiores fortasse sunt Præbendis. Hisce igitur de causis neglecta hactenus fuit (a quo tempore non constat) Missa Conventualis pro Benefactoribus *in genere*, ro- *Sess.* 22. *Decret. de observan., & evitan. in celeb. Miss.*, *& Sess.* 24. *cap.* 15. *de Reform.*

gantque Canonici pro absolutione quoad praeteritum, ac pro dispensatione ab illius celebratione quoad futurum. Exposita confirmat, precibusque annuendum censet Episcopus.

Praeteritae omissionis ratio fuit Canonicorum opinio, quod celebratio Missae Conventualis pro Benefactoribus *in specie*, ad quam tenentur ex dispositionibus Testatorum, eos levaret ab altera pro Benefactoribus *in genere*. Opinio haec confirmata fuit ex decreto anni 1698., quo Episcopus in executionem rescripti Sacrae Congregationis, quotidianam Missam Conventualem, a Francisco Barla praescriptam, his verbis reduxit = *Praedictum onus Missae Conventualis ad ratam redituum moderamur, at que reducimus, ita tamen, quod eleemosyna manualis uniuscujusque Missae non excedat julios tres cum tertia parte alterius, & per d. Capitulum, & Massam quotidie cantetur Missa Conventualis sive pro praefato Legato, sive pro aliis oneribus Capituli, & Massae, sive devotionis gratia* = Si in argumentum bonae fidei accipient Emi Patres, quod opinati sunt Oratores, digni forsan erunt absolutione. Saepe enim illius intuitu concessa fuit pro hujusmodi omissionibus venia, ut *in Parmen*. 6. *Maii* 1786., *in Ecclesien. Onerum*, & *Distributionum* 9. *Septembris ejusdem anni ad I. Dubium*, & *in Reatina Reductionis Missarum* 24. *Martii elapsi anni* 1787. *ad II. Dubium*.

Haec vero notanda sunt quoad futurum. Semper profecto Conventualis Missa pars fuit Divini Officii, *Can. De his dist.* 12. *gloss. in Clement.* 1. *de celebrat. Miss.* At in Encyclica *Cum semper oblatas* ad tenuitatem Praebendarum respexit Benedictus XIV., eamque reduci posse permisit ad dies festos de praecepto, si cetera desint remedia a Sac. Concilio Tridentino proposita *Sess.* 24. *cap.* 15. *de Reform.* vel nempe, ut canonicalibus Praebendis uniantur *aliquot simplicia Beneficia, non tamen regularia*, vel ut *aliquibus ex iis suppressis, ad pauciorem numerum reducantur*. Reque vera non raro ob tenuitatem Praebendarum, hujusmodi reductionem concessit Sacra Congregatio, ac praesertim *in Narnien*. 12. *Junii* 1712. *lib. Decret.* 62 *fol.* 211., *in Veliterna* 14. *Martii* 1722. *in Amerina Missae Conventualis* 12. *Martii* 1746., *in Ariminen.* 18. *Septembris* 1751., *in Aretina* 18. *Novembris* 1769., *in Alexandrina* 7. *Julii* 1770., *in Placentina* 30. *Julii* 1785., & *in Setina Chori*, & *Missae Conventualis* 21. *Januarii* 1786.

Teneantur nec ne in casu nostro ad obtinendam quoad futurum

rum dispensationem, vel reductionem, sint canonicales Praebendae, & Distributiones, & an remedia a Sacro Concilio Tridentino proposita, experiri debeant, ex iis deliberare poterunt Emi Patres, quae *in Facto* narravi. Dignentur ergo respondere.

I. *An sit consulendum SSmo pro absolutione quoad praeteritum in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit locus reductioni Missae Conventualis quoad futurum in casu &c.*

Ad I. Affirmativè.

Ad II. Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem, nempe referat de remediis à Concilio Tridentino propositis.

CONCORDIEN. DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE. Dum Sacerdos Marcus de Mattia, nuncupatus Pajer, nonnullos alloquebatur Amicos, quos vespere diei 30. Septembris 1785. extra Villam offendit Roral, in eum levi de causa verbis, & minis irrupit Clericus Angelus Biscontini. Illius iram comprimere studuit lenitate, precibusque obtinuit, ut inceptum cum Amicis iter Villam versus prosequeretur. Oppositam ipse deambulans viam, justam interposuit moram, ne iterum iracundo Juveni occurreret. Placide igitur prima noctis hora viam redibat, cum eum binos inter Pontes ex insidiis apprehendit Clericus, ut in suppositum Lacum dejiceret. Integris restitit viribus, ut imminens periculum vitaret; sed majori impar vi, parvum trepidans eduxit cultrum, quo in aucupiis utebatur, illudque aggressori opposuit. Paullulum hic cessit, ut robustius in eum irrueret, integratoque certamine, lethale vulnus ex cultro, praeter intentionem Sacerdotis, in inferiore ventre accepit, ac nonnullas post horas decessit. *Sess.* 14. *cap.* 7. *de Reform.*

Non primum vulnus, & mortem, quam sequenti mane rescivit homicida, arreptaque fuga, per annum & ultra exulavit. In sua tandem confisus innocentia, ultro se in carceribus constituit, Fratribusque indulgentibus occisi, per haec verba absolutus fuit = *sia liberamente assolto* =. Excommunicationis deinde vinculo Apostolica Auctoritate solutus, orat modo pro dispensatione ab irregularitate. Ei favet Episcopus, juribusque perlustratis refert =

homicidium a prædicto de Mattia patratum fuisse pro necessaria vitæ propriæ defensione: postmodum vero, vita, & moribus se omnibus semper exhibuisse, qualem Sacerdotem decet: compositionem Partis, & Fisci sequutum fuisse, prout ex legalibus documentis, ex ipsa sententia criminali ad ejusdem favorem prolata, & ex Parochorum attestationibus mihi satis constat: nec non de sufficienti Patrimonio, non obstante alienatione de licentia hujusce meæ Curiæ facta, provisum esse. Monet tamen = *in hac mea Diœcesi utile non esse, denuo ad Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrandum admittendum antedictum Rev. Marcum de Mattia, ne scandalum in Populo eveniat*.

Licet Sacerdos homicida irregularis sit ex dispositione *Cap. Suscepimus* 10. *de Homicid. volunt.*, haud tamen sub gravissima comprehenditur *Sacri Concilii Tridentini* censura. Loquitur enim *Sancta Synodus Sess.* 14. *cap.* 7. *de Reform.* de simplici Clerico, præcipitque, *ut nullo unquam tempore ad Sacros Ordines promoveri possit*, non item de promoto, quem Sacra hæc Congregatio ab eadem censura immunem declaravit anno 1613.; teste *Fagnano in lib.* 5. *Decretal. Cap. Henricus de Cleric. pugnan. in duell. num.* 23. *& seqq.* Ex veteri autem Jure sublata non est dispensationis spes promoto, *Hostien. in Cap. Sicut de homicid.*, ac facilius ei indulgetur, ne mendicare cogatur, *Cap.* 2. *de Cleric. pugnan. in duell.*

Eo magis vero dimittenda est irregularitas promoto, si ad propriam defensionem, ac vim vi repellendo homicidium patraverit. Hoc namque casu ipsis etiam Clericis favet *Sacrum Concilium Tridentinum* verbis illis = *Si vero homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se a morte defenderet, fuisse commissum narretur, etiam ad Sacrorum Ordinum, & Altaris ministerium, & Beneficia quæcumque, ac Dignitates jure quodammodo dispensatio debeatur*. Pluraque hujusce indulgentiæ sunt exempla *in Placentina* 30. *Septembris* 1724., *& in Elboren. Irregularitatis* 16. *Martii* 1737. *ad II. Dubium*.

Relatio Episcopi, & absolutoria sententia, necessarium quodammodo ostendunt homicidium patratum a Sacerdote de Mattia. Ex ejus tamen ore notandum, quod viso forsan cultro, cessit Clericus = *due passi a dietro per via piu assaltarmi con forza maggiore, come di fatto lo fece* = In ea namque distantia secundam fortasse colluctationem evadere poterat fuga, satque erat Pontes, & Lacum transgredi, ne inermem amplius timeret. Illudque etiam pon-

ponderandum, nondum a patrato crimine elapsum esse triennium, adeoque illius memoriam in Concordiensi Diœcesi vigere, ut de scandalo timeat Episcopus, si iterum in ea Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebraret. In concedenda autem dispensatione ab irregularitate hoc potissime spectandum, *an tantum tempus excesserit a die perpetrati homicidii, ut illius memoria sit obliterata in loco, & sic cesset scandalum*, ut monet *Fagnan. in cit. Cap. Henricus de Cleric. pugnan. in duell. numer.* 3., & probat præcedens Folium *in Lemovicen. Dispensationis ab Irregularitate §. Vix unus*.

Ceterum an peracta pænitentia, bonique Oratoris mores, ac declarata per sententiam ejus innocentia, mereri possint indulgentiam, ut extra propriam saltem Diæcesim, vel locum patrati criminis celebrare valeat, EE. Vestræ dijudicabunt. Respondere igitur dignentur.

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu &c.

Negativè.

URBANIEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Rescripserunt Emi Patres in hac Causa sub die 5. elapsi Aprilis: *Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem, nempe quod referat, an reditus tempore, vel culpa Oratorum decreverint, & de servitio Chorali*. Hæc igitur Urbaniensis Episcopus quoad primum. *Reditus*, inquit, *qui duobus Mansionariis Collegiatæ Mercatelli, iisdemque suburbanæ Ecclesiæ = del Metauro = servitio addictis, a Clemente X. fuerunt attributi, eorum culpa minime decreverunt. Ex Tabulario Ecclesiæ = del Metauro = diligenter recognito, plane liquet, idcirco reditus decrevisse, quia duo census, quorum alter Rom. scutorum* 16. 66. 3., *alter scutorum* 35. 33. 2. *omnino perierunt, quamvis tunc temporis Mansionarii nullum lapidem non movissent, ne perirent. Ceteri vero Census superstites sunt, sed mutata temporum conditione, cum erectionis tempore septem, & eo amplius pro centum reddidissent, nunc fere omnes quatuor pro centum, ut moris est, reddere solent. Duo prædiola paucos singulis annis pro eorum tenuitate, aeris*

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

aeris, cui exposita sunt, intemperie, atque terræ vitio redduntasses. Hæc est decrementi redituum causa, quæ proinde in Mansionariorum culpam verti nequit.

Quoad secundum vero, ita de Chorali servitio refert. *Duo tantum sunt Mansionarii. decem omnino Canonici, quorum unus jubilationis gaudet munere. Ex iis sex adnexas habent rurales Paræcias, in quibus alternis Dominicis Parochialia obeunt munia, adeoque a Choro absunt. Tres turnatim vacationis gratia Choro minime intersunt singulis in annum hebdomadis, Festis, atque Adventus, & Quadragesimæ diebus tantum exceptis. Quo fit, ut Mansionariorum servitium sit omnino necessarium; præsertim cum ad ipsos ex erectione spectet ferialibus diebus Conventuales Missas canere* = Atque hinc concludit, quod = *Cum a Chori servitio dispensari nequeant Mansionarii, cum scuta octo satis non sint ad binarum singulis hebdomadis Missarum celebrationem, quam in Ecclesia = del Metauro = peragere debent, præter multiplicia alia munera ibidem peragenda, EE. Vestrarum erit decernere, an satius sit ad Missarum reductionem devenire, quam Collegiatam Ecclesiam Mercatelli debito, eodemque prorsus necessario servitio privare, ut contingeret, si Mansionarii Chori servitio vel tantisper quidem solverentur.*

Iterum ergo quæritur.

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

Sess. 34. cap. 12. de Reform.

COLLEN. Clericus Augustinus Boschi annorum 43. & patronus & rector simplicis Beneficii S. Petri *a Fabrica*, adeo obtusæ est mentis, ut neque canonicas Horas recitare sciat, neque spes est, ut valeat. Temporariam hactenus illarum commutationem in alias preces a Sacra Pænitentiaria obtinuit, sed de prorogationibus timens, paratum se dicit ad dimittendum Beneficium, Vestrasque EE. rogat, ut illud sibi, vel alteri administrationis titulo permittant, qui unico adimpleto annui Sacri onere die festo S. Petri, reliquos ei reditus alimen-

mentorum causa tribuat. Sententiam de hujusmodi administratione non aperit Episcopus, sed Oratori favet pro commutatione Officii in alias preces, tum quia = *il viver sempre in istato di semplice Chierico giova all' Oratore, e non pregiudica nè a questa Cappella, nè al Curato, che non ha alcun diritto sopra questo Benefiziato* = tum quia Orator = *non ostante, che possegga pacificamente il semplice Beneficio, sotto il titolo di S. Pietro a Fabbrica di padronato gentilizio della di lui Famiglia, vive miseramente, attese le tenui rendite del medesimo, colle quali deve alimentare il Padre, che per essere di un' età molto avvanzata, si è reso impotente alla professione della Chirurgia, ed una Sorella nubile, privi affatto di beni di fortuna, alla riserva di una piccola angusta Casa di propria abitazione.*

Non raro Sacra hæc Congregatio vacantis Beneficii administrationem concessit Patrono pauperi, quousque ad legitimam pervenisset ætatem, ut *in Segovien. Capellaniæ* 17. *Novembris* 1731. *ad III. Dubium*, *in Vercellen. proposita per Summaria precum* 26. *Novembris* 1785., & *in Asculana Dispensationis* 20. *Maii* 1786. Quandoque etiam *ex Audientia Sanctissimi* similis elargita est gratia ad illius vitam, ut *in Asten.* 25. *elapsi Junii*. Eadem sane favet Canonica æquitas, ex qua alendus est pauper patronus ex fructibus Beneficii durante paupertate, *Can. Contra* 26., & *Can. Quicumque* 31. *quæst.*7, & *Cap. Nobis de Jurepatr.* Utrum vero committenda esset administratio Oratori, vel alteri Ecclesiasticæ Personæ, quæ adimpleto Beneficii onere, reliquos illi reddat fructus, EE. Vestræ decernent. Modo enim data fuit Tertio, ut *in Asculana Dispensationis* 20. *Maii* 1786., modo ipsi Beneficiato, ut *in Segovien. Capellaniæ* 17. *Novembris* 1731. *ad III. Dubium*. Sed hoc notandum, quod de Patrono agitur paupere, cui aliquid fortasse aliena administratio detraheret.

Si VESTRAM igitur clementiam pro administratione Beneficii excitabit gravissima Oratoris paupertas, de qua testatur Episcopus, opus fortasse non erit commutatione Officii. Per dimissionem enim Beneficii, ad quam paratus est Orator, deficeret titulus, ex quo recitari debet per *Text. in Cap. Dolentes* 9. *de celebrat. Miss.*, *Cap. Quia* 15. *de Rescript. in sexto*, & *Constit. Leonis X.*, Supernæ dispositionis, *anni* 1513., *ac S. Pii V.*, Ex proximo, *anni* 1571., *de quibus Ferrar. in Biblioth. verb. Officium Divinum* §.1. *num.*25.; & *Sacra hæc Congregatio*

tio in Senogallien. Capellaniæ 6. Iunii 1750. ad II. Dubium.

Quatenus autem Emi Patres deneganda m esse censeant Beneficii administrationem, deliberandum erit de commutatione Officii. Distinguunt *Doctores* apud *Benedict. XIV. de Synod. Diœcef. lib. 12. cap. 4. num. 6.* inter impedimenta, quæ ad Horas recitandas Canonicas, *a culpa proveniunt, quæque prævisa forsan fuerunt, antequam Beneficium acceptaretur*, & impedimenta, *quæ neque culpabilem causam habent, neque prævisa sunt*; ac justam ex posterioribus, non item ex prioribus excusationem desumunt. Reque vera concessit quandoque Sacra Congregatio arbitrio Episcopi commutationem Divini Officii in alias preces, sed ob superventam capitis, vel oculorum infirmitatem, ut *in Veliternen.* 15. *Maii* 1700. *lib. Decr.* 50. *fol.* 242., & *in Florentina* 5. *Maii* 1708. *lib. Decret.* 58. *fol.* 164.

Anterior nec ne Beneficii possessione fuerit imbecillitas mentis, quam Orator ex infirmitate contraxit, expresse non constat. Eam vero supponere videntur anteriorem verba illa Episcopi = *Fu dal medesimo donatario* (Angelo Donato Boschi) *presentato nel* 1783. *l'altro suo figlio Chierico Agostino Boschi, che essendo infelice, e di talento, e di patrimonio, parmi che meriti il sussidio di questo Benefizio di padronato di sua Casa.*

Quæritur ergo.

I. *An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro administratione Beneficii, de quo agitur, ad vitam Oratoris in casu &c.*

Et quatenus negative.

II. *An, & quomodo sit locus commutationi Divini Officii in alias preces in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 30. Augusti 1788. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

URBANIEN. REDUCTIONIS MISSARUM. *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

Affirmativè juxta votum Episcopi.

COLLEN.

I. *An, & quomodo sit consulendum SSmo pro administratione Beneficii, de quo agitur, ad vitam Oratoris in casu &c.*

Sess. 24. cap. 12. de Reform.

Et quatenus negative.

II. *An, & quomodo sit locus commutationi Divini Officii in alias preces in casu &c.*

Ad primum Negative.
Ad secundum Affirmativè arbitrio Episcopi, facto verbo cum SSmo.

URBEVETANA. Disputatum fuit anno 1766. = *An Canonici capitulares Collegiatæ Ecclesiæ S. Christinæ teneantur coadjuvare Præpositum in exercitio curæ Animarum, & præcipue in assistendis moribundis*; juribusque Partium in Folio 10. Maii illius anni cumulatissime relatis, rescripsit die 31. ejusdem mensis Sacra hæc Congregatio = *Affirmative in casu necessitatis tantum, servato in reliquis solito, & amplius* = Perpetuæ deinde inter Præposi-

Sess. 21. cap. 4. Sess. 23. cap. 1. de Reform.

ium, & Canonicos fuerunt *de casu necessitatis* contentiones. Saepe enim ille, nunquam isti, aut raro eum admittebant. Occasione tandem visitationis Sacrorum Liminum, pastoralem excitarunt Emi Episcopi solicitudinem. Retulit siquidem anno 1785., quod = *Praepositus mala saepissime valetudine afficitur, aliis etiam distractus negotiis, quandoque Parochiam respicientibus, praesto esse non potest. Si aegrotet, negant Canonici, & simulatam infirmitatem dicunt. Si vero aliis curis detineatur, casum necessitatis non esse contendunt. Hinc quotiescumque ad infirmos vocati sunt, absente aut impedito Praeposito, hunc accersiri respondent, ipsi autem nunquam fere, aut saltem perraro accurrunt* =. Nonnullos hac de re sine Sacramentis, & assistente Sacerdote decessisse ait; impossibile autem esse, casus praecisae necessitatis praefinire. Quid sibi ergo in hisce circumstantiis agendum esset, ab EE. Vestris postulavit.

Ita ad haec die 4. Maii 1786. Sacra Congregatie respondit = *Justissima est causa certam condendi legem, ne Vulsinii Canonici, qui omnes adjutricem operam Priori in Animarum cura praestare tenentur, facile, ut hactenus accidit, officio desint, responsum hinc ad postulationem tuam eo modo factum est, ut qualibet hebdomada duo designandi sint Canonici per turnum, qui nulla excusatione admissa, praeterquam in devolutivo ad Eminentiam tuam, Priori manum adjutricem praestare cogantur* =. His igitur utendo facultatibus, decretum edidit Emus Episcopus die 28. Octobris ejusdem anni, & mitius agendo, unum dumtaxat ex quinque capitularibus Canonicis, qui Praepositum in Animarum cura coadjuvaret, in singulos hebdomadas per turnum destinavit. Monuit tamen Praepositum, *sibi praesertim incumbere Animarum curam, nec sibi licere, nisi in casu necessitatis, non autem pro sui libitu onus in alios refundere*; monuitque Canonicos, *nullam admittendam excusationem, praeterquam in devolutivo, juxta sapientissimum, de quo supra, Sacrae Congregationis responsum, omnesque, quoties infirmorum copia datur, teneri nedum ex charitate, sed etiam ex justitia*.

Maximas decretum hoc excitavit turbas, statimque adversus illud protestati sunt Canonici, *utpote qui obedientiam Superioribus praestare recusant, seseque jactant, saepe cum Episcopo contendere, ut expertus fuit etiam cl. me. Episcopus Ripanti antecessor* =, ut in haec verba testatur Emus Episcopus. Quum autem a prosequendis actis destitissent,

de

de futura idcirco timens executione decreti, EE. Vestras exoravit Promotor Fiscalis Urbevetanæ Curiæ pro illius approbatione, rescripsitque Sacra Congregatio *die* 19. *Maii* elapsi anni 1787. = *Emo Episcopo in Curia, qui non retardata executione Decreti, Canonicis præfigat terminum ad deducendum jura sua in S. C., eoque elapso amplius non esse audiendos*. Præfixo hinc trium mensium termino, duo Canonici disputari postularunt Dubia: alterum super resolutione anni 1766., & alterum super responso anni 1786., ejusque executoriali Emi Episcopi decreto. Re vero ad Eminentissimum Præfectum ablegata, disputari mandavit Eminentia Sua infrascriptum Dubium.

Plura *in Folio anni* 1766., quam utrinque modo deducuntur. Præstat tamen potiora repetere, ut sub oculis sint quæ Episcopalis decreti justitiam, vel injustitiam suadere possunt. Urgent præ omnibus Canonici rem judicatam anni 1766. Dum eos namque compulit ad coadjuvandum Præpositum *in casu necessitatis tantum*, illud ipsis imponere voluisse censetur onus, quo ceteri gravantur Presbyteri, *Rot. in Constantien. Subsidii Parochialis* 9. *Junii* 1785. §. 6. *coram clar. memor. Card. Bussio*, non item gravius alterum coadjuvandi singulis hebdomadis per turnum. Idque ea ratione definitum asserunt, quia penes unum Præpositum est Animarum cura; quod ex inæqualitate probant redituum. Ex bonis siquidem primæ erectionis duplam Præpositus, simplam Canonici capiunt simbolam. Ex aliis secundæ erectionis æqualem quidem habent partem, sed omnia Canonicis incumbunt onera. Ac tantum denique reddit Præpositi præbenda, quantum reliquæ simul Canonicorum.

Habitualem penes Capitulum inficiantur curam, ex qua ad coadjuvandum Parochum cogantur. Adjici enim non consuevit in collationibus Canonicatuum onus adjuvandi actualem Parochum. Simplices quandoque admissi fuerunt Clerici in Canonicos. Qui vero insigniti sunt Sacerdotio, approbatione indigent Episcopi, ac Præpositi venia, ut ægrotantium præsertim Parochianorum confessiones excipiant, quibus non indigerent, si instituti essent in Canonicatibus cum habituali Animarum cura, juxta *Sac. Conc. Trid. sess.* 23. *cap.* 15. *de Reform.* Collata semper fuit Præpositura per concursum, non per examen ad præsentationem Capituli, ut supposita apud ipsum habituali cura, fieri debuisset *ex Cap. unic. de Cappell. Monach.* Hisque omnibus accedit observantia. Antiquiori-

bus enim omissis factis, ægroto Præposito permisit Episcopus anno 1750., ut unum, vel alterum pro exercitio curæ destinaret Canonicum, soluto tamen stipendio *del proprio*. Pastoralem rursus solicitudinem, & Sac. Visitationis Decreta in unum Præpositum direxit anno 1755., nulla facta mentione Capituli. Ac jurato demum Testium dicto, unus semper Præpositus privative ad Capitulum, Animarum curam exercuit.

Nec satis esse contendunt ad habitualem suadendam curam, sive Decimarum, & quartæ funeralis participatio, sive jus baptizandi. Hæc omnia profecto æquivoca sunt curæ argumenta, quum acquiri potuerint ex consuetudine, privilegio, vel aliorum onerum correspectivitate. Ita quoad Decimas *Rot. in Nullius, seu Celsonen. Parochialis super Bono Jure* 3. *Decembris* 1778. §. *Argumenta coram cl. me. Card. Millino*, & *in Asculana contributionis Congruæ* 28. *Aprilis* 1755. §. 17. *cor. cl. me. Card. Elephantutio*. Et ita quoad quartam funerum, & jus baptizandi *Gratian. discept.* 298. *num.*42., *Barbos. de Potest. Episcop. allegat.* 57. *num.* 161. Reque vera gravantur Canonici correspectivis oneribus = *delle spese della Sagra Visita; della cera nel giorno della Purificatione, solita distribuirsi in Chiesa, e per le Case rurali; della loro eddomada, applicazione delle Messe pro Populo, e somministrazione di Vino, ed Ostia a tutti li Sacerdoti tanto secolari, che regolari, e forastieri, che celebrano la Messa nella præd. Chiesa Collegiata* =, ut in hæc verba deponunt Testes. Quodque ex alio, præterquam curæ titulo, de Decimis, & quarta funerali participent, ac baptizent, ex privativo comprobatur Præpositi jure assistendi matrimoniis, quum nulla omnino ratione præscribi valeat ex dispositione *Sac. Conc. Tridentini Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reform.*. Atque ex his concludunt Canonici, quod ex eodem *Concilio sess.* 21. *cap.* 4. *de Reform.* cogendus potius sit Præpositus, qui unus est Parochus, & pingues habet reditus, ad assumendum Vicarium Curatum.

Toti contra Promotor Fiscalis, & Præpositus responso incumbunt Sacræ Congregationis, cujus in executionem latum est ab Emo Episcopo decretum. Quum enim juxta formulam propositi Dubii, in quæstionem non veniat, quod EE. Vestræ præscripserunt, si hoc idcirco supponatur, nec decretum reprobari posse videtur, per *Text. in Cap. super quæstionum* 27. *de offic.*, & *potest. Judic. delegat.* Pinguiores de cetero Præpositurae reditus ad Dignitatem, & Decimarum comparticipationem

ad habitualem referunt curam, eo quod sint sacramentales, quales, non constito de titulo, præsumuntur, *Text. in Cap. Quamvis de Decim.*, & *in Cap. Secundum de Præben.*, *Fagnan. in lib.* 5. *cap.* 1. *Ne Prælat. vices suas num.* 21., & *seqq.*

Ponderandum insuper ex relatione Emi Episcopi = *Quod unus Parochus, nempe Collegiatæ Præpositus, ad multitudinem Animarum regendam non est sufficiens. Pars aliqua enim Populi degit extra mœnia in altitudine Collis, & in loco, qui dicitur il Castello*; quodque = *impossibile est, casus præcisæ necessitatis præfinire.* Si enim teneantur Canonici ex re judicata anni 1766. coadjuvare Præpositum *in casu necessitatis*, qui ob multitudinem Animarum, locique difficultates præfiniri non potest, æqua idcirco videri posset alterius ex ipsis destinatio in singulas hebdomadas per turnum.

Varia secundum circumstantias fuit Sacræ hujus Congregationis sententia. Modo enim ex comparticipatione Decimarum, Populique frequentia Canonicos coegit ad coadjuvandum Parochum, ut in *Farfen. Decimarum* 1. *Septembris* 1691. *in lib. Decret.* 41. *pag.* 126., & *in Montis Falisci Onerum Parochialium* 8. *Maii* 1706. *in lib. Decret.* 56. *part.* 148.. Modo eos in similibus fere terminis cogendos non esse, sed in casu dumtaxat necessitatis teneri declaravit, ut *in Caputaquen.* 14. *Maii* 1729. *ad VI.*, & *VII. Dubium*, aliisque Causis, de quibus *in Folio anni* 1766.

Eo igitur resumpto Folio, & quæ hactenus exposui, benigne perpensis, respondere dignentur Emi Patres.

An, & quomodo Decretum latum ab Emo Episcopo sub die 28. *Octobris* 1786. *sit exequendum in casu &c.*

Affirmativè in omnibus, & amplius.

Sess. 24. cap. 1. de Reform. Matrim.

SANTANDRIEN. SEU CUBANA MATRIMONII. Ob suffragiorum discrepantiam resoluta non fuit Causa ista in Congregatione diei 12. elapsi Julii. Iterum ergo EE. Vestrarum judicio subiicitur. Mala potissimum urget matrimonii Defensor, quæ per dispensationem a primo matrimonio rato Rosæ de *Zarate* sequerentur. Per eam, inquit, quæ simplex esset gratia, matrimonium illud declararetur validum; secunda Uxor adultera, ejusque Filii illegitimi; & periculum esset, ut secundum etiam dissolveretur matrimonium, si cognita primi validitate, de qua ante dispensationem dubitari posse affirmat, renovare nollent Conjuges consensum. Eoque minus hæc permitti debere contendit non citato Riano, penitusque inaudita Maria de Sales, quæ secundum matrimonium bona fide contraxit.

Argumentum retorquet Defensor Rosæ; nam eadem sequerentur mala, si denegaretur dispensatio, quum in implicito etiam validitatis statu primum matrimonium relinqueretur. Majora immo dici possent. Adimeretur enim secundis Conjugibus facultas renovandi consensum, ut eorum conscientiæ consulant. Idque verisimiliter ex diuturna vitæ consuetudine, susceptæque Prolis amore facturi essent, si primi matrimonii vinculum dissolveretur. De impossibilitate autem citandi Rianum, ejusque secundam Uxorem, satis in Folio 26. elapsi Aprilis. Eo igitur resumpto, deliberent Emi Patres.

An sit standum, vel recedendum a decisis quoad secundum Dubium in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess. 14. cap. 7. de Reform.

MARSICANA DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE. Suis ruri vacans rebus, igneam anno 1773. explosit balistam Sacerdos Januarius de Rosa in alienum Custodem boum, qui prædium depascebant, ut eum terreret: at plumbeis ille globulis vulneratus, uno de viginti die decessit. In homicidam animadvertit Episcopalis Curia Marsici, eumque post annuum carcerem, ad bienne exilium damnavit. Hac expleta pœna, absolutionem postulavit reus ab irregularitate; sed in-

stan-

ſtantiam rejecit Sacra Congregatio die 30. Auguſti 1776. per reſcriptum, *Lectum*. Iterum poſt aliud biennium pro ea ſupplicavit, iterumque EE. Veſtræ ſub die 18. Julii 1778. reſcripſerunt, *Lectum*, addita clauſula, *& preces amplius non recipiantur*. Tertio nunc ex reſcripto SSmi, Emorum Patrum clementiam implorat. Expoſita confirmat Epiſcopus, teſtaturque, quod in patrato homicidio *dolus abfuit*, *culpa non defuit*; quod = *Mater orphani præmortui in arenam deſcendere, ut damno & injuria reſarciretur, licet requiſita, expreſſe renuit*; Quodque *de bona vita, boniſque moribus* (Oratoris) *ex atteſtationibus Rev. Cleri prædictæ Terræ* (Viggiani) *& Univerſitatis ejuſdem clare patet*.

De homicidio agitur, in quo, Epiſcopi teſtimonio, *culpa non defuit*, ac de Sacerdote non paupere. Licet autem in his terminis ſublata non ſit diſpenſationis ſpes promoto, *Hoſtien. in Cap. Sicut de homicid.*, haud facile tamen, poſt plures etiam annos, indulgeri ſolet, nisi graves concurrant diſpenſandi cauſæ, ut cenſuit Sacra Congregatio *in Sabinen. Irregularitatis* 28. *Julii elapsi anni* 1787. Quilibet contra *dolus abfuit*: nec querelam offenſa Pars exponere voluit: carcerem Orator, & exilium ſubiit: *bona eſt vita, boniſque moribus*; & quindecim a patrato homicidio lapsi ſunt anni, quibus illius memoria deleta cenſetur, *Antonell. de regim. Eccleſ. lib. 1. cap. 6. num. 17.*, *& Rot. in Melevitana Pecuniaria* 8. *Februarii* 1751. §. 15. *coram clar. mem. Cardinali Elephontutio*. An hæc autem omnia juſtam inducant diſpenſandi cauſam, EE. Veſtræ decernent. In ſimilibus fere terminis Sacerdoti homicidæ indulſerunt *in Murana Irregularitatis* 12. *Martii* 1763., *& in Melevitana Irregularitatis* 15. *Decembris* 1787., in qua addita fuit clauſula: *dummodo non celebret in loco patrati criminis*.

Quæritur ergo: *An sit conſulendum Sanctiſſimo pro diſpenſatione in caſu &c.*

Negativè.

Sess.25.cap.11. de Reform.

LAURETANA NULLITATIS CONTRACTUS. Sacerdos Jo: Bernardinus Morichi, Beneficiatus Lauretanae Basilicae, vendidit anno 1777. absque reservatione Beneplaciti Apostolici Sacerdoti Joanni Ginami pretio scutorum 130. = *il jus exigendi dall'annua risposta della casa, o case, che se ne ritrae scudi 14. all'anno, provenienti dal Beneficio corale.* Promoto hinc sub annum 1784. ad aliud Beneficium, venditum transtulit jus ad domum ei odnexam, cum pacto redimendi *semper, & quandocumque.* Paenitentia tandem ductus, querelam ad EE. Vestras detulit nullitatis contractus, postulavitque restitutionem Domus, & fructuum, quos ad totum annum 1787. ultrà solutum pretium Ginamus perceperat.

Lauretanus Vicarius Apostolicus refert = *praedictas domos, usui Choralium hujus Basilicae addictas, in Bullis Apostolicis super provisione Beneficiorum satis exprimi; immo pro dote, & mansu Beneficiorum reputari, nec non singulis Beneficiis taxative, & particulariter esse adnexas. Contra vero inficiari nequit, praedictas domos, seu potius fructus eorumdem pluries a Beneficiatis fuisse contractui, de quo agitur, subjectos; sed jure, an injuria, sub Judice lis est, immo semper in privatis singraphis, quae cum in tenebris latuerint, Episcoporum vigilantiam effugerant.* A ferendo tamen abstinet suffragio. Res igitur sub infrascripto proponitur Dubio.

Domus siquidem, de qua disceptatur, adnexa est Beneficio Morichii, partemque constituit ejus fundi, ut fassus ipse fuit in apocha contractus verbis illis = *provenienti dal Beneficio corale* = & Apostolicus confirmat Vicarius. Quaelibet autem bonorum Ecclesiae, aut Beneficii interdicta est alienatio *in Extrav. Ambitiosae de reb. Eccles. non alienan.*, idemque de reditibus Beneficii sub paena nullitatis decernitur *in Constit.* Universalis Ecclesiae, *in ordine la* 29. *Benedicti XIV.* Viribus ergo, inquit Morichius, subsistere non potest expleta venditio, ad tradita per *Antonell. de regim. Eccles. lib.* 1. *cap.* 4. *num*, 15., *Leuren. for. Eccles. lib.*2. *tit.*2. *quaest.* 156. *num.*2. *tom.*2., *Novar. de privil. miserabil. person. privileg.* 130. *n.*2.

Neque prodesse ait emptori, quod de minori agatur redituum parte, ac de modica summa. Utraque enim *Constitutio* indefinita est, omnemque prohibet alienationem. Tenuitas autem summae tunc eam reddit licitam, si de re fiat minus utili, & de licentia Episcopi, *Can. Terrulas caus.* 12. *quaest.*2., quorum neutrum in casu nostro

ſtro concurrit. Ponderandum de cetero, num modica dici valeat annua ſumma ſcutorum 14., quorum ad vitam juvenis Beneficiati inſigne eſt capitale. Terrularum valorem, de quibus *in cit. Canone*, ſtatuit *ibidem Gloſſ. verb. exiguas* in ſolidis 20., ſeu ſcutis 30. Eum ad ſummam evehunt ſcutorum 40. *Gratian. diſcept.* 452. *n.* 10., *Corrad. in prax. diſpenſat. lib.* 9. *cap.* 4. *num.* 45.

Idque etiam notandum, quod venditum non fuit ſimplex commodum, ſed jus percipiendi penſiones. Hoc ſane veluti inhærens perſonæ Beneficiati, ac tanquam eſſentialis pars Beneficii, abdicari non poteſt. Nil aliud enim eſt Beneficium, quam *jus percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis, Clerico propter Divinum Officium competens*, ut inquit *Corrad. in prax. benefic. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 2., *Gagliard. de Benefic. cop.* 2. *num.* 1., *Lanfredin. reſp.* 16. *num.* 16. Inde autem Morichius concludit, quod attenta contractus nullitate, reſtituendum ſit ab emptore quidquid ultra ſolutum pretium ex penſionibus percepit, *de Marin. quotid. reſolut. cap.* 8. *num.* 1., *& ſeqq.*, *Ventrigl. in prax. part.* 1. *annot.* 1. §. 4. *num.* 6.

Actionem Ginamus impugnat Morichio petendi reſtitutionem domus ex nullitate contractus. Ea namque experiri non poſſe ait Beneficiatum in proprium commodum, ſed nomine, & favore Eccleſiæ, ne ex culpa ſua compendium conſequatur, *Garz. de Benefic. part.* 2. *cap.* 1. *num.* 83., *& ſeqq.*, non aliter vero Eccleſiam ipſam audiendam eſſe, quam reſtituto pretio, *Text. in Cap. Ad audientiam de reb. Eccleſ. non alien.*, *Ferr. in Biblioth. verb. Alienatio art.* 5. *num.* 3. Num erandas præterea non eſſe contendit inter fructus Beneficii penſiones domus. Ex Conſtitutione ſiquidem Clementis VIII. reditus Beneficiorum Lauretanæ Baſilicæ in numerata conſiſtunt pecunia. Domus vero ſingulis Beneficiatis aſſignatæ, ſimplicem reſpiciunt eorum commodum, quod vendi poſſe affirmat.

Meram rurſus accepiſſe ſupponit commoditatem, non titulum percipiendi penſiones (contrarium liquet ex apocha, in qua venditum legitur jus exigendi) eamque ex communi *Doctorum* ſententia libere in contractum abſque Beneplacito Apoſtolico deduci potuiſſe, *Gratian. diſcept.* 238. *num.* 25., *& ſeqq.*, *Redoan. de reb. Eccleſ. non alien. quæſt.* 51. *cap.* 2. *num.* 1., *& ſeqq.*, *& num.* 14. *&* 15., *Card. de Luc. de alienat. diſc.* 12. *num.* 13., *Urſaya diſcept. Eccleſ.* 1. *num.* 26. *tom.* 8. *part.* 1. Penſionum Eccleſiaſticarum inſtar, quarum ceſſio interdicta non eſt,

si de simplici fiat exigendi commoditate, *Amiden. de styl. Datar. lib.* 1. *cap.* 27. *num.* 7. , *Card. de Luc. de alienat. disc.* 12. *num.* 14.

Immemorabilem postremo urget consuetudinem, semperque hujusmodi contractus a Beneficiatis Lauretanæ Basilicæ initos fuisse dicit. Hæc autem consuetudo vim habet privilegii Apostolici, ex quo Beneficiorum reditus vendi possunt, *Piton. discept. Eccles.* 116. *num.* 30. , *&c seq.* , & *Rot. in Recen. decis.* 11. *num.* 2. *part.* 2. Non aliunde tamen afferta probatur immemorabilis consuetudo, quam ex tribus singularibus Testibus, de triplici recentissimo venditarum pensionum contractu deponentibus. Hi forsan sunt contractus, quos Vicarius Apostolicus expletos refert *in privatis singraphis, quæ in tenebris latuerint.*

Quantum vero ad restitutionem perceptarum pensionum, bonam allegat fidem, qua aliorum exemplo contraxit, & pensiones consumpsit. Bona enim fides excusat a restitutione consumptorum fructuum, quod quis ex illicito contractu percepit, *Card. de Luc. de alienat. disc.* 12. *num.* 17. , *&* *Rot. in Romana Census Vitalitii* 28. *Januarii* 1757. § 4. , & 5. *coram clar. mem. Card. Elephantutio.*

Dubium est: *An constet de nullitate contractus, ita ut sint restituendi fructus in casu &c.*

Affirmativè in omnibus.

Sess. 25. *cap.* 4. *de Reform.*

INTERAMNEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Ob imminutos reditus Capellaniæ erectæ in Ecclesia Min. Conventualium S. Francisci Interamnæ sub titulo SS. Antonii Abbatis, & Patavini, Capellanum levari postularunt Patroni ab annuo onere subministrandi Patribus strictioris Observantiæ, & Cappuccinis ejusdem Civitatis certam frumenti, musti, & olei quantitatem, ac Missas etiam centum a Fundatrice præscriptas reduci. Proposito igitur sub die 19. Julii 1777. Dubio: *An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis Testatricis*, EE. Vestræ rescripserunt: *Affir-*

firmative juxta votum Episcopi, celebratis per Capellanum Missis in Cappellis S. Antonii Abbatis, & S. Antonii Patavini, erectis in Ecclesia Min. Conventualium S. Francisci, juxta reditus prædii Pedemontis ad rationem eleemosynæ manualis, detractis utensilibus, docto quolibet anno de adimplemento coram Episcopo.

Ita ad hæc tempora ad manualem obolorum 10. pro qualibet Missa servatum est. Ea autem, ob majora rerum pretia, ad obolos quindecim aucta, Sacerdotes desunt, qui Capellaniæ celebrent Sacra. EE. igitur Vestras exorant Dominicus Pecoli Massarucci, aliique hodierni compatroni pro illorum reductione ad annuas Missas 50. Exposita confirmat Episcopus, & in hæc verba prosequitur: *Inficiari non licet, Capellaniæ fundum aurea vix decem reddere quolibet anno. Constat ex accuratis rationum redditionibus coram me expletis: constat ex consentanea, jurataque Coloni partiarii relatione. Scuta septem, & oboli quinquaginta manualem conflant mercedem Presbyteri celebrantis* (Missas 50.) *cum id, & præsens rerum status, & legitima consuetudo præseferat. Alterum item aureum occurrit persolvendum Ecclesiæ, sacra danti utensilia, quæ in uno, & altero obolo pro unaquaque Missa penduntur. Quod reliquum est, exigit ipsa prædii custodia, ne ceteroquin pessumdata, ulterioris reductionis pariat necessitatem. Noscunt omnia hæc Patroni oratores; noscit insuper Capellanus, ideoque precibus annuunt. Annuendum sane & ego opinarer.*

Nedum redituum imminutio, sed majus etiam rerum pretium justa reputari solet reductionis Missarum causa. Ita Sacra hæc Congregatio *in Bracharen.* 11. *Septemb.* 1717. *lib. Decret.* 67. *pag.* 373., *in Mediolanen. Reductionis Missarum* 9. *Aprilis* 1718., in qua proposito Dubio: *An supposito, quod nullus inveniatur Sacerdos, qui velit Missam quotidianam celebrare pro annua eleemosyna librarum* 300. *a Testatore præscripta, sit locus reductioni*; Sacra Congregatio respondit: *Affirmative*. Et ita *in Senogallien. Reductionis* 10. *Maii* 1783.. Quale autem de iis, quæ pro reductione ad annuas Missas 50. exponit Episcopus, ferendum sit judicium, ad EE. pertinet Vestras.

Notandum tamen, jam semel anno 1777. reductas fuisse Missas ad manualem. In his sane terminis ulteriorem reductionem, a Neapolitano Archiepiscopo factam vigore indulti, Sacra hæc Congregatio reprobavit *in Neapolitana Reductionis Missarum* 19. *Novembris* 1729., Ponderare etiam dignentur EE. Vestræ, num ex eodem

rescripto anni 1777. tot absque nova reductione celebrari valeant Missæ, quot prædii reditus ad præsentem manualem patiuntur. Missarum insuper reductio ad certum numerum impedimento esset, ne aucto reditu, augerentur. Summa tandem scutorum circiter duo, quæ, detracta eleemosyna obolorum 15., sacrisque utensilibus, superesset, in lucrum fortasse cederet Capellani, dum prædii cultura partiario de more incumbit Colono.

His igitur perpensis, deliberent Emi Patres.

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.

Negativè, & esse locum celebrationi Missarum ad rationem eleemosinæ manualis nunc in Diæcesi vigentis.

Sess. 25. cap. 11. de Reform.

MACERATEN. EMPHITEUSIS. Qui ex Canonicis Collegiatæ Ecclesiæ Divi Blasii Montis Milonis nuncupantur *del Monte*, facultatem ab hac Sacra Congregatione impetrarunt die 15. Julii 1780. concedendi latifundium *di Morla = arbitrio Episcopi ad tertiam Generationem masculinam tantum pro annuo canone scut.* 228., *& cum mensuratione bonorum, & insertione plantæ ipsorum in instrumento emphyteusis*. Canonem illum pro persona nominanda supra ceteros obtulerat Franciscus Salustri. Nominato igitur Joanne de Vita, ab eoque in socium assumpto Andrea Antonucci, omnia per privatam scripturam die 20. Novembris ejusdem anni inita fuerunt emphyteusis pacta, ne ad Literarum Apostolicarum expeditionem destitueretur latifundium cultura, illudque potissimum conventum est = *Che sia a carico de sudetti Signori Vita, ed Antonucci riportare dalla Dataria Apostolica a tutte loro spese la Bolla occorrente per la validità di detta enfiteosi dentro il termine di due mesi da oggi*.

Delata emphyteutæ, ejusque Socio latifundii possessione, diu Apostolicas Literas neglexerunt. Urgentibus tamen Ca-

Canonicis, ventum tandem die 19. Decembris 1783. ad illiarum expeditionem; sed nomine Salustrii. Erroris caussa fuit, quod Maceratensis Vicarius Generalis, qui primo ad Sacram Congregationem absente Episcopo retulerat, nullam de persona nominanda mentionem fecerat. Re cognita, Sacram Congregationem adiit de Vita pro emendatione erroris, aliaque in singulos annos obtulit scuta duo, ut perpetuam emphyteusim obtineret. At die 22. Maii 1784. EE. Vestræ rescripserunt = *Quoad perpetuationem emphyteusis Lectum; in reliquis Episcopo pro informatione, & voto, prævia nova Edictorum affixione*. Hoc monitus rescripto, instantiam secundis precibus ad emendationem erroris coercuit, rogavitque pro revocatione præcedentis rescripti quoad novam Edictorum affixionem. Aliud igitur die 24. Julii ejusdem anni prodiit rescriptum = *Episcopo pro informatione & voto, audito Capitulo, transmissi oblatione, & denominatione in actis emissa de tempore habili, suspensa interim nova Edictorum affixione*.

Priusquam novissima hæc accipere posset mandata, exequutus fuit Episcopus præcedens rescriptum, novisque sub die 29. Julii affixis Edictis, *nullus in termino inventus est oblator, sed variis inter Canonicos, & Oratorem exortis Juris controversiis, nonnullæ instantiæ, & comparitiones in actis productæ sunt*, ut in hæc retulit verba. Ex nova siquidem Edictorum affixione resolutam affirmabant de Vita & Antonuccius oblationem Salustrii; rescissam emphyteusim: contrarium Canonici substinebant, solemnibus utrinque emissis protestationibus. Qua de re notavit Episcopus *tum incuriam Canonicorum, qui passi sunt Oratoris intrusionem super eodem prædio absque Beneplacito Apostolico, tum Oratoris imprudentiam, qui sine EE. Patrum auctoritate, sine legitimo investituræ instrumento ejusdem fundi possessionem apprehendit*.

Expeditum hinc fuit Sociorum nomine monitorium coram A.C. super nullitate emphyteusis ob defectum Beneplaciti Apostolici, atque enormissima læsione. Eo tamen per Eminentissimum Signaturæ Justitiæ Præfectum moderato, remissa est Causa ad Sacram Congregationem, in qua pendebat. Aliud interim Canonici subierunt litigium coram A.C. pro solutione canonum, quos Socii, latifundium possidentes, solvere renuebant, ac post acerrimam contradictionem, & iteratam propositionem in ple-

plena Signatura, Causam tandem obtinuerunt. Sub infrascriptis igitur Dubiis agitur modo de nullitate contractus, & laesione,

Nullam dicunt Socii emphyteusim ex defectu potestatis in Canonicis concedentibus, dum eam Sacra Congregatio remisit *arbitrio Episcopi*, nilque ab eo in executionem rescripti actum est. Deficiente potestate, corruere ajunt privatam apocham, sub illius supposito exaratam, ipsamque latifundii possessionem (quam adhuc tamen retinent) quum cessante jure dantis, cesset quoque jus accipientis, per *Text. in Leg. Vectigali ff. de Pignor.* Maxime, quia neque exequutus est Episcopus, quae in Apostolico Beneplacito praescripta fuerunt. Non appositum in Latifundio lapideum rei monumentum: non descripta ejus confinia: non citata Milonensis Communitas, Canonicatuum patrona.

Inficiantur praeterea nominationem Salustrii, qua non facta resolvitur contractus, *Text. in Leg. Secundum ff. de contrah. stipulat.*, *Gabriel. conclus.* 2. *de verb, obligat.*, *Gratian. decis.* 135. *num.* 1., ac supplices ipsos inficiantur Libellos, quibus emendationem Beneplaciti ab hac Sacra Congregatione petierunt. Resolutam de cetero afferunt oblationem Salustrii, & emphyteusim per novam Edictorum affixionem, ut dixit *Rota in Romana Affictus* 30. *Aprilis* 1787., vel in omnem casum esse locum paenitentiae, ob nondum expeditum eorum nomine Beneplacitum, *Marescott. var. resol. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 1., *Marchesan. de commiss. lib.* 1. *part.* 1. *cap.* 2. *pag.* 10. *num.* 1., *Rot. coram Bich. decis.* 402. *num.* 10.

Transeunt post haec Socii ad laesionem contractus, eamque dicunt enormissimam tum ex relatione Peritorum, qui annuos statuunt latifundii fructus in summa scutor. 164., cum ex testimonio praecedentium, & praesentium Colonorum, qui longe ab anno 1759. minores fuisse affirmant. Enormissima autem laesio ecclesiasticam etiam emphyteusim redderet nullam, *Gabriel. conclus.* 1. *lib.* 3. *num.* 76., *Fulgin. de jur. emphyt. quaest.* 28. *num.* 2. *in fin.*

Quid contra dicturi sint Canonici, ignoratur. Haec tamen adverti possent. Privatam Socii subscripserunt apocham vigore oblationis factae a Salustrio nomine de Vita, ac sub reservatione Beneplaciti Apostolici, iisdemque rationibus convenerunt Canonici stipulandae emphyteusis pacta. Haud ergo quaerendum videretur de emphyteusi

non

non dum stipulata, sed de obligatione eam stipulandi. Viribus autem subsistit hujusmodi obligatio, & ante obtentum Beneplacitum Apostolicum revocari potest *ex parte Ecclesiæ, cujus favore claudicat contractus, non autem contrahentis cum ea, quem non potest poenitere*, ut ex sententia *Sac. Rotæ* per hæc verba notat *Sabell. in Sum. verb. Beneplacitum sub num.* 8.

Sua hinc prudentia Eminentissimi Patres dijudicent num obligatio stipulandi emphyteusim dici valeat nulla, ex quo nihil eorum fecit Episcopus, quæ in executionem rescripti Sacræ Congregationis, & Apostolici Beneplaciti facienda erant in stipulatione, quam Literarum Apostolicarum error retardavit. Advertere etiam dignentur, non semel de Vita in actibus ferils & proportionatis suam fecisse oblationem Salustrii, per apocham scilicet 20. Novembris 1780., iteratam instantiam pro emendatione Beneplaciti, & judicialem emphyteusis renunciationem post nova affixa Edicta. Utrum vero per simplicem Sociorum assertionem supplantati censeri debeant supplices libelli, ipsorum nomine porrecti Sac. huic Congregationi, vel eorum potius præsumi debeant, quorum nomen præferunt, EE. pariter Vestræ decernent.

Pacificum non est, quod per novam Edictorum affixionem priores resolvantur oblationes; contrarium enim censet *Pacion. de locat. cap.* 14. §. 4. *num.* 28., favore præsertim Ecclesiæ, *Cæsar de Graff. decis.*4. *de reb. Eccles. non alienan.* Ceterum non quæritur hic de resolutione contractus ob nova affixa Edicta, sed de illius nullitate ex defectu potestatis in concedentibus, atque enormissima læsione. Jam autem de primo nullitatis capite actum est. Ponderandum superest quoad læsionem, oblatum canonem scutorum 228. nec in tertia parte excedere sc.164., in quibus Periti annuum latifundii reditum taxarunt. Ad enormissimam vero inducendam læsionem, quæ nullum ipso Jure reddat contractum, excessus requiritur ultra dimidiam, per *Text. in Leg.* 2. *Cod. de rescin. vendit., ibique Pinell. part.* 2. *cap.* 1. *num.* 8.

Pauca Socii de secundo Dubio. Sicuti enim contractus nullus novum requirit utriusque Contrahentis consensum, ut restituatur, ita alterutro dissentiente sanari non potest, *Rocc. disput. Jur. cap.* 3. *numer.* 14. *tom.* 2., *Rot. coram Cavaler. decis.*47. *num.*4. Notandum contra, quod sanationis nomine ea ipsa postulatur Literarum Apostolita-

licarum emendatio, quam iterum atque iterum Socii flagitarunt.

Dubia sunt.

I. *An constet de nullitate emphyteusis in casu &c.*

Et quatenus affirmative

II. *An sit consulendum SSmo pro illius sanatione in casu &c.*

Non proposita cum sequenti.

Sess. 25. cap. 12. de Reform.

ASTEN. De qualitate ignari residentialis Capellaniæ, in Astensi Cathedrali erectæ sub titulo SS. Thomæ, & Philippi, ad eam nominarunt Patroni laicum Petrum Schiavini annorum 14. sub conditione assumendi clericatum. Hac adimpleta, facile ei data est institutio. Ipsum vero in possessionem mittere detrectarunt Capitulares, eo quod sacerdotalis esset Capellania. Ad parcendum liti, SSmo supplicavit Clericus pro illius retentione usque ad legitimam Sacerdotii ætatem, ac libera fructuum perceptione, precibusque ad Sacram hanc Cungregationem remissis, rescriptum est die 24. Martii elapsi anni 1787, = *Vicario Capitulari pro informatione, & voto, transmissa fundatione, auditis; & referat de qualitate Beneficii, etiam inspectis decretis Sac. Visitationis, & aliis præsentationibus, & an tempus ad præsentandum effluxerit.*

Hæc igitur Astensis Vicarius Capitularis. *Fundationis Capellaniæ Divi Thomæ tabulæ nec in Archivio Majoris Ecclesiæ, nec penes Heredes* (ultimi Possessoris) *adinveniri potuerunt. Attamen anno 1568. novis confectis Statutis, titulo de residentia facienda, & quomodo omnes Beneficiati tenentur esse Sacerdotes; sic a Capitulo cautum reperitur = Item cum ex antiquis hujus Ecclesiæ Statutis, & consuetudinibus constet, Præbendas omnes esse sacerdotales, neque alicui eorum fructus percipere licere, nisi sit Sacerdos; de novo igitur statuimus, ut qui Sacerdotes non fuerint, Præbendarum suarum fructus non percipiant = &*

exin-

exinde Capitulum, Concilii Tridentini sibi etiam fovere existimans sessionem 24. cap. 12., fuit in sententia, nemini esse concedendas, qui intra annum ad Sacerdotium promoveri non valeat, nisi de dispensatione Apostolica Capitulum edoceat.

Non constare, ait = *ex decem decretis Visitationum Pastoralium adhuc extantibus, an presbyteralis sit Capellania, de qua agitur* = Antiquam memorat institutionem Clerici Joannis Dominici Boschetto, qui anno 1639. *admissus fuit ad possessionem Capellaniæ, die* 2. *Junii* 1740. *Sacerdos est ordinatus, & die* 6. *Julii ad quotidianas Distributiones percipiendas adscriptus*, aliasque innuit institutiones annorum 1664. 1667. 1719. 1759., ex quibus de presbyterali constat Capellaniæ qualitate. Tempus Patronis ad præsentandum non effluxisse testatur, & ita concludit=*Igitur favere dignemini, Eminentissimi Principes, votis supplicantis apud Sanctissimum Dominum. Ipse, & Patroni mecum Deum rogabunt, ut ad totius Christiani Populi bonum, & commodum diutius sospitet, & annos addat EE. Vestris.*

Quærendum primo de qualitate Capellaniæ. Deficiente fundationis lege, præsumenda esset clericalis, *Piton. de controv. Patron. allegat.* 100. *num.* 159., *Pignatell. consult.*4. *num.* 4. *tom.* 7., *Garz. de Benefic. part.* 7. *cap.* 1. *§.* 1. *num.* 85. Maxime, quia in Instrumento ejus dotationis nullum legitur onus celebrandi per se ipsum. Notanda tamen sunt antiquissima Cathedralis Ecclesiæ Statuta, & centenaria observantia. Ex his namque sacerdotalem Beneficii qualitatem desumunt *Card. de Luc. de Benefic. disc.* 61. *num.* 13. *Constantin. vot.* 306. *num.* 6., & *Sacra hæc Congregatio in Perusina Capellaniæ* 19. *Januarii currentis anni ad primum Dubium.*

Quatenus igitur Emi Patres sacerdotalem dijudicabunt Capellaniam, deliberandum erit secundo de dispensatione. Justa sane requiritur causa, ut concedatur, *Fagnan. in lib.* 1. *Decretal. cap.* 2. *sub num.* 40. *de Bigam. non ordinan.* Hæ autem in nostro themate sunt causæ. *Valde tenue* [Vicarii Capitularis testimonio] *residentiale Beneficium*: consensus Capituli; nam = *exhibita a Clerico Petro Schiavini tali dispensatione, postulatam Capellaniæ Divi Thomæ possessionem eidem ulterius minime denegat*: ac Patronorum tandem, & Vicarii Capitularis preces.

Respondere igitur dignentur EE. Vestræ.

I. *An Capellania, de qua agitur, sit clericalis, seu potius sacerdotalis in casu &c.*

Et quatenus sit sacerdotalis.

II. *An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu &c.*

Die Sabbathi 20. Septembris 1788. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

MACERATEN. EMPHYTEUSIS. Hæc & altera, quæ sequitur Causa, reliquiæ sunt præcedentis Folii 30. Augusti. *Sess. 25. cap. 11. de Reform.*

I. *An constet de nullitate emphyteusis in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro illius sanatione in casu &c.*

Ad Primum: Negativè, & Literas Apostolicas esse corrigendas, & amplius.

Ad Secundum: Provisum in primo, & amplius.

ASTEN. *Sess. 25. cap. 12. de Reform.*

I. *An Capellania, de qua agitur, sit clericalis, seu potius sacerdotalis in casu &c.*

Et quatenus sit sacerdotalis.

II. *An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu &c.*

Ad Primum: Negativè ad primam partem, affirmativè ad secundam.

Ad Secundum: Affirmativè, donec ad Legitimam pervenerit ætatem.

Sess.24.cap.12. de Reform.

SUTRINA. Ad collegialem investigandam qualitatem Parochialis Ecclesiae S. Andreae Apostoli Roncilionis, praecisumque Beneficiatorum ejus servitium, dilata primum haec Causa fuit die 21. Aprilis 1787., iterumque die 24 elapsi Maii. Sub judice adhuc remansit die 9. praecedentis Augusti per rescriptum; *Ad primum iterum proponatur; in reliquis dilata*. Ideoque deliberandum est ab EE. Vestris in hodierna Congregatione.

I. *An, & quomodo Beneficiati Ecclesiae S. Andreae teneantur praestare eidem Ecclesiae servitium per hebdomadam in casu &c.*

II. *An iidem Beneficiati participes esse debeant emolumentorum Funerum, & Missarum, quae dictae Ecclesiae offeruntur, & Rector ejusdem Ecclesiae cogatur eos privative vocare pro exequiis Defunctorum in casu &c.*

III. *An ipsius Ecclesiae Beneficia sint simplicia, itaut retineri valeant cum Beneficiis residentialibus in casu &c.*

Ad Primum; Affirmativè juxta Decretum Episcopi Silvestri anni 1753.

Ad Secundum; Affirmativè in omnibus.

Ad Tertium; Affirmativè in omnibus, servata Dispositione Concilii Tridentini Sess. 24. cap. 17. de Reformat.

Sess.25.cap.19. de Regular.

BRACHAREN. RESTITUTIONIS IN INTEGRUM. Tres Joseph Rebellus, defuncta Uxore, DEO consecrare statuit Filias, quarum novissima erat Rosa Luciana. Eis idcirco custodem posuit Ancillam, ne alios omnino, praeter designatos Consanguineos alloquerentur; cognitaque Rosae Lucianae reluctantia, quam verbis exprimebat & lacrymis, minas tandem adhibuit. Ita sub formali examine Testes quinque, quos inter germanus ejus Frater natu minor. Ingressae igitur fuerunt Puellae Monasterium B. M. Virginis *dos Remedios*, religio-

giosumque habitum recusavit primum, deindeque ad iteratas Patris minas, cum reliquis induit Rosa Luciana *die* 1. *Januarii* 1777., decimo sexto expleto aetatis anno.

Toto probationis tempore in maerore fuit & tristitia, seque lacrymans a profitendo alienam dictitabat, ut prae ceteris Testibus, pleraeque affirmant Moniales. Imminente professionis die, infirmitatem simulavit, explere Religionem cum Sororibus de more admitti postularet. Sed gravioribus infectata minis, assuetam tandem explevit petitionem, ventumque est ad explorationem voluntatis ex praescripto *Sac. Conc. Tridentini sess.* 25. *cap.* 17. *de Regular.* Ad eam tamen adstitit Pater; lenteque Rosa Luciana ad emittendam professionem procedens, superimpositam capiti coronam abjecit. Saepe hinc de involuntaria querens professione, Religionis officia negligebat, gravique etiam, prae aegritudine, affecta est morbo. Ejus tamen nullitatem, sive imbecillitate sexus, sive Patris timore, ad Judicem intra quinquennium non detulit. Id fecit tandem anno 1785. per supplicem libellum Sanctissimo. Re ad Sac. hanc Congregationem delegata, confectus est, ea jubente, formalis Processus *ad formam Benedictinae*, ac infrascriptum modo proponitur Dubium.

Haec porro est Officialis Bracharensis sententia. *Votum meum*, inquit, *pro negatione restitutionis stat. Varietas Testium, quae facit rem dubiam, & ideo favore professionis judicandum: actus approbativi status religiosi paullo ante professionem, & post eam aliquot anni continuati; existentia Patris, adhuc in vivis agentis, cujus timor, & asperitas pro causa & origine nullitatis professionis toties inculcatur, quae si vera esset, etiam nunc existeret.*

Ut eis consulerent, qui religiosam professionem vel aetatis imbecillitate, vel metu emisissent, prudenter quinquennium *Tridentini Patres* ad proponendam illius nullitatem indulserunt. Ne diutius vero cum maxima Christianae Reipublicae perturbatione incertus esset ipsorum status, pari prudentia decreverunt, audiendas amplius, eo elapso, non esse nullitatis querelas. *Ita Sess.* 25. *cap.* 19. *de Regular.* Conciliaris tamen haec dispositio procedit, ubi contrariam Professi non declaraverint voluntatem. Satis enim sunt ad tacitam excludendam professionis ratihabitionem, quae ex quinquennii lapsu desumitur, extrajudiciales etiam conquestiones, *Gloss. in Cap. Tuam verb.*

verb. signatus de privileg.. *Card. de Luc. de Regular. discurs.* 48. *num.* 5., & *Sacra hæc Congregatio in Spoletana Nullitatis Professionis* 29. *Novembris* 1777., & *in Ampurien. Nullitatis Professionis* 20. *Januarii* 1787., ac justam præbent restitutionis in integrum causam, *Passerin. de Stat. Homin. tom.* 3. *quæst.* 189. *art*- 10. *num.* 418., *Ursaya discept.* 17. *num.* 27. *tom.* 5. *part.* 5., & *Sacra Congregatio in Nolana Restitutionis in integrum* 19. *Novembris* 1757., & 18. *Februarii* 1758., & *Grationopolitana Restitutionis in integrum* 15. *Decembris* 1770.

Qualis intra quinquennium fuerit Rosæ Lucianæ animus, luculentius, inquit ejus Defensor, ex iis colligitur, quæ professionem præcesserunt, & concomitata sunt. Rigida ejus custodia, & minæ priusquam Monasterium ingrederetur, initia videri possent meticulosæ professionis, *Ciarlin. controv.* 108. *num.* 48., *Pignatell. consult.* 180. *numer.* 12. *tom.* 9., *Ursaya discept.* 1. *num.* 10. *tom.* 1. *part.* 1., & *discept.* 17. *num.* 31. *to.* 5. *part.* 1. Maxime, quia plurium Testium dicto, res erat cum Patre *di naturale aspro, e precipitato nelle sue azioni*, & versabantur minæ circa necessaria subsidia vitæ, libertatem, honorem. Præ ceteris enim minitari solebat perpetuam illius detrusionem inter Mulieres pænitentes. Suspiria accedunt & lacrymæ, ex quibus coactam desumunt voluntatem *Ciarlin. citat. controv.* 108. *sub numer*, 1. & *num.* 53. *Ursaya discept.* 20. *num.* 18. & *seqq. tom.* 1. *part.* 1.

Monasterium hoc pacto ingressa, religiosum habitum initio respuit Puella, ac sæpe deinde, eo assumpto, futuram professionem reprobavit. Ex his profecto Profitentis metum probant *Ursaya discept.* 1. §. 3, *num.* 37. *tom.* 4., *Panimoll. dec.* 102. *num.* 12. Plura alia in novitiatu dedit aversi animi argumenta, de quibus omnes fere Moniales. Graviores immo ad pervigilium professionis passa est minas; præsentem explorationi voluntatis habuit Patrem; coronam abjecit. Ad hæc Eminentissimi Patres advertant, suaque prudentia judicent, num voluntatem in instanti mutare potuerit, ac libere profiteri, contra præsumptionem Juris, de qua *Ursaya discept.* 3. *nu.* 36. & *seq. tom.* 1. *part.* 1.

Sunt quidem *Doctores*, qui adeo gravem pro nullitate professionis non requirunt metum, graves nempe sævi Patris minas in imbecillem Puellam, satisque censent metum reverentialem; quum ita a natura constituti sint Fi-

lii

lii, imbecillis præsertim sexus, ut Patris imperio resistere nequeant, *Pignatell. consult.* 180. *num.* 5. *tom.* 9., *Ferrar. in Biblioth. legal. verb. metus num.* 22., & *Rot. cor. Roxas decis.* 491. *num* 6. Nec desunt, qui importunas etiam sufficere autumant suasiones & preces; nam in eo, qui jubere potest, naturam assumunt imperii, vimque habent necessitatis, *Avendan. de metu lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 24., *Piton. discept. Eccles.* 33. *in fin. tom.* 1., & *Rot. in Gadicen. Nullitatis Matrimonii* 8. *Februarii* 1765. §. 4. *coram Eminentissimo de Zelada*.

Eadem fuit Rosæ Lucianæ voluntas sequenti quinquennio, nec umquam professioni acquievit, ut plerique deponunt Testes. Has autem ipsa allegat causas, cur formalem nullitatis professionis querelam non proposuerit. Sub perpetua erat directione Confessarii, quem ei Pater ante assumptionem religiosi habitus destinaverat. Durabat adhuc, vivente Patre metus, qui lapsum impedit quinquennii, *Pignatell. consult.* 173. *num.* 6., & *seqq. tom.* 9., *Ursaya discept.* 20. *num.* 123. *tom. primo par. prima*, *Panimoll. decis.* 29. *num.* 44., & *seqq.*, ac justa post longissimum etiam tempus reputari solet reclamandi causa, ut plurimis collectis Sacræ hujus Congregationis resolutionibus, probat *Ursaya discept. prima num.* 44. *tom. primo part. prima*. Et ignorabat tandem quinquennii Legem, ut in suo dixit constituto. Ubi autem verisimilis, & inculpata concurrit hujusce Legis ignorantia, ut facile accidit in Puellis, tunc denegare non solet Sacra Congregatio restitutionem in integrum, ut *in Lugdunen. Restitutionis in integrum* 18. *Novembris* 1702. *lib. Decret.* 52. *pag.* 406.

Muneri non deficit Professionis Defensor. Metum pro illius nullitate requirit, qui factorum experientia necessitatem inducat, *ad Textum in Leg. Metum Cod. de his, quæ vi, metusque Causa fiunt*. Sub assertione ipsius Josephi Rebelli Patris, ejusque natu majoris Filii graves illas inficiatur minas, de quibus tot fidem perhibent Testes. Antecedentia contemnit, concomitantia, & subsequentia contrariæ voluntatis argumenta, eo quod præcisum non percutiant professionis momentum. Unius, & alterius Monialis testimonio, consuetudini tribuit assistentiam Patris explorationi voluntatis; coronæ vero projectionem casui. Petitam extollit admissionem ad Religionem, quasi voluntatem Rosa Luciana in emittenda pro-

professione mutaverit. Lacrymas, & suspiria ad internum refert emissae professionis gaudium. Testimonium urget Abbatissae, & quarumdam Monialium, quae de voluntaria, & valida professione opinantur. Professionis ratihabitionem ex pacifica desumit perseverantia in Religione, *Pignattell. consult.* 88. *sub num.* 3. *tom. primo*. Ac falsum postremo asserit, quod non reclamaverit Rosa Luciana intra quinquennium ex paterno metu, dum eam adhuc vivens Pater ab hac proponenda nullitatis querela non continuit.

Pauca tamen ad haec notanda. Assertam consuetudinem assistendi explorationi voluntatis cumulatissime excludit Emanuel Alves Salgado, Ecclesiasticae Bracharensis Camerae Notarius. *Solitum exequendi minas requiritur in extraneis, non autem in Patre ad gravem incutiendum metum*, *Rota coram Emerix Jun. decis.* 870. *num.* 16., sufficitque ad irritandam professionem probabilis damni suspicio, *Ursaya discept. prima* §. 2. *num.* 24. *tom.* 4. *part. prima*. Perseverantia in Religione, si pluribus credendum est Testibus, & Monialibus, non fuit pacifica, semperque Rosa Luciana involuntariam professionem reprobavit. Gestatio religiosi habitus, & officiorum adimplementum nihili facit *Ursaya discept. prima num.* 59. *tom. primo part. prima*, quia *Moniales ante Sententiam declarantem nullitatem earum professionum, contradicere non possunt Abbatissae, & proinde omnes illarum operationes praesumuntur earum jussu factae*. Constitutum postremo Patris, ac depositiones natu majoris ejus Filii, Abbatissae, & unius vel alterius Monialis, plurimis aliis luculentissimis adversantur depositionibus.

Quaeritur itaque ab Emis Patribus.

An sit locus restitutioni in integrum in casu &c.

Affirmativè.

COR.

CORNETANA SUSPENSIONIS ONERIS MISSARUM. Ad reparandas domos Beneficii Vitellefchi, cujus titulo Sacros fufcepit Ordines Sacerdos Joannes Donati, EE. Veftras exoravit illius Æconomus pro abfolutione a Miffis non celebratis, earumque fufpenfione quoufque perficeretur opus, prodiitque die 8. Maii 1784. refcriptum: *Quoad præteritum, ad D. Secretarium cum Sanctiffimo. Quo vero ad futurum, fcribatur Epifcopo juxta mentem; & mens eft, quod celebretur Miffa una quolibet menfe ad fexennium, & Epifcopus, computata eleemosyna Miffæ manualis, affignet Beneficiato ex fructibus Præbendæ quantum deerit ad complementum taxæ Patrimonii Sacri juxta morem Diœcefis. Quod autem fuperfuerit, impendat in reftaurationem Domorum Beneficii. At fi Beneficiatus neglexerit vel refidentiam, vel alia munera Beneficio adnexa, tunc detrahantur punctaturæ ex fructibus dicti affignamenti, & idem Epifcopus curet, ut ad meliorem frugem reducatur Beneficiatus Juris remediis.* *Sefs.* 25. *cap.* 4. & 11. *de Reform.*

Jam altera ex domibus refecta eft, auctæque funt penfiones ab annuis fcutis 12. ad triginta. Operis sumptus fummam attingit scutorum 500., quorum 180. foluta funt ex redundantibus Beneficii fructibus. Remanent folvenda fcuta 320., vixque ad finem fexennii fupereffe poterunt fcuta 120. Poftulat igitur Æconomus, ut pro reliqua summa fcutorum 200. imponere liceat cenfum, ex penfionibus reftauratæ domus dimittendum. Orat rurfus pro ulteriori Miffarum fufpenfione ad extinctionem cenfus. Ac pro facultate tandem vendendi inutilem alteram Beneficii domunculam, pro qua oblatio eft fcutorum decem fupra faciendam æftimationem, cum promiffione folvendi annuos fructus fcutorum 3. 50. in fingula centum ufque ad folutionem pretii.

Hæc Eminentiffimus Epifcopus quoad creationem cenfus: *Ex reditibus Beneficii folo biennio, quod fupereft ad explendam adminiftrationem, non poteft tantum colligi, quantum pro nova domus ædificatione impendere neceffarium fuit. Confugiendum eft igitur ad æs alienum per impofitionem cenfus in fumma fcutorum bifcentum, quod dimittetur penfionibus e domo locata percipiendis. Quamvis autem æs alienum in præfentiarum conflandum fit ad Artificum operas ex parte fatisfaciendas; tamen depofitum penfionis fieri nequit fequentibus duobus annis*: *quippe eæ*

cum ceteris reditibus ad Artifices ipsos integre solidandos addictæ sunt. Nec æquum est, administrationem in longius tempus protrahere propter inopiam Beneficiati, quæ commiseratione digna est.

De ulteriori agens Missarum suspensione: *Ne Beneficiatus*, inquit, *privetur potiori parte reditus scutorum triginta, quæ percipiuntur ex prædictæ domus locatione, æquum videtur, ut iterum suspendantur onera Missarum quousque debitum fuerit extinctum; maxime, quia suo incommodo aucti sunt fructus Beneficii. Id vero, ut accurate perficiatur, committi non debet arbitrio Ipsius Beneficiati, sed idem Æconomus, seu alius deputandus, etiam post expletum sexennium, qui curam gerat de pensionibus hujus domus, de fructibus census solvendis, de residuo in Æde Sacra deponendo, deque extinctione debiti opportune præstanda.*

Dubitandum postremo non censet de alienatione domunculæ. *Ea enim in statu, quo describitur, prorsus inutilis est, nec restaurari potest sine magno sumptu, ad quem sustinendum impar est Beneficium, nec, si vires suppeterent, obtineri posset proventus pro ratione pec uniæ impendendæ.* Additque de interesse habentibus, quod Marchio Angelus Vitelleschi patronus *libere suum præbuit assensum cum primum hæc Causa anno* 1784. *proposita fuit in Sac. Congregatione, ut quæ ad meliorem Beneficii statum conducerent, pro Vestra sapientia decernerentur. Beneficiatus vero, cum in causa fuerit, ut neglectis opportuno tempore restaurationibus, domus jam antiquitate detritæ ac male sartæ, deteriori conditione fierent, non modo conqueri non debet, sed præclare secum ipse actum existimabit, si via ac ratio ab Æconomo exposita EE. Vestris probabitur, quæ & sibi utilitatem affert, & Beneficio incrementum.*

Utilior Beneficio videri posset dimissio scutorum 200. ex pensionibus domus, post sexennium decurrendis, quam ex præsenti creatione census. Citius enim fieret sine usura. Consultum etiam esset inopiæ Beneficiati; nam universalis redituum Beneficii administratio ad unam restringeretur domum. Ponderandum tamen, num major potius spectari debeat Beneficii utilitas, quam celerior mercedis solutio. Qui operam enim in reparanda domo præstiterunt, ejus conditionis non sunt, ut manuum suarum fructum diu expectare queant.

Sive uno autem, sive altero modo alienum æs dimittatur: æqui-

aequitati consona esset ulterior Missarum suspensio. Aucti enim sunt Beneficii fructus cum gravi incommodo Beneficiati, per erogationem scilicet ejus redituum in reparationem domus, & potiori adhuc privaretur illorum parte ad integram dimissionem debiti. Notandum tamen, quod lata ipsius Beneficiati culpa in deterius abierunt Beneficii domus, nilque aliud ei post generalem administrationem ex primaevo redito deerit, quam annua somma scutorum duodecim, quantum reparata domus reddebat.

Ex relatione tandem Emi Episcopi dijudicabunt Eminentiae Vestrae de utilitate venditionis alterius domus, quae in alienatione bonorum Ecclesiae, vel Beneficii requiritur, *Petr. ad Constit. Ambitiosae per tot. de Reb. Eccles. non elienan. tom.*5. Domus haec *prorsus inutilis est*. Deficiunt ad eam restaurandam nummi; nec pares impensae haberi possent fructus. In his sane terminis alienationem permittit *Innoc. III. in Cap. Cum Apostolica* 7. *de his, quae fiunt a Praelat. sine consens. Capit.*, quem sequuntur *Pignatell. consult.* 95. *num.* 35. *tom.* 6., *Schmier Jurispr. Canon. lib.*3. *tract.*1. *part.*2. *cap.*4. *sect.*3. §.1., *Schmalzgrueber cons.*91. §.14., *& Sacra haec Congregatio in Camerinen.* 24. *Novembris elapsi anni* 1787.

Deliberare ergo dignentur Emi Patres.

I. *An, & quomodo sit providendum pro dimissione Creditorum Beneficii in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit locus ulteriori Missarum suspensioni in casu &c.*

III. *An, & quomodo sit locus venditioni domus in casu &c.*

Ad primum: Affirmativè pro creatione Census juxta Votum Emi Episcopi.

Ad secundum: Affirmativè juxta Votum Emi Episcopi ad triennium.

Ad tertium: Affirmativè juxta Votum Eminentissimi Episcopi.

Sess. 22. *Decret. de Observan., & evitan. in celeb. Miss.*, & *Sess.* 24. *cap.* 15. *de Reform.*

LAQUEDONIEN. Defecto penitus decimandi jure, quo Capitulum Cathedralis Ecclesiae Laquedoniae fruebatur, quotidianae etiam defecerunt distributiones, ipsaeque imminutae sunt canonicales Praebendae. Dispensationem idcirco postularunt Canonici ab applicatione Missae Conventualis pro Benefactoribus, testaturque EE. Vestris Episcopus = *Capitulum hujusce Cathedralis Ecclesiae ex quinque Dignitatibus*, & *septem Canonicis conflatum, pro quotidiano Chori servitio, cui omnes incumbere debent, adeo emolumentis temporalibus carere, ut nullae sint praebendae, nullaeque distributiones quotidianae. Vix vero unumquemque ex iisdem Dignitatibus*, & *Canonicis ex reditibus piorum Legatorum percipere annuam circiter summam ducatorum hujus monetae* (Regni) *quinquaginta sex cum dimidio, sed cum onere celebrandi Missas circiter* 146. *ultra ratam Missarum Conventualium*.

Atque ex his censuit = *quod deficientibus tum praebendis, tum etiam distributionibus quotidianis*, & *praesertim bonis liberis; seu quae a pia* & *mera Fidelium, sive Benefactorum in genere largitione proveniant, sed omnia oneribus Missarum peculiariter sint obnoxia, amplissimam indulgentiam ipsos Canonicos promereri, utpote pauperes, miseros, & congruis stipendiis pro quotidiano Chori servitio penitus destitutos*. Re tamen inter summaria precum in Congregatione 15. Septembris elapsi anni 1787. relata, instantiam Emi Patres rejecerunt per rescriptum *Lectum*. Redeunt modo Oratores pro gratia, iterumque inopia pressi clementiam Vestram implorant.

Inducta primum in Cathedralibus Ecclesiis, insignibusque Collegiatis fuit Conventualis Missa ab Honorio III. *in Cap. Cum creatura* 11. *de celebrat. Miss.*, semperque habita est ut pars Divini Officii, *Can. De his dist.* 12. *gloss. in Clement.* 1. *de celebrat. Miss.* In veteri tamen confirmando Jure respexit Benedictus XIV. in Encyclica, *Cum semper oblatas* ad tenuitatem Praebendarum, ac tunc demum onus illud reduci posse permisit ad dies festos, cum cetera deessent remedia *a Sacro Concilio Tridentino* proposita *in Sess.* 24. *cap.* 15. *de Reform.*, vel nempe, ut *aliquot simplicia Beneficia, non tamen regularia* canonicalibus Praebendis uniantur, vel ut *aliquibus ex iis* (Praebendis) *suppressis, ad pauciorem numerum* reducantur. Sunt quidem rigidiores *Doctores*, qui neque ex Praebendarum tenuitate reducendam esse putant Conventualis Mis-

sæ applicationem, ac præ cæteris *Monacell. tom.* 1. *in append. ad Dec. de celebrat. Miss. num.* 12. Sed non raro hujusmodi reductionem ad dies festos concessit Sacra Congregatio, *ut in Narnien.* 12. *Junii* 1712. *lib. Decret.* 62. *fol.* 211., *in Veliterna* 14. *Martii* 1722., in qua ad III. Dubium = *An, & quæ exemptio, sive a celebratione, sive ab applicatione Missæ Conventualis attenta Præbendarum tenuitate sit indulgenda* = responsum fuit = *Posse indulgeri, ut Missas applicent diebus tantum festis de præcepto* = *in Spoletana* 5. *Decembris ejusdem anni*, *in Spalaten. Applicationis Missæ Conventualis* 23. *Julii* 1729. *in Amerina* 12. *Martii* 1746., *in Alexandrina* 23. *Novembris* 1776., *in Placentina* 1. *Martii* 1777., *in Placentina* 30. *Junii* 1785., *& in Setina Chori, & Missæ Conventualis* 21. *Januarii* 1786.

Quæ sint canonicales Laquedoniensis Capituli Præbendæ, jam in facto præmonui. Eas censet Episcopus tenues, licet annua cujusque summa ad ducatos ascendat 56. 50. Singuli enim Canonici, præter quotidianum servitium Chori, annuo gravanter onere Missarum 140., nec tantum eis superest, ut dignitatem suam decenter exhibeant. Utrum vero sperare valeant simplicium Beneficiorum unionem, qui decimas amiserunt, vel duodenarius in Ecclesia Cathedrali imminui debeat Canonicorum numerus, ut reliquorum Præbendæ augeantur, EE. Patres decernent.

Quæritur ergo

An, & quomodo sit locus applicationi Missæ Conventualis in casu &c.

Affirmativè ad dies festos de præcepto tantum.

SIGNI-

Sess.22. cap.6. & Sess. 25. c.4. de Reform.

SIGNINA. Conjuges Franciscus Mastroni, & Anna Pomponj, uno sub annum 1777. condito Testamento, vicissim se usufructuarios scripserunt heredes, tributa superstiti in casu necessitatis facultate alienandi; proprietariam vero Capellaniam erigendam ad Altare S. Vincentii Ferreri in Ecclesia SS. Rosarii Montis Fortini cum annuo onere Missarum 300., quarum numerus, ob facultatem alienandi, servata proportione minui posset. Primus obiit Vir, ejusque Vidua ad secunda transiit vota cum Petro Antonio Bucci, cum quo per annos octo, menses tres hereditatis fructus percepit. Morti proxima, priorem mutavit voluntatem, sibique heredem fecit secundum Virum in usufructu, Canonicum vero Camillum de Rubeis, deindeque Franciscum Mariam illius nepotem, ejusque Descendentes in proprietate, cum onere menstrui Sacri ad idem Altare.

Par utraque hereditas non est ex primo Testamento oneri Capellaniae. Universa enim Testatorum bona valorem attingunt scutorum 659. 85., quorum 336. 85. ad hereditatem Mastroni, reliqua 323. ad alteram pertinent Pomponj; annui vero eorum fructus non excedunt, detractis oneribus, scuta 22. ad rationem scutorum 4. in singula centum. Num haec ab initio fuerit utriusque Testatoris substantia, vel ex permissa alienatione imminuta sit, ignoratur. Ob ejus igitur tenuitatem EE. Vestras rogavit Parochus Silvester Guglielmetti, testamentarius Mastronii, & Pomponiae executor, pro reductione Missarum, precibusque ad Signinum Episcopum pro informatione remissis, nullum censet secundum Mulieris Testamentum, ex quo *primi sui Viri dispositionem acceptavit, illiusque rerum per novem fere annos fuit usufructu gavisa*; indulgendam vero reductionem, sive ex una & altera hereditate, sive ex illa tantum Mastroni Capellania erigatur, in primo scilicet casu ad annuas Missas 150, , in secundo ad 75. cum eleemosyna obolorum 15. pro qualibet, *quia agitur de celebratione in Ecclesia, & Altari a Legante designato*, injuncto tamen Capellano sacrorum utensilium onere.

Interpellato Buccio, usufructuario Mulieris herede, & Francisco Maria de Rubeis proprietario (decessit enim Canonicus Camillus) ad deducendum eorum jura in Sacra Congregatione, consensum *extrajudicialiter* praestiterunt erectioni Capellaniae ex una hereditate Mastroni.

Hoc

Hoc ipsum modo *formiter* sustinent, ac nedum secundum tuentur Testamentum, sed eximere etiam conantur hereditatem Annae a restitutione fructuum, quos ex hereditariis primi Viri bonis percepit. Tria igitur juxta subjectam materiam proponuntur Dubia.

Quaeritur *primo*, an erigenda sit Capellania ex bonis dumtaxat Mastroni, eo quod aliter Anna in secundo Testamento de suis disposuit, seu ex utraque potius hereditate. Dubium non est, quin *Maritus*, & *Uxor possint simul in una, & eadem charta facere Testamentum*, ut probat *Spin. specul. Testament. gloss. rubr. part. 2. sub num. 9. vers. Hoc posito*. Utrum illud vero revocare valeat superstes quoad propria bona, non conveniunt *Doctores*. Ad rem prae ceteris negat *Spin. gloss. 18. principal. de meliorat. sub num. 55.* in haec verba: *Quando Uxor simul cum Marito constituunt Capellaniam, quod unus ex eis illam faciat, & instituatur ex bonis alterius, altero consentiente, superstes non poterit illam revocare*.

Affirmant alii. Quum enim libera cuique sit disponendi facultas usque ad mortem, §. *Posteriore Instit. Quib. mod. Testam. infirm.*, adimi idcirco non posse contendunt per mutuam institutionem in heredes, & *censentur* (Testatores) *accomodasse propriam intentionem ad naturam actus, omnino & semper revocabilis, & qui ab alterius voluntate pendere non potest, ac per consequens voluisse sic se invicem instituere, ut cuilibet ipsius maneret libera revocandi facultas*, ut differit *Calcagnin. de variat. ultim. volunt. art. 2. num. 83. tom. 1.*, & *Mynsinger. observ. 8. num. 2. centur. 1. limit. 2.* Idque locum obtinere ajunt, etiamsi Maritus, & Uxor de non revocando Testamento convenerint. Pactum enim hoc laesivum esset libertatis, nec efficere posset irrevocabile, quod a libera pendet disponentis voluntate, *Vasq. de success. lib. 1. §. 1. num. 10.*, *Castill. part. 2. controv. cap. 18.*, *Calcagnin. loc. cit. num. 79.*

Quatenus autem EE. Vestrae validam censeant secundam Mulieris dispositionem, deliberandum erit juxta *secundum Dubium* de fructibus bonorum Mastroni, quos illa ex primo Testamento percepit. Suos Anna fecisse videtur, eo quod instituta fuit in ususfructu absque ulla conditione. Onus enim erigendi Capellaniam additum est post quaesitum emolumentum. Contrarium sentiunt *Castill. loc. cit. num. 56.*, & 63., & *Calcagnin. d. art. 2. num. 80. & seq.*

& seq., ne revocans Testamentum *ex dolo suo commodum referat.* Ducto autem calculo a mense Februario 1778., quo decessit Mastronius, ad mensem Maii 1786., quo obiit Pomponia, & sic per annos octo, menses tres, restituenda essent pro perceptis fructibus scutorum 336.85., ad rationem scutorum 4. pro quolibet centenario, scuta 111. 21.

Notandum postremo ad *tertium Dubium*, nec utriusque hereditatis reditus pares esse oneri Missarum 300. ad manualem. Haud imminuti apparent culpa Usufructuariæ, cui facultas de cetero erat alienandi; justamque idcirco præbere possent reductionis causam, *Monacell. formul. legal.* 19. *tit.*20. *part.* 1. *num.*25., *& Sac. hæc Congregatio in Senogallien. Reductionis* 10. *Maii* 1783. Res præterea est de perpetua Capellania nondum erecta, & acceptata, quo casu fieri solet reductio ad taxam perpetuæ, *ut in Fanen. Reductionis Missarum* 14. *Februarii* 1761. Concurrit etiam designatio Ecclesiæ, & Altaris, quam ad hanc statuendam taxam in pretio habuit Sacra Congregatio *in Aquen. Reductionis* 19. *Decembris* 1772. At ipsa postremo urget prioris Testamenti litera, quod nempe *il detto superstite abbia ancora la libertà di nuovamente disporre per accrescere, o diminuire il sudetto numero di Messe relativamente, e proporzionatamente al detto asse ereditario, che allora si troverà.*

Dubia sunt.

I. *An, & ex quibus bonis sit erigenda Capellania in casu &c.* Et quatenus affirmativè ex bonis dumtaxat hereditariis Francisci Mastroni.

II. *An hæreditas Annæ Pomponj teneatur restituere fructus a dd. bonis perceptos, a quo tempore, & in qua summa in casu &c.*

III. *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Non proposita cum sequentibus.

ROMA-

ROMANA. Proposito in Congregatione 24. Martii 1787. Dubio = *An sit consulendum Sanctissimo pro cumulo quatuor dotium, ad Oratorum nominationem spectantium, usque ad summam scutorum* 1000: *favore Isabellæ Bacchettoni annorum undecim, etiam pro Matrimonio carnali in casu &c.*, EE. Vestræ rescripserunt *Negativè*. Redit nunc suo nomine Isabella *pro recessu a decisis*, sibique etiam tribuit singularem illam providentiam, qua consultum voluit Testator prædilectæ nepti Argentinæ Beger per cumulum scutorum 300., si in sæculo nuberet. Hoc ipsum suadere studet de cumulo scutorum 800, quod aliis quoque Neptibus in Domino nubentibus permisit. Valdeque præsumptam urget illius voluntatem, quasi petitum cumulum, si viveret, denegaturus non esset. *Sess.* 22. *cap.* 6. *de Reform.*

Trahi nec ne ad Oratricem valeant, quæ Neptum favore Testator disposuit, vel tacita ei illius voluntas prodesse, ex iis Eminentissimi Patres decernent, quæ notata sunt *in Folio* 3. *Martii elapsi anni*. Iterum vero ponderandum, dotalis cumuli beneficium in usus Testatoris Neptes collatum fuisse, ab eoque ipsarum Descendentes per uncialia hæc verba excludi = *a favore delle sue Nipoti carnali sole, e non altre Discendenti da esse*.

Respondere igitur dignentur EE. Vestræ.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

TRIDENTINA. Duo in Parochiali Ecclesia Thall Vallis Annaniæ, de Patronatu Familiæ Panizza, simplicia sunt Beneficia, quorum uni hebdomadales incumbunt Missæ tres, alteri quatuor. Idem vero utrique celebrationis onus ad Altare Sancti Victoris feria III. Primum possidens, præsentatus fuit Sacerdos Joseph Panizza ad secundum. Ei ob incompatibilitatem duplicis Sacri feria III., Sacerdos restitit Udalricus Barbacovi, qui subsidiariam passivi patronatus vocationem habet. Rem tamen composuit transactio, quam Tridentinus *Sess.* 24. *cap.* 17. *de Reform.*

Vicarius Generalis conciliavit. Haec sunt ejus Capita: I. Consensum praestitit Barbacovius institutioni Sacerdotis Panizza ad secundum Beneficium ob tenuitatem primi. II. Ei cessit Panizza tamquam suo substituto jus celebrandi alterum e duobus Sacris feria III. Eleemosynam pro hac celebratione pollicitus est obolorum 40. monetae Romanae pro quolibet Sacro. IV. Pro faciliori ejus exactione jus cessit exigendi conventam summam a Livellariis Beneficii. V. Onus assumpsit impetrandi communi sumptu Apostolicam concordiae approbationem. VI. Aeque inter se acti judicii expensas partiti sunt. VII. Intacta voluerunt super utroque Beneficio aliorum jura.

Sanctissimo igitur Domino Nostro supplicarunt Transigentes tum pro dispensatione ad duo Beneficia sub eodem tecto, cum pro approbatione transactionis; precibusque ad Sacram hanc Congregationem remissis, nihil Episcopus obstare censuit, *quominus eadem concordia Apostolica auctoritate approbari possit, & valeat*; *concessa proinde Presbytero Panizza petita dispensatione ad duo sub eodem tecto*. Idemque arbitrati sunt Ministri Datariae Apostolicae in haec verba: *Summopere ii laudare profitentur* (concordiam) *ut digna sit approbatione cum postulata dispensatione ad duo sub eodem tecto, concedi solita; praesertim in Juribuspatronatus, impedimento incompatibilitatis sublato.*

Beneficiorum pluritatem permittit *Tridentina Synodus Sess.* 24. *cap.* 17. *de Reform.*, *si ad vitam ejus, cui* (unum Beneficium) *confertur, honeste sustendandam non sufficiat*. Secundum in hoc casu conferre potest Episcopus, quoties simplex sit, personalem non requirat residentiam, uniforme non sit primo, & sub eodem tecto, *Gallemart. ibid. num.*3. His enim concurentibus, Apostolica opus est dispensatione, ut pluribus collectis, probat *Ferrar. in Biblioth. legal. verb. Beneficium cap.*6. *num.*54. Uniformia autem, & similia dicuntur Beneficia, quae in una ad eumdem finem instituta sint Ecclesia, *idemque habeant onus & officium, eodem tempore peragendum*, *Piasec. in prax. Episc. part.*2. *cap.*5. *art.*3. *num.* 73. Libere quidem dispensare valet Summus Pontifex ad duo hujus generis Beneficia. Non solet tamen, *nisi justa, & rationabili causa accedente*, *Ferrar. loc. cit. num.* 49., tresque sunt ejus species: necessitas: Ecclesiae utilitas: merita; *Abbas in cap.* 27. *de Praeben. num.* 7., *Pirhing. lib.* 3. *tit.* 5. *sect.* 5. *de Praeben. num.* 191. Sub

Sub eodem Beneficio, de quibus agitur, existunt tecto, & in hoc sunt uniformia, quod onus utrique est celebrationis feria III. Primum, quod Sacerdos possidet Panizza, ad congruam ejus sustentationem, testimonio Episcopi, non sufficit. Ad meritorum causam traduci posset Fundatorum prædilectio erga illius Familiam, de qua & ipsi fuerunt. Eorum secundus, qui alterum feria III. demandavit Sacrum, priorem suorum Majorum fundationem fortasse non ignorabat, facilique negotio ad Beneficiorum incompatibilitatem advertere poterat, si in uno Familiæ superstite coaluissent. Hæc sunt quoad dispensationem ponderanda.

Quo vero ad concordiam: Simoniaca videri posset cessio ecclesiastici Beneficii, & correspectiva eleemosynæ Missarum, ac sumptuum litis promissio; *nam in beneficialibus actus reciproci, videlicet facio ut facias, vel do ut facias, inducunt simoniam*, ut in hæc verba monet *Redoan. de Simon. part.*2. *cap.*11. *num.*16. Aliquid profecto dare licet ad injustam redimendam vexationem ex Decretali *Cælestini III.* relata *Cap. Dilectus* 18. *de Simon.*, quam exornant *Fagnan. in Cap. Nobis eod. tit. num.*104., *Pichl. comment. in lib.*5. *Decretal. tit.*3. *de Simon. num.* 37., & *Benedict. XIV. Instit.*93. *num.*2., sed hoc in nostro themate ponderandum, num injusta fuerit vexatio Barbacovii, qui subsidiarie vocatus est ad Beneficium, quod consequi Panizza non potest absque dispensatione.

Animadversionem contra merentur recessus a lite, & Beneplaciti Apostolici reservatio. Ex utraque enim circumstantia simoniam excusant *Doctores*. Ita de prima *Redoan. de Simon. part.* 2. *cap.* 2. *num.* 14., ibi = *In beneficialibus, & spiritualibus pro recedendo a lite fiunt licite pacta, & conventiones, & licite aliquid datur ratione impensarum, ut a lite recedatur, & pro concordia, & non dicitur simoniacum*. Et ita de secunda *Fagnan. in lib.*1.*Decretal.Cap. Cum pridem* 4. *de pact.* *Partes*, inquit, *non solum tractare possunt, sed etiam concludere sub expressa conditione & reservatione, si Superiori placuerit, quia talis conclusio non est conclusio, cum suspendatur usque ad Superioris consensum*.

Simpliciter de cetero demandarunt Fundatores celebrationem Missarum, absque ulla personali celebrantis nota. Hoc sane casu per alium expleri posse censet *Fagna. in Cap. Conquerentem de Cleric. non residen. num.*66. Id utique

que, Tridentino suadente Vicario Generali, per concordiam factum est quoad alteram ex Missis celebrandis feria III., & celebrationis consectaria sunt eleemosynæ promissio, & facultas eam exigendi a Livellariis Beneficii. His omnibus igitur perpensis, deliberare dignentur Emi Patres.

I. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione ad duo simplicia sub eodem tecto in casu &c.*

Et quatenus affirmative.

II. *An, & quomodo sit approbanda concordia in casu &c.*

Die Sabbathi 29. Novembris 1788. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

TRes ex præcedenti Folio diei 20. Septembris, reliquæ ex præsenti decidendæ sunt Causæ.

SIGNINA. *Sess. 22. cap. 6. & sess. 25. cap. 4. de Reform.*

I. *An, & ex quibus bonis sit erigenda Capellania in casu &c.*

Et quatenus affirmative ex bonis dumtaxat hæreditatis Francisci Mastroni.

II. *An hereditas Annæ Pomponj teneatur restituere fructus a dd. bonis perceptos, a quo tempore, & in qua summa in casu &c.*

III. *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

Ad I. Affirmative ex bonis hereditariis Francisci Mastroni, & amplius.

Ad II. Negative in omnibus, & amplius.

Ad III. Reducendas esse Missas ad annuas 75. ad rationem obulorum 15., injuncto onere Capellano Utensilium, & amplius.

ROMANA. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

TRI-

Seſſ. 24. cap. 17. de Reform.

TRIDENTINA.

I. *An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro diſpenſatione ad duo ſimplicia ſub eodem tecto in caſu &c.*

Et quatenus affirmativè.

II. *An, & quomodo ſit approbanda Concordia in caſu &c.*

Ad I. Affirmativè.

Ad II. Affirmativè juxta votum Epiſcopi.

Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.

CÆSENATEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM. Sub reſervatione uſusfructus & ſcutorum 300. ad effectum teſtandi, donavit anno 1617. Petrus Jacobus Beccari Imagini B. M. Virginis de Populo, quæ in Cathedrali veneratur Eccleſia Cæſenæ, eoque titulo addictum habet Sodalitium = *tutti i Beni ſtabili, mobili, e per ſe moventi, preſenti ed avvenire inter vivos* = exceptis bonis in diviſione obligatis Familiæ Camilli Beccari pro ſumma ſcutorum 900. Ita autem partitus fuit reditus: annua ſcuta viginti pro ſolemni Laudum muſica quolibet ſabbatho: alia triginta Capellano, qui Sacrum ad Altare B. M. Virginis quotidie celebrare, quaterque ſingulis hebdomadis Choro intereſſe deberet: reliquam omnem ſummam in tot dotes lirarum 100. ſub lege = *che nell'eleggere le Donzelle ſia preferita, ſe mai alcuna ve ne foſſe diſcendente dal qu. Cap. Camillo Beccari, tanto per linea maſcolina, quanto per linea feminina: ed in tal caſo a una ſola di tali linee voglio che ſe li dia tutto il ſudetto reſtante della ſudetta entrata; e ſe più ve ne foſſero di dette linee in un iſteſſo grado, ſia preferita la piu povera, purche ſia oneſta, e l'altra aſpetti all'altro anno.*

Diu ſupervixit Donator, diverſaque lege donavit anno 1650. bona poſt primam donationem quæſita; quod nempe = *li frutti ed entrate dei Beni compreſi in queſta donazione, non devono in modo alcuno ſoggiacere ai peſi ed obblighi di officiatura, muſica, maritaggio di Zitelle, ed altro, che ſi con-*

si contenga in detta prima donazione ; ma che dei medesimi frutti ed entrate possano li Priori e Confratelli della detta Confraternita disporre secondo il loro arbitrio in servizio di essa Sacrosanta Immagine = addiditque = *che le Zitelle da maritarsi siano solamente due l'anno , e non più , alle quali se le diano le lire cento per ciascheduna .*

Quibus Puellis a Camillo Beccari descendentibus , & in qua antiquitus summa praestita fuerint dotalia subsidia , certo non constat . Quae enim tradita afferuntur Filiabus Co. Romualdi Onesti , in simplici consistunt enunciativa supplicis libelli , quem illarum Pater dedit anno 1667. Sacrae Congregationi Episcoporum & Regularium. Ex privatis vero Nobilium Familiarum Masini , & Bandi liberculis , recentiora ab anno 1756. sunt exempla de perceptis, dotium causa , bonorum fructibus *in specie* . Idque viginti novem annorum experientia confirmat Canonicus Casali , jam Societatis depositarius ; latiusque in sua Informatione Episcopus per haec verba = *Jam tum ab initio donationis usque ad annum* 1773. *omnes omnino fructus ex fundo bonornm donatorum provenientes , redditi semper fuerunt Puellis descendentibus a Camillo Beccari tum cum vel nuberent , vel manasticam vitam amplecterentur* . Hac tamen neglecta consuetudine , dotale subsidium decreverunt Sodales anno 1773. Moniali Agoselli sub conditione = *di doversi ricevere dalle mani del Ministro della Compagnia , detratte le spese* = licet ei deinde facultatem dedisse asserantur colligendi fructus .

Egerunt hinc anno 1780. apud *Sanctissimum Dominum Nostrum* de amplianda musica , de marmoreo construendo Altari , argenteisque candelabris , & lampade . At per organum Eminentissimi Carrara tunc Sac. Congregationis a Secretis,nedum ea *Sanctitas Sua* fieri prohibuit , sed plura etiam alia pro meliori Societatis regimine praescripsit , mandavitque = *che i frutti dei Capitali donati da Giacomo Beccari con la prima donazione del* 9. *Settembre* 1617. , *detratti li scudi venti da* 84. *Bolognini per la Musica , e li scudi trenta da pagarsi al Cappellano , s'impieghino , cominciando dal corrente anno* 1780. , *e in tutti gli altri avvenire nel maritaggio di due povere Zitelle ogni anno , alternando il giro delle Parrocchie della Città con dote di lire cento per ciascheduna , colla prelazione alle Discendenti da Camillo Beccari , a tenore della disposizione di Giacomo sudetto .*

Hoc freti Pontificio rescripto , obtulerunt Sodales Filiabus Co-

Comitum Masini, & Bernardini, a Camillo Beccari descendentibus, dotem librarum 100. pro qualibet, causamque idcirco dederunt liti. Plures enim ex vocatis *Sanctissimo* supplicarunt pro executione donationis anni 1617., eo modo & forma, qua ante Supremum Rescriptum anni 1780. servatum fuerat, precibusque ad Sac. hanc Congregationem remissis, ad Causam venit Communitas Cæsenæ pro extraneis Puellis, ac tria concordata sunt Dubia. Quaeritur *primo*, an Nobilibus Puellis a Camillo Beccari descendentibus præstanda sit dos lirarum 100. tantum, seu potius totum id, quod detractis oneribus superest ex annuis bonorum reditibus, cum facultate colligendi ex se ipsis fructus. *Secundo* de dotibus non traditis. Ac de dotibus *tertio*, seu earum numero extraneis Puellis præstando. *Mihi*, inquit Episcopus, de solis Descendentibus loquens, *res ista auditis interesse habentibus, discussisque eorum rationibus, perplexa quidem videtur*.

Quoad quantitatem dotalis subsidii, Puellis descendentibus favet donatio anni 1617., in qua uncialibus verbis præscribitur, quod cuilibet ex eis = *se li dia tutto il restante della sudetta entrata* = Ita profecto servari debet donationis lex, ut dicta est, per *Text. in Cap. Verum* 4. *ibique Gloss. verb. Debeat revocari*, *de condit. apposit.*, *Lambertin. de Jurepatr. part.* 1. *lib.* 1. *qu.* 9. *art.* 4. *n.* 3. *vers. Tertio vero casu*. Favet etiam observantia, de qua memini in facto. Hæc namque apertam dispositionem confirmat, dubiam interpretatur, *Fagnan. in lib.* 3. *Decretal, Cap. Tuæ num.* 14. *de Cleric. non residen.*.

Opponit Societas secundam donationem anni 1650., in qua dispositum legitur = *Che le Zitelle da maritarsi siano solamente due l'anno, e non piu, alle quali se li diano le lire* 100. *per ciascheduna*. Determinari autem potuisse contendit numerum, & quantitatem dotium, quæ ex prima donatione ab incerto pendebant majorum, vel minorum fructuum eventu, *Text. in Cap. Pluralis loquutio* 10. *de Reg. Jur. in sexto*, *Rot. coram Falconer. decision.* 9. *num.* 1., *& seq. de Legat.* Maximopere vero Pontificiam urget legem de binis dumtaxat præstandis dotibus lirarum 100., cum simplici prælatione Puellarum descendentium a Camillo. Piæ siquidem Fidelium dispositiones a Suprema pendent Pontificis Auctoritate, libereque ab Eo moderari valent, *Gloss. in Clement. Quia contigit*, *verb. Sedis Apostolicæ*, *de Religios. Domib.*

mib., *Mart. de Jurisdict. part.* 4. *cauf.* 74. *num.* 5. *Amostaz. de Cauf. Piis cap.* 14. *num.* 3.

Advertere tamen dignentur Eminentissimi Patres, quod ex bonis primae donationis annua exuperant scuta 184. 19. 2., ex bonis vero secundae scuta 86. 48. 8., juxta Restrictum introitus, & exitus bonorum Sodalitii, existentem in Positione anni 1780., cui titulus: *Dimostrazione di tutti li Capitali, che possiede la Ven. Compagnia della B. V. del Popolo &c.* = *pag.* 1. *ad* 4. Sua ergo prudentia judicent, num prior largitio = *di tutto il restante della sud. entrata* =, quae supposita etiam validitate secundae donationis, scutorum esset 184. 19. 2., reduci potuerit in secunda donatione ad liras 100., seu scuta 18. 18. 2. pro qualibet Descendente, absque substantiali prioris donationis mutatione. Post expletam enim, perfectamque donationem, non licet Donanti deteriorem facere conditionem Donatarii, ejusque jus quaesitum laedere, ad *Text. in Leg. Perfecta Cod. de Donat. quae sub modo*, *Rot. in Romana Legatorum* 6 *Junii* 1777. §. 13. *coram Eminentissimo Herzan*. Ponderandum etiam, num Pontificia Lex de duplici dote lirarum 100., *con la prelazione alle Discendenti di Camillo Beccari a tenore della disposizione di Giacomo sudetto*, tacitam praeseferat primae donationis derogationem, ac praejudicium inferre valeat Puellis descendentibus post remissum ab eodem Sanctissimo illius examen Sac. Congregationi.

Gravior est difficultas de validitate secundae donationis, ut decerni valeat, utrum = *tutto il restante della sud. entrata* = comprehendere debeat reditus bonorum, quae post primam quaesita fuerunt. Donavit siquidem Jacobus Beccari anno 1617. = *tutti i Beni stabili, mobili, e per se moventi, presenti ed avvenire inter vivos* = Expresse ergo per verbum *avvenire*, futura etiam donavit bona, eaque *de Jure* comprehensa censentur in donatione, *si modo nulli quantum ad legitimam praejudicium inferatur*, ut per *Text. in leg. si quis argentum* 35. §. *Sed & si quis Cod. de Donat.* probat *Voet. in Pandect. ad lib.* 39. *tit.* 5. *de Donat. sub num.* 10. Inde autem sequeretur, quod bona semel donata iterum donare non potuisset, *Text. in Leg. Facta Cod. de Donat. quae sub mod.*, *Fontanell. de pact. nuptial. clauf.* 4. *gloss.* 9. *num.* 7. *part.* 1.

Nedum contendunt Descendentes Camilli, redundantes bonorum omnium Jacobi fructus cuilibet ex ipsis in causam dotis deberi, sed per eas etiam colligendos esse,

Haud enim consequerentur = *tutto il restante dell'entrata* = si detrahi deberet stipendium Ministri, ac frugum potius pretium; quam speciem recipere cogerentur. Remque confirmant ex observantia, quam habent Eminentissimi Patres ex facto. Eis vero obesse posset vulgatissima illa Juris regula, de qua *Bart. in Leg. si Patronus §. fin. numer.* 1. *ff. ad Trebell. Castill. controv. jur. lib.* 5. *cap.* 157. *num.* 17.; quod nempe recipi debeat legatum de manu heredis, cui universalis assimilatur donatarius, *Amat. resol.* 58. *num.* 11., & 13., *Merlin. de Pignor. lib.* 4. *qu.* 143. *per tot.* Ac ipsa etiam obesse posset donatio, in qua non demandatur prædiorum traditio, sed redundantis reditus præstatio = *se li dia tutto il restante dell'entrata*. Dum enim dixit Donator = *se li dia* = non obscure significavit, exuperantem reditum dandum esse, non ab ipsis Puellis percipiendum. Contrarium quandoque servatum fuit: sed num jura per Descendentes deducta, centenariam probent observantiam, quæ dispositionem Juris, & donationis literam vincat, Eminentiæ Vestræ decernent.

In hypothesi autem, quod præstandæ sint dotes ad formam donationis anni 1617., præstationem restringere nititur Societas ad fructus prædiorum *Rigone*, & *Olea*, quæ tunc a Donatore possidebatur, & ab ea excludere prædia *Casanova*, & *Bulgarno* postea quæsita. Detrahendos insuper esse contendit fructus scutorum 300., quæ sibi Donator reservavit ad effectum testandi, & ad eam vigore secundæ donationis delata sunt; itemque scutor. 900.; quæ solvit Familiæ Camilli, & melioramentorum, quæ Periti ratiocinatoris dicto, ad plura ascendunt scutorum millia.

Affecta, nec ne sint posteriora prædia oneri primæ donationis, a subsistentia pendet, vel insubsistentia secundæ. Quoad detractiones vero notandum est, nullum per Societatem exhiberi inventarium, quo deficiente, inducta, censetur jurium confusio, ac propria heredis, vel donatarii universalis evadunt quæcumque testamenti, vel donationis onera, *Leg. fin. Cod. de jur. deliberan.*, *Pacion. allegat. civil.* 159. *num.* 7. Ex pluribus de cetero ostendunt Descendentes, soluta fuisse scuta 900. ex pretio bonorum primæ donationis, quæ quum sint longiuscula, desumere rogantur Emi Patres ex illorum scriptis.

Dotes perierunt anno 1782. Comes Cæsar Masini pro ejus Filia moniali, & Comites Julius Cæsar, & Petrus Ber-

nardini pro eorum Filiabus in Domino etiam nupturis; sed orta de illarum quantitate, ac præstationis modo quæstione, non obtinuerunt. De his igitur dotibus quæritur *secundo*. Inficiatur Societas interpellationem: sed contrarium liquet ex binis ejus Congregationibus. Dubitari tamen posset, num actio esset petendi dotem pro altera ex puellis jam professa. Sunt qui negant; sed veriori sententia affirmant *Capyc. Latr. consult.* 17. *num.*6. *part.*1., *Fontanell. de pact. nuptial. tom.*2. *clauf.* 6.*glofs*.3. *part* 4. *num.* 49., *& seqq.*, *Covarr. in Cap. Officii n.* 10. *de Testam.*

A resolutione tandem *primi* Dubii pendet resolutio *tertii*. Si enim exequi debet secunda donatio, binæ etiam in singulos annos præstandæ erunt dotes lirarum 100. Puellis extraneis. Si vero exequenda est donatio anni 1617., tot distribui debebunt dotes = *quanto sarà l'entrata, detratti li scudi* 20. *alla musica, e li scudi* 30. *al Sacerdote*.

Dubia igitur sunt.

I. *An, & quomodo sit præstanda dos Puellis descendentibus a Camillo Beccari in casu &c.*

II. *An, quomodo, & quibus Puellis descendentibus providendum sit quoad præteritum in casu &c.*

III. *An, & quomodo sint præstandæ Dotes Puellis extraneis in casu &c.*

Ad I. Affirmative per Societatem, ad formam donationis anni 1617., ex bonis etiam postea quæsitis.

Ad II. Affirmative, ut ad primum, pro illis tantum, quæ debitis requisitis præditæ, dotem petierunt tempore quo adhuc erant innuptæ.

Ad III. Affirmative ad formam donationis anni 1617., ut in primo.

VERULANA MEDIÆ ANNATÆ. Post obtentam a Verulano Episcopo Jacobini Paræciam, seu Archipresbyteratum S. Michaelis Archangeli Terræ Strangolagalli, in jus eo defuncto vocatus fuit anno 1785. Sacerdos Joannes Dominicus Perilli coram Vicario Capitulari a *Sess.* 21. *cap* 7. *de Reform.*

Cathedrali Capitulo pro solutione mediae annatae, ad formam Constitutionis san. mem. Benedicti XIII., quae incipit, *Pius, & misericors Dominus*, ac relata est *in appendice Concilii Romani*, ac passus tandem est ineunte anno 1787. exequutionem mandati pro summa scutorum triginta. Provocavit ad A.C., sed appellationis Causam remisit Emus Signaturae Justitiae Praefectus ad Sacram hanc Congregationem. Sua modo in supplici libello deducit jura, ac sua ex ore hodierni Episcopi Capitulum.

Tunc solum, inquit Archipresbyter, debetur media annata *ex Benedictina*, cum = *Provisi de Parochialibus, una cum incertis annuum reditum scutorum centum monetae Romanae excedentibus percipiant*. Talem vero non esse Paraeciae suae reditum. Sub fide enim Affictuarii, annuum statuit bonorum ejus reditum in scutis 80. Perpetua ex his detrahit onera in scutis 42. 68., vixque ex reliqua summa, & incertis annua sibi esse concludit scuta 60. Idque confirmat ex judiciali petitione scutorum dumtaxat triginta pro media annata. Ex altero rursus Teste probat, nonnulla Verulani Capituli bona in Territorio Strangolagalli destinata esse fabricae Ecclesiae Cathedralis, cui per subsidiariam mediae annatae solutionem consultum voluit Benedictus XIII. Immunes semper ab hac solutione fuisse affirmat ejus Decessores, nullamque de ea in novissima Paraeciae collatione mentionem fieri.

Haec autem, referente Episcopo, Canonici. *Constare fecerunt, praefatam Paraeciam non solum praestare consuetam Parocho congruam, verum etiam uberiorem, ut liquet ex divisione, sub die 27. Junii 1757. in Actis hujus Curiae facta, bonorum stabilium inter praedecessorem Parochum dictae Ecclesiae Jo. Baptistam Querqui, & Sacerdotem Carolum Mezzarota Beneficiatum Sacristam in dicta Ecclesia &c. Apparet enim, quod portio assignata d. praedecessori Parocho annuum fructum reddat scutorum* 106.07. $\frac{1}{2}$, *sine praejudicio aliorum stabilium, quae privative spectant ad Parochum pro tempore d. Ecclesiae pro satisfactione onerum in Tabella descriptorum, nec non sine praejudicio aliorum redituum incertorum, & stolae &c. Constat insuper ex Actis hic efformatis per subcollectorem Spoliorum Rev. Cam. Apostolicae sub die 17. Junii 1782., in vacantia ejusdem praebendae Archipresbyteralis, judicialiter conventos fuisse Franciscum Trojani, & Dominicum de Rocchis, nec non expeditum, & exequutum mandatum Manus Regiae pro solutione scutorum 95. pro affictu unius anni bo-*

norum

norum stabilium maturati defuncto Archipresbytero, exceptis singulis aliis incertis.

Nec obstare credunt iidem Canonici, quod nunquam a Praedecessoribus Oratoris soluta fuerit hujusmodi media annata. Constanter enim asserunt, quod a publicatione dictae Bullae Benedictinae praefata praebenda nunquam vacaverit de mensibus, in quibus licet Episcopis providere; Ideoque semper collata fuerit per Datariam. In hac autem vacatione per Episcopum expeditae fuerunt Bullae talis collationis, utpote quia eadem vacavit in mensibus suis. Multoque minus obstare credunt, quod Ecclesia praedicta Cathedralis bona possideat stabilia in Territorio Strangolagalli. Haec enim spectare dicunt ad massam communem Capituli, non autem ad fabricam Ecclesiae Cathedralis. Ita per Episcopum loquuntur Canonici, additoque supplici libello, illegale exhibent *Summarium*, ex quo amplior etiam desumitur Paraeciae reditus, ac reliqua per Testes eliduntur Archipraesbyteri objecta.

Tenebantur ex veteri Jure Beneficiati ad reparanda Ecclesiae suae tecta, *Cap. Quicumque 1. de Eccles. aedifican.*, & *reparan.*, & ad id etiam quoad Parochiales tenebantur Parochi, *Cap de his 4. eod. tit.* Quum satis vero consultum non esset Ecclesiis Cathedralibus, quae ceteris majestate, & dignitate praecellunt, speciali lege per totam Italiam, & adjacentes Insulas edixit Benedictus XIII., ut de Parochiis ab Ordinariis provisi deponere tenerentur pro illarum fabrica mediam annatam, dummodo certi, & incerti Paraeciarum reditus annuam excederent summam scutorum centum; ac pluries in executionem hujusce Constitutionis, illius solutionem demandavit Sacra Congregatio, ut *in Aesina Mediae Annatae 22. Julii*, & *9. Septembris* 1741., & *in Viterbien. Mediae Annatae 13. Januarii* 1748.

Num certi, & incerti Archipresbyteri Perilli reditus excedant summam scutorum centum, ex notatis in facto Emi Patres decernent. Affirmat Episcopus ex publicis juribus; negat Archipresbyter ex unico Teste. *Monimenta* autem *publica potiora Testibus esse Senatus censuit, in Leg. Census 10. ff. de Probat.* Reservata quidem non fuit in Bullis collationis Archipresbyteratus media annata: sed notanda sunt absoluta, & praeceptiva Benedictinae verba, nempe = *teneantur* (Provisi de Parochialibus) *solvere, ac respective deponere mediam annatam pro fabrica Ecc-*

cle-

clesiæ Cathedralis = Ubi Pontificia enim. Lex est præceptiva, non indiget Inferioris facto, vel reservatione, ut exequi debeat, *Fagnan. in lib.* 1. *Decretal. Cap. Treguas num.*25. *de Tregu.*, & *Pac.*

Dubium est.

An sit locus solutioni mediæ annatæ in casu &c.

Dilata, & scribatur Episcopo pro firmatione status Paræciæ, de qua agitur.

*Sess.*25. *cap.* 4. *de Reform.*

ROMANA CAPELLANIARUM. Quibus de causis Capellaniæ quatuor, ab Hilario Mauro institutæ in Lateranensi Basilica, reductæ fuerint ad duo; quæ ad annum 1725. istarum vicissitudines, colligere dignentur Emi Patres *ex Foliis* 21. *Junii* 1759., 20. *Augusti* 1774., & 4. *Aprilis* 1778. Prætereunda vero non sunt rescripta, quæ in hac Causa prodierunt. Quotidianæ utriusque Capellaniæ Missæ, quæ ob imminutos redibus reductæ fuerunt anno 1725. ad menstruas 45., restitutæ ob eos auctos fuerunt ad pristinum numerum per rescriptum *diei* 22. *Septembris* 1758. confirmatum *die* 11. *Augusti seq. anni* 1759. Iterum *die* 17. *Junii* 1775. reductionem postularunt Capellani, prodiitque rescriptum = *Dilata*, & *eligatur Peritus judicialis pro firmatione status* = Hac tandem edita peritia, repropositum fuit *die* 4. *Aprilis* 1778. Dubium = *An*, *&* *quomodo sit locus reductioni Missarum, ita ut sit standum, vel recedendum a Decisis sub diebus* 2. *Septembris* 1758., & 11. *Augusti* 1759. =, & Sac. Congregatio respondit = *Negative*, *&* *persistendum esse in decisis*.

Novissima hæc dissimulantes rescripta, quartum anno 1786. institerunt Capellani pro reductione ad menstruas Missas quindecim pro quolibet, precibusque pro informatione, & vo-

& voto remissis, ea ipsa Emus Archipresbyter in facto exponit, quæ ex citatis Foliis habentur. Anno postremum 1773. actum supponit de reductione; sed *nullam*, inquit, *scio emanasse resolutionem, nec qua de re suspensam fuisse. Verisimilis tamen atque laudabilis causa illa videtur, quam afferunt Capellani, nimirum defuisse consensum Patronorum a Sac. Congregatione volitum, quem nunc reportarunt.* Ex calculo decennali ostendit = *omnes Capellaniarum reditus vix ad summam scutorum* 179. *pro quolibet anno pervenire, ex quibus si demantur onera Missarum* 60. *pro quolibet mense, idest annuorum scutorum* 72., *supererunt tantum* 107. *scuta in locum* 136. *superessentium* (*deductis oneribus Missarum*) *de tempore Eminentissimi Archipresbyteri Panfili*, qui ex rescripto Sac. Congregationis anni 1735. menstruas statuit Missas 45., auxitque servitium Chori, a diebus festis & vesperis solemnibus, ad omnes dies Dominicos Julii, Augusti, Septembris, Octobris, & alternatim per hebdomadas, ad omnes ferias Quadragesimæ usque ad Dominicam Palmarum. Atque ita concludit = *Qua de re, quoniam & Patronorum consensus accedit, censerem annuendum esse Oratoribus pro reductione Missarum ad menstruas* 45. *tantum, ab ipsis celebrandas servata forma in omnibus rescripti hujus Sac. Congregationis lati die* 1 *Decembris anni* 1725., *atque alterius in executionem ipsius ab Eminentissimo Panfilio lati die* 11. *Martii* 1726.

Ex *quinquagenario* judiciali calculo constitit anno 1778., vix detracto quotidiano Missarum, & utensilium onere, omnibusque expensis, annua cuilibet Capellano pro chorali servitio superesse scuta 28. 81., & tamen Sac. Congregatio Missarum reductionem denegavit, ut liquet ex Folio illius anni. Sua ergo prudentia judicent Emi Patres, num aliter sentiendum sit ex uno extrajudiciali calculo, ex quo major immo resultat reditus. Omnibus enim detractis expensis, & Domorum dislocationibus, annua Capellanis remanent scuta 179. Si ab hac summa detrahantur scuta 72. pro quotidianis Missis, & scuta decem pro utensilibus, reliqua erunt utrique Capellano annua scuta 97. pro servitio chorali, seu scuta 48. 50. pro quolibet. Memorat Ratiocinator in fine calculi annuam Pensionem scutorum quindecim super Capellaniis; sed hac etiam detracta, scuta remanent 33. 50.

De-

Deliberare igitur dignentur EE. Vestræ :

An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 4. *Aprilis* 1778. *in casu &c.*

Non proposita cum sequentibus ;

*Sess.*25. *cap.* 4. *de Reform.*

FERRARIEN. REDUCTIONIS MISSARUM, ET ABSOLUTIONIS. In executionem piæ voluntatis Petri Antonii Ghedini, per privatam scripturam instituit anno 1752. Ignatius Maria ejus filius annuam celebrationem Missarum 200. cum eleemosyna obolorum 15. pro qualibet, solvenda ex fructibus Locorum Montium V. Erectionis Ferrariæ, quæ amplius non existunt. Hebdomadalem alteram in codicillis cum eadem eleemosyna legavit Missam anno 1781., suamque hereditatem alieno etiam ære gravatam reliquit. Universa ejus substantia in annuis consistit censibus scutorum 164., modiis quatuor frumenti, incertisque cujusdam prædii fructibus. Familia vero in Personis decem.

In hisce difficillimis circumstantiis, unam hactenus Nicolaus Coghi, hæreditatis administrator, hebdomadalis Missæ celebrationem, ut Familiam aleret, curavit; nec parum etiam in id de proprio impendit. Annuas vero Missas biscentum, ut diu Ignatius Maria Ghedinus fecerat, neglexit, earumque numerus ad totam diem 9. Februarii labentis anni erat 4065., ac summam constituebat scutorum 609. 75. EE. igitur Vestras exorat pro absolutione a Missis non celebratis, ac pro reductione utriusque Legati ad annuas Missas triginta, cum Synodali eleemosyna obolorum 12. Exposita per scripturas confirmat Emus Archiepiscopus: impares prorsus affirmat hereditatis vires tam præterito, quam futuro adimplemento Legati Missarum 200., & ita concludit = *Quamobrem, cum in casu proprie præd. Legatum biscentum Missarum in anno celebrandarum authentice de more haud comperiatur (excepta simplici præd. notione, quam haurimus ex iis, quæ in folio sub litt. C. supramemorato habentur) & cum ulterius*

rius impares prorsus sint hereditatis vires pro hujusmodi Legati satisfactione biscentum Missarum, existimarem, locum fore absolutioni præfatæ celebrationis tam pro præterito, quam pro futuro tempore [firmo tamen remanente altero Legato unius Missæ in qualibet hebdomada] cum deficiente etiam fundo Legati, imparibusque hereditatis compertis viribus, ut in casu, deficere æqua lance onus ipsum videatur.

Quamvis Legatum Missarum 200. non resultet ex Testamento Petri Antonii Ghedini, exploratum tamen est ex declaratione Ignatii Mariæ ejus filii, quam ipsius heredes impugnare nequeunt, *Gloss. fin. in can. Episcopus, qui 12. quæst. 2.* Nec dubitari valet de illius validitate, Recte enim heredis fidei committuntur Legata pia, satisque est voluntatis demonstratio, ut exequantur; *Pasqualig. de Legat. Missar. quæst. 990. num. 4., Ferrar. Biblioth. legal. verb. Testamentum §. 2. num. 19.* Posito autem Legato, quærendum est, num ob defectum ejus fundum defecerit. Ita plane esset, si assignata fuissent Loca Montis *taxative, Leg. Si quis ff. de Legat. 2.; & Sac. Congregatio in Viglevanen. Beneficii 23. Januarii 1773.*, si incepisset nempe dispositio ab assignatione fundi, *Rot. in Romana Supplementi, & Applicationis 11. Junii 1731. §. Tunc coram clar. mem. Card. Aldrovando.* Secus vero si præcessisset Missarum Legatum; nam hoc casu subsequens assignatio fundi staret *demonstrative*, eoque imminuto, vel perempto, supplere teneretur heres de proprio, *Leg. Quidam ff. de Legat. 2., & Leg. Non aliter §. 1. ff. de Legat. 3.* Haberi certe non potest hujusmodi notio ex Testamento, quod deficit. At prius Ignatius Maria, Legantis filius, Missarum celebrationem instituit, deindeque Loca Montis assignavit.

Benigne tamen advertant Emi Patres ad graves Familiæ Ghedini circumstantias. Decem in ea alendæ sunt personæ; Paullo annui reditus scuta excedunt 164. Alienum æs solvendum: Aliudque adimpleri debet hebdomadalis Missæ Legatum. Num hæc pro abolitione, vel reductione Legati indulgentiam mereantur, EE. Vestræ decernent. Præ omnibus quidem ex Beneficiis, & Legatis piis alendi sunt indigentes Patroni, & Descendentes Fundatoris, *Surd. de alim. tit. 7. quæst. 32. num. 29. & seq., Rot. in Salernitana Alimentorum 11. Januarii 1712. cor. clar. mem. Card. Scotto.* Si eorum namque angustias, fundique legati dispersionem prævidisset, aut pium non

reliquisset Legatum, aut minorem Missarum numerum ad parandam illis alimoniam demandasset, *Card. de Luc. de Testam. disc.* 72. *num.* 15. *& seq.* Perpetua certe non videtur heredum Ghedini indigentia: semper enim alendæ non erunt decem personæ. Sed in similibus fere terminis non raro per suspensionem Missarum modo ad quinquennium, modo ad decennium pauperibus miserta est Descendentibus Sacra Congregatio, & præ ceteris *in Messanen. Reductionis Onerum* 11. *Januarii* 1777., & *in Nucerina Paganorum Reductionis Missarum* 5. *Septembris* 1778.

Hæc quoad futurum. Quo vero ad præteritum; scienter profecto Ignatius Maria Ghedini, ejusque hereditatis Administrator Missarum celebrationem omiserunt. Proprium alter ignorare non poterat erecti Legati factum. Sua sponte fatetur alter, ob gravia onera, tenuesque reditus celebrationem neglexisse. Assueta vero prudentia, & æquitate judicent Emi Patres, cogi nec ne debeant ad supplendam omissionem cum gravi summa scutorum 609., & ultra, qui Emi Archiepiscopi testimonio, tantum ex hereditate non habent, ut vivant. Plura erga pauperes sunt indulgentiæ exempla *in Syracusana* 7. *Februaeii* 1705. *lib. Decret.* 55. *fol.*44., *in Neapolitana Celebrationis Missarum* 4. *Decembris* 1706. *lib. Decret* 56. *fol.* 383., *in Romana Oneris Missarum* 11. *Maii* 1709. *ad IV. Dub. lib. Decret.* 59. *fol.* 146. Æque tamen ponderare dignentur, obligationem adimplendi pium opus non solvi, sed suspendi, quousque debitor ad meliorem venerit fortunam, *Cap. Odoardus de solut.*, *Fagnan. in lib.* 5. *Decretal. Cap. Mandato num.* 74. *de Simonia*.

Quæritur itaque.

I. *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

CER-

SERVIEN. LEGATORUM. Hujus Causæ species est In Folio diei 9., resolutio in altero 30. Julii 1785. Proposito enim Dubio = *An constet de perpetuitate, seu temporaneitate Legatorum piorum, de quibus agitur, nempe ad vitam Venturæ Antonii Ranieri heredis gravati in casu &c.* = prodiit rescriptum : *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.* Iterum modo de dd. Legatorum qualitate certatur; sed nova hactenus latent Partium jura. Hæc igitur desumere dignentur Emi Patres ex illarum Scriptis, & assueta maturitate respondere. *Sess.* 24. *cap.* 4. *de Reform.*

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

MELEVITANA CONFIRMATIONIS STATUTI. Præfinitus fuit in Congregatione diei 19. Augusti 1786. modus erogandi eleemosynas, quas ex Statuto colligunt Sodales Animarum purgantium Civitatis Vallettæ. Proposito enim Dubio = *An, & quomodo caput* 4. *Statutorum Confraternitatis laicali sub titulo Animarum purgantium erectæ in Ecclesia S. Nicolai Civitatis Vallettæ sit confirmandum* = Eminentissimi Patres rescripserunt = *Affirmative juxta modum, nempe quod media pars eleemosynarum tam collectarum, quam colligendarum, una cum medietate fructuum capitalium jam investitorum, vel in posterum investiendorum pro Missis, altera vero medietas pro Ecclesia applicetur, & in reliquis juxta votum Episcopi* = de quo in folio 29. Julii ejusdem anni. Redeunt modo Sodales pro absolutione quoad præteritum. Haud enim ante rescriptum illud erogati omnes fuerunt capitalium fructus, & eleemosynæ in celebrationem Missarum; immo latet omnino, an eorum saltem medietas ad hunc effectum adhibita fuerit. Eis favet Episcopus = *attenta bona fide, cum onere celebrandi unam Missam solemnem pro hoc anno tantum.* *Sess.* 21. *cap.* 8. *de Reform.*

Bona siquidem, vel mala æstimari solet fides, ubi de omissa agitur Missarum celebratione. Ob malam fidem solicita fuit Sacra Congregatio de adimplemento, gravissime-

meque in omittentem animadvertit *in Bononien. Reductionis Servitii Chori* 24. *Novembris elapsi anni* 1787. Toties vero indulgentiam adhibuit, quoties de bona constitit fide, ut *in Parmen.* 6. *Maii* 1786., *in Ecclesien. Onerum*, & *Distributionum* 9. *Septembris ejusdem anni ad I. Dubium*, *in Reatina Reductionis Missarum* 24. *Martii* 1787. *ad II. Dubium*, *&* *in Romana Legati* 19. *Januarii labentis anni*. De bona Sodalium fide testatur Episcopus, nec certa est celebrationis Missarum omissio pro medietate fructuum & eleemosynarum, juxta praecedens EE. Vestrarum judicium.

Quaeritur ergo.

An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro absolutione in casu &c.

Die

Die Sabbathi 20. Decembris 1788. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilij, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

QUatuor hic ex ordine subiiciuntur Causæ, quæ *in præcedenti Congregatione diei 29. Novembris* proponi non potuerunt.

ROMANA CAPELLANIARUM. *Sess. 25. 4. cap de Reform.*

An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 4. Aprilis 1778. in casu &c.

Prævio recessu à decisis, juxta votum Eminentissimi Archipresbyteri.

FERRARIEN. REDUCTIONIS MISSARUM, ET ABSOLUTIONIS. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

I. *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad præteritum in casu &c.*

Ad primum: Affirmativè pro suspensione ad quinquennium firmo remanente onere Missæ hebdomadalis pro utroque Legato.

Ad secundum: Affirmativè, & ad D. Secretarium cum Sanctissimo.

CER-

Seff. 24. cap. 4. de Reform.

CERVIEN. LEGATORUM.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

Seff. 21. cap. 8. de Reform.

MELEVITANA CONFIRMATIONIS STATUTI.

An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro absolutione in casu &c.

Affirmativè juxta votum Episcopi.

Seff. 23. cap. 18. & Seff. 25. cap. 4. de Reform.

ARIMINEN. SUSPENSIONIS ONERUM. Diversi generis sunt Ariminensis Seminarii bona. Alia ex prima proveniunt erectione: alia ex suppresso Rosarii Sodalitio: & alia ex suppresso Societatis Jesu Arimini Collegio. Ducto ab anno 1777. ad totum annum 1786. accuratissimo calculo, decennis originariorum reditus scutorum est 16867. 38. 10., exitus scutorum 23117. 19. 9.; seu 6249. 80. 11. ultra introitum. Societatis Rosarii reditus summam attingit scutorum 965. 23. 10., exitus scutorum 615. 61. 10., exuberantque scuta 349. 62. Ac reditus tandem Collegii summam conflat scutorum 15136. 98; exitus scutorum 8813. 85., & unus altero minor est in scutis 6323. 13. Decennis igitur bonorum omnium introitus exitum superat in scutis 422. 94. 11., quæ annuum dant compendium scutorum 42. 30. Summa tamen hæc superfutura non erit sequentibus annis. Paullo enim ante annum 1786. alienata fuèrunt de licentia Sacræ Congregationis Episcoporum & Regularium nonnulla Societatis Rosarii bona, & passivus etiam creatus est census in sorte scutorum 1000. ad ampliandum Seminarium.

Onus

Onus est originariis bonis recipiendi in Seminarium tres Alumnos gratis, duos nempe ex Oppido Longiani Cæsenatensis Diæcesis, ad nominationem Communitatis, tertium ex ipsa Ariminensi Diæcesi ad nominationem cujusdam particularis Familiæ. Annui pro quolibet sunt reditus scutorum circiter triginta. Bona Societatis Rosarii annuis gravantur Missis 348. Alia vero Collegii diversa ex triplici Testamento habent onera. Bina ex dispositione *Leonardi Diotallevi* celebranda sunt ad privilegiatum Altare quotidiana Sacra, aliaque ex redundantibus hereditatis fructibus manualia. Hebdomadalia tria ad annos centum ex dispositione Præsulis *Cæsaris Galli*. Et quotidianum tandem Sacrum, ac celebratio Festivitatum Sanctissimi Nominis, & Annunciationis B. M. Virginis, cum reservatione passivi patronatus Capellaniæ favore Clericorum Familiæ Ugolini, ex dispositione *Simonis Parmegiani*. Præter hæc transfusum etiam est in Seminarium Scholarum onus, & pium bonæ mortis exercitium.

Seminarium, Ecclesia, ejusque Urbanæ & rusticæ Ædes ex terræmotu anni 1786 scissæ sunt. Pontificius Architectus reparationum pondus constituit in scutis 3110. Alter Eminentissimi Legati Romandiolæ in scutis 4706. Duo peritissimi Fabri murarii in scutis 4257. Juxta postremam hanc peritiam, sc. 38. ad ædificia pertinent Diotallevi: sc. 710. ad ædificia Galli: sc. 128. ad illa Parmegiani: sc. 105. ad alia Societ. Rosarii: & reliqua 3176. ad Seminarium. Ad urgentiores perficiendas reparationes, Seminarium transacto anno scholastico ad præsens suspendit Ariminensis Episcopus. Quum toto autē operi impares essent illius vires, EE. Vestris supplicarunt ejus Deputati pro suspensione ad annos sexdecim Legati Diotallevi, & facultate creandi pro necessaria summa passivum censum, sub obligatione solvendi fructus ex reditibus ejusdem Legati, & celebrandi pro Benefactoribus annuum Officium, & Missam cum cantu.

Ut suis interim consuleret Alumnis, EE. pariter Vestras exoravit Communitas Longiani pro illorum manutentione in altero Seminario, Ariminensis Seminarii sumptu, utrisque precibus pro informatione & voto remissis, hactenus exposita per Peritias, Testamenta, & decennem redituum Seminarii statum Ariminensis confirmat Antistes. Cavendum deinde monet a diuturniori Seminarii suspensione. *Clauso*, inquit, *Seminario, duo incommoda, eaque maxima sequerentur. Primo quidem summum inde præjudicium caperent tot Civitatis, & Diæ-*

cesis Clerici , qui Seminarii disciplina omnes destituti , & Diœcesani studiorum commodo insuper fraudati , ad ea scientiarum genera , & ad pietatem , quæ decent Ecclesiæ Ministros , instilui minime possent . Deinde si ex superextantibus clausi Seminarii reditibus restaurationes forent præstandæ , ad eas perficiendas plurium annorum spatio opus esset ; unde fieret , ut ex dilatione aucta damna duplicem fere sumptum requirerent .

Exoneratione , prosequitur , *Alumnorum parum parcitur Seminarii expensis . Id experientia compertum habemus . Quamvis enim pro decidente anno scholastico non fuerint Alumni Seminario recepti , exiguum tamen emolumentum retulimus . Quid porro lucrati sumus , non quidem ex levamine alimentorum Juventutis , sed ex eo repetendum est quod deficientibus Alumnis , imminui potuit nonnullorum Officialium stipendium . Et re quidem vera non Juventutis alimenta , quibus taxa ab unoquoque Alumno soluta suppletur , sed Magistrorum , Officialium , & Ecclesiæ manutentio , totque onera Seminario incumbentia omnes ferme reditus absumunt . Porro neque his oneribus , neque Magistrorum , Officialium , & Ecclesiæ manutentioni parcere possumus , etiamsi a Seminario arceantur Alumni . Seminarium enim vi concessionis Collegii , Ecclesiæ , & nonnullorum bonorum suppressæ Societatis Jesu prægravatum extat onere publicas scholas pro confluentibus cujuscumque conditionis Discipulis habendi : Magistros pro scholis , aliosque Sacerdotes , & Officiales , qui & confessionibus excipiendis , & exercitio bonæ mortis , & Ecclesiæ servitio , aliisque consuetis pietatis operibus vacent , stipendio conducendi : Manutentionem Ecclesiæ ; Legatorum satisfactionem , cæteraque seu Juventutis educationem seu Divinum cultum , & spiritualem Fidelium profectum respicientia , adamussim , & eodem modo præstandi , quo Individui Collegii præstabant ; Ac tandem tribus Societatis suppressæ Individuis adhuc viventibus pensionem vitalitiam scutorum 80. pro quolibet singulis annis solvendi .*

Integros pro hisce oneribus servandos esse redundantes Legatorum reditus , ac unum bonæ mortis exercitium, pro quo annuum est Sacerdoti stipendium scutorum 30., suspendi posse censet . Tresque demum proponit modos peo suspensione Missarum , quam in votis habet . Earum , ait , *suspensio , quam necessariam arbitror , tribus modis , meo judicio fieri potest ; nempe Vel suspendendo tot Rosarii , & uniuscujusque hæreditatis Diotallevi, Galli , & Parmegiani Missas , quot necessitas postulat , ad*

rationem majoris, vel minoris earumdem respective Missarum numeri, ita ut Sodalitium, & hæreditas quælibet ad restaurationem damnorum pro suis viribus concurrat: VEL suspendendo quoad Sodalitium, & hereditates Galli, & Parmegiani tot Missas uniuscujusque, quot pro respectivis Fabricis restaurandis sufficient, & quoad hereditatem Diotallevi tot Missas, quot opus erit pro reliquis Seminarii Fabricis: VEL suspensis solius hereditatis Diotallevi Missis juxta preces (firmis tamen semper relictis duabus Capellaniis quotidianis a Testatore primo loco institutis) inde sumendo quidquid pecuniæ pro universis reparationibus requiritur.

Secundus ei non arridet reparationis modus ob tenuitatem hereditatis Galli, *cui suarum omnium Missarum suspensio pro reparationibus, quibus egent illius domus, minime sufficiunt. Tertius vero nimium gravis heredibus Diotallevi accideret.* Æquiorem idcirco autumat primum. *Eo namque posito, tum Sodalitium Rosarii, tum hereditates singulæ reparationum onus pro rata congrua sentiunt. Quod si hereditas Diotallevi, cui minora sunt, & longe major Missarum numerus, præ ceteris gravari contingit pro non suis reparationibus, id ab æquitate alienum credi non debet. Societas enim Rosarii, & hereditates Galli, & Parmegiani superextantibus earum reditibus valde utiles existunt Seminario, cujus gratia ope aliena pro suis reparationibus mox indigent. Secus vero hereditas Diotallevi, ex cujus reditibus, in Missarum celebrationem integre abeuntibus, cum nihil proficiat Seminarium, quædam æquitatis ratio postulare videtur, ut eidem Seminario pro commodatis huc usque, & in posterum commodandis horreis, cellis vinariis, doliis, hisque similibus ad illius administrationem necessariis, vicem quodammodo rependat, reparationum pondere illud levando.* Additque, quod sive primus, sive secundus seligatur suspensionis modus, parum aut nihil detrahitur Legato Galli, quum adimpleri cœperit anno 1722., aliique 34. anni, qui ad explendum centenariæ terminum deficiunt, post absolutam suspensionem suppleri poterunt.

Suspensioni Missarum Capellaniæ Parmegiani obsistere refert hodiernum Capellanum Angelum Ugolini, *cui plures sunt ex Fratre Nepotes, inter quos duo Sacræ Militiæ adscripti, Patruo succedendi jus habent, sibique jam* (ad formam Testamenti) *cogitant Capellaniam in titulum constituere.* Irrationabilem vero dicit contradictionem, ob alias ei nomine Seminarii oblatas Missas. Et ita denique

 quoad

quoad Longianenses Alumnos concludit, *Quoties, decreta Legatorum suspensione, Seminarium proxime adventuro anno* (jam incepto) *iterum aperiatur, timor omnis a recurrentibus abscedet.*

Ut libera omnino esset decernendi facultas, ad Causam vocari debuisset Ugolinus. Res tamen dilationem non patiebatur, ne diutius ecclesiasticum Seminarium cum maximo Ariminensium Clericorum detrimento clausum maneret, quatenus ei EE. Vestræ per flagitatam Missarum suspensionem consulere vellent. Si rationabilis porro dijudicabitur illius contradictio, supplere poterunt Emi Patres denegatum consensum, *Cap. Ad audientiam in fin. de Eccles. ædificand., Barbos. de Potest. Episc. part.3. alleg.83. num.6., Lotter. de re benefic. lib.1. quæst.28. num.10.*. Si rationabilis; impedimento non erit, quin reservata Capellania Parmegiani, de reliquis Missis, piisque Operibus decernant.

Valde solicita fuit *Sacrosancta Tridentina Synodus* de Episcopalibus Seminariis, provideque statuit *Sess.23.cap.18. de Reform.*, Episcopales, Abbatiales, & Capitulares mensas, Beneficia, & Loca Pia ad illorum erectionem & conservationem teneri. Qua de re exigere valent Episcopi taxam ad instaurandas eorum domos, ut ab hac Sacra Congregatione decisum refert *Pignatell. consult.81. n.48. tom.9.*, & probat *Ferrar. in Biblioth. verb. Seminarium num.77.* Refertur quidem inter reditus Ariminensis Seminarii hujusce Conciliaris taxæ exactio; sed qua proportione, ignoratur; eaque fortasse est, quæ ad rationem scutorum trium in singula centum pro Seminariorum manutentione exigi solet, ut *in Veliterna 24. Aprilis 1773.* Deliberandum ergo, num ad reparandas illius Ædes altera potius addenda sit extraordinaria taxa, quam ad extremum suspensionis Missarum remedium descendi. Si reparandæ erunt per contributum, æqua pariter esset contributio extinctæ Societatis Rosarii, & hereditatum *Diotallevi, Galli, & Parmegiani* pro rata damni in respectivis ipsarum Ædificiis passi. Utrum vero fieri deberet hujusmodi contributio ex redundantibus earum reditibus, vel per suspensionem Missarum, EE. Vestræ decernent. Fieri autem non posse censet Episcopus ex reditibus, ne impar evadat Seminarium oneribus, quæ paullo ante ex ejus ore retuli.

Quatenus aliter tamen Emi Patres sentiant, jam tres alios præ oculis habent modos ab Episcopo propositos, ut æquiorem seligant. Ex his certe integrum refunditur re-

parationum onus in suppressam Societatem Rosarii, & hereditates *Diotallevi*, *Galli*, & *Parmegiani*; sed impares omnino sunt propriis Seminarii reparationibus originarii reditus, nisi illius exercitium suspendatur. Quocumque autem modo reparationes fiant, consultum erit Longianensibus Alumnis, si quam cito Seminarium aperiatur. Aliter vero illorum educationi providendum esset, quum Seminarium ad eos recipiendos bona possideat.

Sua ergo prudentia EE. Vestræ decernant.

I. *An, & quomodo sit providendum reparationi Ædium Seminarii Arimini in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit providendum Alumnis Longiani in casu &c.*

Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem, nempe referat de actuali taxa pro Seminario, ejusque annuo reditu.

CASALEN. Duplicem Joannes Maria Serra præscripsit anno 1625. hebdomadalem Missam; in Ecclesia S. Sebastiani Terræ Albugnani unam; ad Altare S. Hilarii in Ecclesia S. Mariæ Gratiarum PP. Carmelitarum Casalensis Civitatis alteram. Nullum priori assignavit fundum; potestatem vero fecit Marco Antonio, & Ubertino ejus filiis, & heredibus solvendi Carmelitis scuta 50. pro posteriore. Per divisionem bonorum, quæ in publico quodam enunciatur Instrumento, commissum fuit primum Legatum Filiis Ubertini, Marco Antonio secundum. Statim hic per solutionem scutorum 50. suum onus adimplevit, non item illi. Sæpe enim præ eorum paupertate omissum est in Ecclesia S. Sebastiani Sacrum; sæpe ipsis, eorumque Viduis, & Nepotibus indultum. Compositionem anno 1664. impetravit Joannes Baptista Ubertini filius a Rev. Fabrica S. Petri pro omissa novemdecim annorum celebratione. Triennem oneris suspensionem ab hac Sac. Congregatione obtinuit Clara ejus vidua. Ac bis eadem Carolo, illorum nepoti & oratori, concessa fuit gratia. Subsequuta tamen est aliorum 26. annorum omissio, ac postulat modo Orator exemptionem a futura celebratione, absolutionem a præterita. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

Exposita confirmat Casalensis Episcopus. Omissas refert ad totum annum 1787. Missas 1352.; hereditaria bona ignorari; mediatum Testatoris heredem esse Oratorem, sed adeo pauperem, ut = *non solum juxta status sui conditionem subsistere minime possit, sed multis laboret angustiis ad Familiam suam sustentandam, ut ex peculiaribus fide dignis informationibus per me sumptis, clare & evidenter constat*. Ideoque censet = *Oratorem, in statu miseratione dignum, absolvendum esse pro nunc ab onere satisfactionis dictæ Missæ hebdomadariæ in Ecclesia Sancti Sebastiani*.

Quæ sint hereditaria bona, tum Fillis Ubertini, cum Marco Antonio obvenita, ignoratur. Deficiente enim inventario onus utraque portio haberet Legati, *Text. in Leg. fin. §. Sin vero Cod. de jur. deliber.*, & *in Auth. de hered. & falcid. §. Hinc nobis*. Quæcumque vero sint, *multis* certe Orator *laborat angustiis*, & si ei credendum est, undecim gravatur Personis, *inabili tutte a guadagnarsi il vitto*. Secum ergo in his circumstantiis reputent Emi Patres, an indulgentiam quoad futuram celebrationem mereatur. Si gravem ejus paupertatem Testator prævidisset, sanguinis fortasse vocibus motus, vel Missarum onus non imposuisset, vel minorem illarum numerum demandasset, *Card. de Luc. de Testam. disc.* 72. *num.* 15., *& seq.* Perpetua quandoque ob defectos reditus concessa fuit Missarum reductio, ut *in Senogallien. Reductionis* 10. *Maii* 1783., & *in Viterbien. Reductionis Onerum* 8. *Maii* 1784., temporaria vero ob actualem heredis paupertatem, ut *in Taurinen.* 30. *Martii* 1776., *in Messanen. Reductionis Missarum* 24. *Januarii*, & *in Nucerina Paganorum Reductionis Missarum* 5. *Septembris* 1778. Idque etiam in nostro themate sentit Episcopus verbis illis = *absolvendum esse pro nunc*.

A resolutione primi Dubii pendet quodammodo resolutio secundi. Qualis enim EE. Vestris videbitur Oratoris paupertas pro indulgenda, vel deneganda futuri oneris exemptione, vel reductione, talis etiam erit quoad præteritum. Licet sane non doceatur, inopem etiam eo tempore fuisse, quo Missarum celebrationem neglexit, in præsenti tamen statu, difficile videtur, ut Missas suppleat 1352., & ultra, qui *multis laborat angustiis*, nec raro in his terminis Sacra Congregatio pauperibus indulsit, ac præsertim *in Neapolitana Celebrationis Missarum* 4. *Decembris* 1706. *lib. Decret.* 56. *fol.* 383., & *in Romana Oneris Missarum* 11. *Maii* 1709. *ad IV. Dub.*

lib.

lib. Decret. 59. *fol.*146. Notandum tamen, quod impotentia adimplendi pium opus = *non extinguit ſubſtantiam obligationis, ſed ſuſpendit illius effectum in tempus, quo impedimentum ceſſaverit*; ut per *Text. in Cap. Odoardus, de ſolut.* notat *Fagnan. in lib.* 5. *Decretal. Cap. Mandato num.*74. *de Simonia*.

Deliberandum igitur.

I. *An, & quomodo ſit locus reductioni Miſſarum in caſu &c.*

II. *An, & quomodo ſit conſulendum Sanctiſſimo pro abſolutione quoad præteritum in caſu &c.*

Ad primum: Affirmative pro ſuſpenſione Celebrationis Miſſarum ad decennium cum obligatione duodecim Miſſarum pro quolibet anno.

Ad ſecundum: Affirmative, & ad D. Secretarium cum SSmo.

BRACHAREN. RESTITUTIONIS IN INTEGRUM. Ad Dubium; *An ſit locus reſtitutioni in integrum*; reſpondit Sacra Congregatio die 20. elapſi Septembris: *Affirmative*. Deliberandum modo. *Seſſ.*25. *cap.*19. *de Regular.*

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

In Deciſis, & amplius.

URBINATEN., SEU' ARIMINEN. In veſtram, Emi Patres, revocare præſtat memoriam, quæ Marcus Antonius Giſgoni pia reliquerit Legata; quæ ejus Conſanguinei ſive ex Pontificia clementia, ſive ex præclara Sacræ Congregationis æquitate, ex illis obtinuerint ſubſidia. Lentiæ decedens, heredem Giſgonius ex aſſe inſtituit Eleonoram ejus filiam, eaque ſine Fliis decedente, bonorum præſcripſit inveſtimentum in Civitate Arimini ejus Patria, tertiamque addixit redituum partem Hoſpitali Miſericordiæ ejuſdem Civitatis, reliquos pauperibus = *di detto Luogo, con preferir però quelli della Caſa, ſe ve ne ſaranno*. Purificata conditione per obitum Eleonoræ in pupillari ætate, Teſtatoris voluntatem commutavit Innocentius XII., deſtinavitque unam redituum partem pauperibus invalidis, alteram dotalibus ſubſidiis, tertiam Hoſpitali. *Seſſ.* 22. *cap.* 6. *de Reform.*

Hac non obstante redituum destinatione, annuam ab Ariminensi Antistite praestationem scutorum 18. prae omnibus obtinuit Junipera de Rubeis ex Oppido *Colbardolo*, Testatoris consanguinea. Majorem deinde summam scutorum 36. in singulos annos per Chirographum Clementis XIV. obtinuit Lucas Alexandri Urbinas, licet remotissimo Testatori conjungeretur gradu. Et alia demum scuta 18. pro quolibet, *contradicente Administratore hereditatis*, ab hac Sacra Congregatione consequuti sunt Nicolaus ejus nepos, Geltrudes soror, & Marianus frater per rescripta *dierum* 9. *Julii* 1774., 7. *Februarii* 1784., *&* 11. *Martii* 1786. Nuper vero agmine facto, Lucas ejusque quatuor Filiae, Nicolaus, Marianus, & Geltrudes SSmo supplicarunt pro applicatione bessis redituum, qui Clementini Chirographi tempore annuam attingebant summam scutorum 1469. 50., precibusque ad Sac. Congregationem remissis, Oratoribus in sua informatione Urbinatensis favet Archiepiscopus, Ariminensis adversatur Antistes. Citatis igitur Administratoribus hereditatis, & Hospitalis, infrascriptum proponitur Dubium.

Ariminensium pauperum vocatio a conditione pendet inexistentiae pauperum consanguineorum, quos Testator praeferri voluit. Sibi ergo, inquiunt Oratores, ut consanguineis, & pauperibus integrum debetur Legatum, per *Text. in Leg. In conditionibus ff. de condit., & demonstr.* Quod consanguinei sint Testatoris, licet remotissimi, non controvertitur. Quod sint pauperes, ex iteratis constat praestationum rescriptis, ac novissima Urbinatensis Archiepiscopi informatione, in qua miserandus describitur ipsorum status in haec verba: *Nicolaus octoginta, & amplius annos natus, inter hujus Urbis honestas quidem, sed miserrimas familias, non secus ac Filiarum Lucae caterva recensetur. Marianus ejusque Soror Geltrudes domunculam, atque unum praediolum vix frugiferum, & aere alieno pene obrutum possident. Marianum ipsum, sterili professione lyristam, podagrae doloribus haud raro laborantem, ad victum sibi suaeque Sorori comparandum imparem esse. Nicolaum senio, simulque inopia confectum. Quatuor Puellas dote, atque alimentis cassas, absque spe Matrimonium unquam ineundi, domi languere.*

Praesumptam addunt Testatoris voluntatem, qui si de hac cogitasset suorum consanguineorum paupertate, in eos certe

verte integrum eleemosynarum cumulum contulisset, *Ursaya discept.5. num.22. tom. 1. part. 1.* Nec obesse posse contendunt, quod in remotissimo sint consanguinitatis gradu. Verba enim illa: *quelli della Casa* = omnes indefinite sive agnatos, sive cognatos comprehendunt propinquos, *Leg. fin. Cod. de verbor. significat*, Civicam vero Arimini qualitatem iterum atque iterum neglexerunt Clemens XIV., & Sac. hæc Congregatio, dum annuas præstationes quibusdam ex Oratoribus, licet Urbinatensibus decreverunt.

Ex ipsa Administratores hereditatis, & Hospitalis regerunt, quæ in anteactis concertationibus deduxerunt; defectus scilicet Ariminensis civitatis; nullum enim jus exteris pauperibus ad Legatum civibus relictum, *Anost. de Caus. Piis lib.4. cap.4. num. 22.* remotissimam Oratorum affinitatem: domus & prædii possessionem: ac *Rotalem rem judicatam*, per quam denegatum fuit hujusmodi subsidium Bonaventuræ Gisgoni germano Testatoris fratri, Viennæ in Austria commoranti (non constabat tamen de paupertate) ut *in decis.31. tom.4. Nuperr.*, & *decis.217. cor.Caprara*. Sed de his omnibus egerunt *Folia dierum 11. Junii 1774.*, *24. Januarii 1784.*, & *11. Martii 1786.*, eaque omnia despexit Sacra Congregatio. Ponderandum insuper rogant, jam per concessas præstationes, ad annuam in unum summam scutorum 90, exactam esse Oratorum paupertatem.

In hoc Partium conflictu animadverti posset, jus Oratoribus esse ad controversum Legatum tamquam pauperibus. Si integrum vero consequerentur redituum bessem, qui annuam attingit summam scutorum 980., jam e pauperibus fierent ditissimi, & Juristarum conditionem mutarent. Num hoc in præjudicium Ariminensium pauperum, quos tantopere Testator dilexit, permittendum sit, vel quid aliud potius præteritis subministrationibus addendum, EE. Vestræ decernent.

Quæritur ergo,

An ad Oratores pertineat pro duabus ex tribus partibus pium Legatum relictum a Marco Antonio Gisgoni, ita ut illorum precibus sit annuendum in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

LAU-

Seff. 25. cap. 11. de Reform.

LAURETANA NULLITATIS CONTRACTUS.

Proposita hæc Causa fuit in Congregatione diei 30. elapsi Augusti sub Dubio; *An constet de nullitate contractus, ita ut sint restituendi fructus*; prodiitque rescriptum; *Affirmative in omnibus*. Quibus modo rationibus editam resolutionem Ginamus impugnet; quibus eam Morichius tueatur, hactenus latet. Ex eorum igitur Scriptis respondere dignentur Emi Patres.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Finis.

INDEX
RESOLUTIONUM,

Quae prodierunt in Caussis in Sac. Congregatione Concilii propositis anno 1788.

E

tur

O

P

R

S

U

INDEX CONCLUSIONUM.

Quæ adnotatæ sunt in foliis Causarum anni 1788.

CANONICI.

CAPELLANIA. CAPELLANUS. CAPPELLA.

CAPITULUM.

CENSUS.

COMMUTATIO VOLUNTATIS.

CONCURSUS.

CONGRUA.

CONTRACTUS.

CURA ANIMARUM.

DECIMÆ.

DECRETUM.

Cani

MUSICA.

OBLATIONES. OBLATORES.

OBSERVANTIA.

OFFICIUM DIVINUM.

PAROCHIA. PAROCHUS.

PATRONUS.

Idque

Et

FINIS.